LIV. F. 48.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LIV
F
48
NAPOLI

Digitized by Google

FRANCISCI ANTONII
DE SIMEONIBUS
De Bello Tranſylvanico, & Pannonico
LIBRI SEX.

Ad Sanctiſſimum Patrem

CLEMENTEM

UNDECIMUM

PONTIFICEM MAXIMUM.

Ex libris ex Domo Pauli [illegible] auctoris



ROMÆ, MDCCXIII.
Ex Typographia Antonii de Rubeis in Platea Cerenſi.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro

CLEMENTI XI.

PONT. OPT. MAX.

FRANCISCUS ANTONIUS DE SIMEONIBUS

FELICITATEM.

QUAM bene, ſapienterque inſtitutum a majoribus ſit, ut ſummi alicujus viri nomine liber decoretur, certe ex eo cognoſcere licet, quod, per manus traditum morem, nemo fuit,

Digitized by Google

qui facto non comprobaret: nam, ut alia omittam, experientia compertum eſt, eo majorem quemquam ſibi conciliaviſſe laudem, quo majoris authoritatis vir ipſius ſuſcepit patrocinium. Quamobrem multo nos veteribus feliciores eſſe conſtat, quando nobis, quod eis non licuit, Te implorandi copia eſt. Sunt enim SANCTITATI TUÆ *quum naturæ, tum virtutis bona omnia, quæ vix ſingula in omnibus prædicantur. Quæ hic nec recenſere, nec laudibus celebrare conſilium eſt, quia conſcius mei ingenii tenuitatis tam nobile argumentum, quod doctiſſimus, ac ex omnibus eloquentiſſimus pro dignitate tractare ſe non poſſe cognoſcit, nequaquam ſumere audeo. Quod ſi pudorem hunc cupido meum in Te ſummum obſequium, egregiamque obſervantiam demonſtrandi vinceret, tamen hoc loco rem non aggrederer, quum, quam pauciſſimis omnia ea perſtringere, quæ vix comprehendi volumine poſſunt, Tuæ non*

eſſe

Digitized by Google

eſſe dignitatis exiſtimarem. Jam conſtat, majora ea videri, quæ integra hominum cogitationibus reſervantur, quam quæ ſatis pro dignitate non exponuntur. Jam ſcio res ipſas optime loqui, adeo ut Tuarum virtutum documenta ſemper hominum animis contineantur oporteat, quando non cito ſunt peritura beneficia, quæ in Chriſtianam Rempublicam contuliſti, ſed perpetuo ſunt permanſura. Quod niſi res ita ſe haberet, neſcio, an hiſtoricis, qui vera de Te ſcribent, fides eſſet futura, quum Tua rerum geſtarum gloria plus quam hominis eſſe videatur, adeo ut dubitare prope quidam poſſent, utrum maxima re vera ea ſit, an litteratis, quos omnes perpetuis beneficiis obſtrinxiſti, placuiſſet, ut maxima videretur. Sed proviſum huic rei eſt, quum ea ratione, quam demonſtravi, tum quia nemini occulta Tua moderatio eſt, quando authoritate, & quibus aliis rebus vales, eniteris, ut de Tuis laudi-

bus præclara ingenia ſileant. Proinde ut pro explorato omnes habent, Te magis præclare facere, quam præclare laudari cupere, ita nemo dubitat, quin ex virtute non tam libenter laudis fructum percipias, quam alia digna SANCTITATE TUA *audendi nanciſcaris occaſionem. Jure igitur merito Tibi longe omnium Sapientiſſimo has meas lucubrationes committere optimum duxi, quum quod maxime decet tot virorum fortia facta Tibi, qui tantam ſuggeris materiam hiſtoricis, proponere, tum quia pulcherrimum fore exiſtimavi Tibi Chriſtianorum Parenti Optimo hiſtoriam dicare, ex qua, quomodo paulatim Turcarum potentia imminui cœperit, apparet. Munuſculum ergo hoc & his de cauſis, & maxime ob ingenitam* SANCTITATI TUÆ *humanitatem non injucundum fore confido. Quod ubi me aſſecutum eſſe cognoſcam, certe maximum mei laboris fructum tuliſſe lætabor.*

LE-

Digitized by Google

LECTORI.

QUAM difficile ſit hiſtoriam ſcribere, hic demonſtrare ſupervacaneum videtur, quum nemo ſit, qui ignoret, quantam diligentiam adhibere, quantaque eruditione, doctrinaque ornatus eſſe hiſtoricus debeat. Quæ cogitatio ſi doctiſſimos viros a tali re ſuſcipienda detineat, quanto magis me deterrere a propoſito debuerit, ne ego quidem ignoro. Et ingenue fateor, hoc apud me ita potuiſſe, ut ſolum authoritate quorundam adductus, hiſtoriam, quam me exercendi cauſa ſcribere cœperam, & abſolverem, & ederem. Summæ enim pertinaciæ me accuſandum eſſe exiſtimabam, niſi eorum judicium, quorum & doctrinæ, ſapientiæque opinio apud cunctos eſt ſingularis, & optimam in me perſpexeram voluntatem, tanti facere demonſtrarem, ut eis morem gerere ſummo decori, gloriæque mihi eſſe exiſtimarem; maxime quod non injucundum litteratis meum laborem fore mihi perſuaſi, quando tot, tantique viri illum probaſſent. Accedit, quod rei difficultas, quæ me ab incepto deterrebat, ea, quum excuſationem ad omnes paret, ut illud perficerem, hortabatur. Nam quum hominis ſit errare, eo magis excuſatione dignus eſt, qui in re difficillima, quam qui in facillima offendit. Redarguitur ab veteribus, ut alios omittam, Salluſtius, ab recentioribus etiam Livius, & Tacitus; plura reprehendit in Cæſare Lipſius, etſi hiſtoricorum principes deſtinati ſunt. Quid ergo expectare poſſem ego, niſi plura operis difficultati con-

concedantur, aliqua adoleſcentiæ condonentur, alia aliis dimittantur? Hæc quum ita ſint, tamen lætitia afficior, quum cogito, me, ſi diligentiam omnem non præſtiti, quam materiæ dignitas requirere videtur, ſaltem eam adhibuiſſe, quam ingenii tenuitas permiſit. Non enim contentus fui primo verborum, ſententiarumque delectu, aut primo hiſtoriæ filo, ſed, ut Horatii verbis utar, ſæpe ſtylum verti; & iterum ſcripſi, quæ digna legi ſunt. Et quod pro explorato habebam, non minus cura, meditatione, exercitatione, & tempore, quam optimorum ſcriptorum lectione fieri, ut unus ſit operis ſonus, atque ut optimis ſententiis, verbiſque diſtinguatur, & illuſtretur hiſtoria, eo hiſtoricos & Græcos, & Latinos legi omnes, Cæſaris vero commentarios, Salluſtii, Liviique, quæ extant, ſæpe perlegi, propterea quod hos imprimis mihi imitandos propoſui, utpote illos, qui quum aliis rebus, tum maxime Latina puritate cæteros antecellunt. Confido ergo pro tua humanitate, lector, te æqui, bonique eſſe conſulturum, ſi quid non elimatum lapſum ſit. Quæ quum multa eſſe arbitrarer, ne tua patientia abuti viderer, nihil ab operis principio quæſitum in medium evocare volui, ſolum ab rerum ordine declinavi, quando locorum ſitus, gentium, de quibus agitur, mores, inſtituta, leges paucis demonſtravi, & rerum cauſas altius repetii, ut omnia magis magiſque in aperto eſſent. Nec pulcherrimum duxi otioſas coacervare ſententias, & ab Philoſophiæ fontibus ſæpe ſæpius præcepta aliqua, quod difficile non eſt, mutuari, quamvis ab aliquibus in hoc reprehenſum iri non ignoraviſſem. Nam, ſi veteres in hac parte imitatus ero, quorum in hiſtoriis, præter quam in concionibus, perraræ ſunt ſententiæ, nihil aliorum judicium extimeo. Eadem de cauſa neque illorum cupidini non ſatisfeciſſe me pœnitet, qui eos ab hiſtoriæ regula aberrare exiſtimant, quorum cura in onerandum, ut ita dicam,

re-

rerum ordinem ingenioſis interpretationibus, licet pue-
rilibus, commentitiis, & malignis, intenta non eſt. At
ſi quis concionum directarum, vel indirectarum fre-
quentiam non probet, perſuaſum ſibi habeat, velim, me
acriter eniſum eſſe, ne earum opportunitas deſiderare-
tur. Et ſi in libris de bello Tranſylvanico hiſtoriæ mo-
dum eadem de cauſa exceſſiſſe videbor, ſcire juvat, tum
magis diſſenſionibus in conciliis, quam armis in campis,
magis ab legatis, & Conſiliariis in aulis, quam ab mi-
litibus, Ducibuſque in acie eſſe pugnatum: proinde non
aliam a me iniri potuiſſe viam apparuit, qua omnia bre-
viter, & nitide pro viribus exponerem, quam eam, qua
quorundam orationes, ac conſilia quam pauciſſimis re-
ferrem. Præterea non minus laboravi, ut latinis ſolum
verbis uterer, quam ut latina, &, ut ita dicam, hiſtorica
elocutio eſſet, contendi: qua in re ſi me erraviſſe con-
tigerit, apud eruditos excuſatum fore non difficile du-
co, qui, quantum hæc res difficultatis habeat, probe co-
gnoſcunt. Et hæc de ſtylo, atque aliis hujuſcemodi di-
cta ſufficiant, nunc, quia non magis harum rerum, quam
veritatis rationem habere debet hiſtoricus, me libenter
in margine libri locum annotaturum fuiſſe profiteor, un-
de rem ſumpſi, ut fert laudabilis recentiorum mos, ſi
multa narrare neceſſe non fuiſſet, quæ vel aliis hiſtoricis
incognita, vel conſulto ab eis prætérita fuerunt. Nam ex-
cuſatione digni ii ſunt, ſi res ſubtiliter non exequuntur, qui
hiſtoriam de aliquo bello proprie condere noluerunt, ſed
nihil aliud in ſe receperunt, quam omnia ea innuere,
quæ in tota Europa aliquo tempore quid novitatis ha-
bere viſa ſunt. Meam igitur hiſtoriam in omnibus fere
cum aliis congruere arbitror, & ſi quid non conveniat,
cauſam, quæ me movit, adjeci. Nam præter litteras
publicas, Conſiliariorum ſententias, legatorum poſtu-
lata, & quidquid de belli ratione exercituum Duces ad
Reges ſcripſerunt, alia etiam, quæ memoriæ ii prodi-
de-

Digitized by Google

derunt, qui bello interfuerunt, perlegi, ex quibus omnia ab amicitia, ab odio, ab invidia vacuus excerpſi. Hæc præfatus, nihil relinquitur, niſi ut dicam, me dedita opera ſcripſiſſe, uti res eo tempore erant, quo bellum gerebatur. Scio enim non modo nunc Pannoniæ formam eſſe mutatam, verum etiam Turcas multum virtutis, & potentiæ opinionis deperdidiſſe non ignoro.

IMPRIMATVR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Pal. Apoſtolici.

N. Caracciolus Archiep. Capuæ Viceſg.

HIſtoriam belli Tranſylvanici & Pannonici a Franciſco Antonio de Simeonibus conſcriptam, mandante Reverendiſs. P. F. Gregorio Selleri S. P. A. Magiſtro perlegi; neque in ea quidquam bonis moribus abſonum offendi: cuncta enim, ut ad veterum ſcriptorum imitationem, ita ad Chriſtianæ Religionis normam exacta ſunt. Quamobrem dignum publica luce opus cenſeo, quod iis, qui de hiſtorico ſcribendi genere & latini ſermonis caſtitate judicare poſſunt, probatum iri confido. Quo ſcriptor ſtudioſiſſimus, qui optimis artibus literiſque colendis juventutem ſuam feliciter dicavit, eruditorum hominum judicio & commendatione ad uberiores ſtudiorum ac diligentiæ fructus edendos vehementius inflammetur.

E Vaticana Bibliotheca XIII. Kal. Majas MDCCXIII.

Carolus Majellus ejuſdem Bibliothecæ Præfectus.

IMPRIMATVR

Fr. Gregorius Selleri Ord. Præd. Sac. Apoſt. Pal. Magiſter.

DE

Digitized by Google

DE BELLO TRANSYLVANICO

Liber Primus.

BELLUM paulo minus quinquaginta ante annis confectum ſcripturus, ſatis cauſæ eſt, ut credatur, incorruptam profiteri fidem: quippe qui neque beneficiis obſtrictus Reges, Duceſque immeritis onerabit laudibus, neque injuria permotus in iis vel laudabilia reprehendet. Nam quî apud eum hæc ſtudia poſſe cogitandum eſt, quum ii vita functi una rerum geſtarum fama, velut pro mortalibus æterni facti, cogniti ſint? Tempus ſane tanti operis aggrediendi vix hoc opportunius eſt, quod neque memoriæ exoletæ, aut vetuſtate jam obſcuras res memorando, quid fictum narretur, oportet, neque bellum nuper confectum exponentem florentes Principes, ne quid veri audeat, deterrere poſſunt. Aſſiduiſſime enim accidere ſolet, ut ſupprimere ſuæ ignaviæ famam exoptantes in Scriptores magna cum infamia tanquam in hoſtes ſæviant, vel laudis nimium cupidi eoſdem præmiis, pollicitationibuſque corrumpant. Ea enim hominum natura eſt, ut ſuas laudes libenter prædicari audiant, de alienis dici iniquo animo ferant, quaſi ſibi debitæ gloriæ detrahatur. Quum igitur mihi non odium, non amicitia, non alia officiant, quam veriſſime potero de bello Tranſylvanico, ac Pannonico dicere ſtatui; ut quam inire ab lectoribus gratiam latini ſermonis puritate, ſententiarum gravitate, atque dicendi venuſtate nequeo, eam tum ingenuitate,

tum varietate, tum denique ipſa operis magnitudine ineam. Bellum ſane injuſtitia cauſæ, magnitudine periculi, & varietate caſuum dignum, quod memoriæ prodatur. Nam gentes maxime mobiles, atque in una mobilitate conſtantes. Milites ſeditioſi. Viri imperii cupidiſſimi, non minus libenter propter timorem Principatu abeuntes, quam denuo oblata occaſione illum occipientes. Eorum hac de cauſa per inſidias alii, alii in prælio interfecti. Prava conſilia. Invidia res magnæ expectationis impeditæ. Oppidorum defectiones. Aſſiduæ conjurationes. Atrocius non modo in ſeditionis principes, verum etiam in novi ſermonis authores vindicatum. Circumventi inſontes. Criminoſi ad honores evocati. Fortiſſimi viri ob virtutem inviſi per dolum interempti. Milites perpeſſi rerum inopiam. Incendiis, rapiniſque deletæ urbes. Modo irrita, modo perfecta incepta. Urbes per vim expugnatæ aliæ, aliæ conſilio, vel fraude captæ, nonnullæ voluntate receptæ. Nobilitata exercituum ſtrage obſcura loca. Modo Ducum temeritate, ac imperitia, aut militum ignavia adverſæ res, modo eorundem diligentia, ac alacritate proſperæ. Tot, tantiſque exemplis, quis documentum harum rerum cupiendarum, illarum denique vitandarum omnibus dari neget? Nam ſicuti nulla facultas, niſi hiſtoria, exemplis docet, ita haud dubie nihil hiſtoria aptius ad inſtituendos ad bonos mores mortales invenitur. Nec alia de cauſa ſapientiſſimi homines magiſtram vitæ eam appellarunt. De hiſtoriæ laude nunc dicere & locus, & tempus poſceret, niſi jactatam, & ab optimo quoque ſcriptore agitatam rem præterire etiam illud moneret, quod quibuſdam videri poſſem per ambitionem munus meum extollere velle. Meliore igitur conſilio priuſquam initium dicendi faciam, aliqua ſupra repetam: nam poſteriorum rerum cauſas cum prioribus ita conjunctas eſſe conſtat, ut haud facile illæ ſine his cognoſcantur. Amurate ejus nominis Turcarum Rege quarto, qui domi, militiæque clarus habebatur, vita functo, Turcæ Hibraimum fratrem Regem ſalutarunt. Hic amore mulierum nonnullarum captus, uniſque corporis voluptatibus deditus vitam, veluti pecora, tranſigebat. Item omnia cruciatuum exempla in innoxios juxta, ac noxios edebat; & profunda avaritia vir eo conſilio peſſimum quemque ad magiſtratus evocabat, ut rapinis locupletes, aliqua illata cauſa, interfici jubens pecuniam publicaret. His artibus bonis, quod ſe ſpretos dolebant, maliſque inviſus, quod impunitos ſe non relinqui videbant, Validæ matri minime acceptus, quia nihil ejus gratiæ dabat, huc rem duxit, ut nemo tam injuſta imperia ultra ferre vellet. Inter ſe conjurantibus, ac rationem negotii perficiendi

quæ-

quærentibus occaſionem defectionis admaturandæ ipſe præbuit, quod bellum Venetis illatum ducere ſine dedecore non valeret. Optimates igitur, ubi plebem quoque a propoſito non alienam acceperunt, primo nefarium hominem Regno expulerunt, ad extremum etiam interfecerunt. Sic crudelis Rex dignum anteacta vita exitium invenit. Regnum Mehemeti filio ſeditionis principes tradunt, quem octo annos natum quum per ſe Rempublicam adminiſtrare non poſſe cognoſcerent, Validam in Regni procuratione eſſe ea lege juſſerunt, ut de Zaimæ Regis matris, ac duodecim aliorum conſilio omnia adminiſtraret. Valida, ut maxime imperii cupida erat, & ea ſpe naturalem clementiam projecerat, Amurati filio inſidias tendens, ne Zaimæ authoritas creſceret, anxia erat. Propterea ſecum volvere cœpit, quemadmodum etiam Mehemetem, Zaimamque interficeret. Compoſitus dolus certo proceſſiſſet, niſi parvo temporis ſpatio multis de cauſis, amplius decem Præfectis mutatis, (quos ſumma cum authoritate Turcarum more paci, belloque præpoſitos Primos Viſirios appellant) Siauſium, utpote ſibi fidum, ac tanto muneri non imparem, ad ſummum Magiſtratum Zaima evocandum curaviſſet, quando nondum in Validæ ſuſpicionem venerat. Nam de ejus conſilio omnium animos lenius tractans, cunctos alliciens, optimatum juxta, ac plebis favorem ita ſibi Zaima conciliavit, ut Valida ſolum illos ſceleris, quod moliebatur, ſocios inveniret, quos vel mali mores ad Rempublicam perturbandam incitabant, vel conſuetudo ad rerum novarum ſtudium impellebat. Valida tamen temporis ſpatio complures partim gratia, partim ſua authoritate conſpiraturos ſperabat. Dum hac ſpe rem in longiorem diem confert, diutius, ut accidere neceſſe erat, conjuratio tegi non potuit. Nam quidam conſilii particeps, incertum præmiorum ſpe, an metu, rem ad Siauſium perfert. Qui, re cognita, tantum moratus, dum conjurationem Zaimæ, Mehemetique Regi aperiret, juſſis equitibus omnibus arma capere, maturat tantæ rei occurrere. Equites tum vetere adverſus Prætorianos odio, tum Siauſii pollicitationibus inflati rem libenter ſuſcipiunt, inopinanteſque Prætorianos obſident. Prætoriani ubi vim procedere non poſſe viderunt, ad preces verſi, traditis ſeditionis principibus, ab Siauſio veniam impetrant. De his tamen omnibus, & de Valida quoque ſupplicium ſumptum eſt. Horum morte quietas res factas nonnulli arbitrabantur, ſed Zaima nunquam ſe ab timore vacuam eſſe rata, niſi Prætorianorum nomine deleto, quod eos qua vetere inſtituto, qua Regis imbecillitate novis rebus ſtudere ſciebat, Mehe-

 metem

An. 1656 metem Chiuperlium, qui ſummum magiſtratum gerebat, ad ſe vocat; atque, ut Prætorianos omnes dimitteret, orat, ne ſibi in reliquum tempus timere cogerentur. At Mehemetes Chiuperlius, *Quo*, inquit, *conſilio nobis tantam invidiam conflabimus? Aut quos equitibus moderaturos, his deletis, ſperas? An hos ſeditioſiores Prętorianis eſſe non conſtat? Non ne præſtat utrumque ordinem in Republica eſſe, ut alter alterius pravis conſiliis ſit impedimento? Solimanus Magnus horum virtute gloriam ſibi peperit, horum præſidio parta retineamus, oportet. Utinam Reges, qui poſt Solimanum fuerunt, plus æquo eorum virtuti non conceſſiſſent; non eſſet nunc eorum temeritas nobis ferenda. Nam, niſi impune primo in humiles ſe geſſiſſent, moxque honeſtis nominibus inimicitias exercentes inviſos Præfectos ſine periculo interfeciſſent, nunquam tantam arrogantiam ſibi nunc ſumerent, ut ſtipendii augendi gratia in Reges ſupplicia componerent. Qui nequicquam remedium tanto malo dare conati ſunt, quum neque occulta vi, neque aperte obviam ire eorum temeritati poſſent, qui vires ad reſiſtendum habent. Præterea militum animos molliendo, virtutem, non temeritatem, eis minuerunt. Elatius ſe gerunt deſides Aſiatici paucorum menſium tyrocinio, quam pueri illi ab ineunte ætate optima diſciplina inſtituti, vel alii, qui poſtquam quinq; annis egregiam Regi probaſſent operam, ad honorem evocabantur. Fuga potius ad ſalutem contendere cupiunt, ut integri manuum mercede inopiam tolerent, quam ſe fortunæ committere, quum cicatrices ſibi fructui non eſſe intelligant. Et licet non niſi nomen, atque opinionem veteris ferociæ retineant, (nam virtutem penitus projecerunt) tamen tumultus excire, velut conſuetudine, non dubitant. Unum igitur remedium huic rei mei conſilii eſt dare, ut non modo ex induſtria torpeſcere militum animos non ſinamus, ſed præmiis omnibus ad virtutem excitemus, ne in poſterum tantum dedecus admittatur, ut plurium annorum ſpatio militum ignavia ne Cretam quidem recipere poſſimus. Deinde optime publicæ quieti proſpicietur, quum veteranos ſeditioſos periculis objectem; quod, illis interemptis, alii in eorum locum ſuccedent, qui illa vitæ licentia non aſſuefacti in officio facile contineantur*. Hoc conſilium non ingratum Zaimæ fuit, utpote ea, quæ ſine invidia rem conſequi poſſe cognoſcebat; quoniam ad corporis formam, aliaque fortunæ bona altitudo ingenii, non ut eſt fœminarum captus, acceſſerat. Quo inito conſilio, belli cauſa adverſus Moldavos, Valacos, Tranſylvanoſque eſſe Chiuperlio videbatur; ſed in aliud tempus rem conferre ei placuit, quo omnia ad bellum ſumma vi trahendum parata eſſent, ne, re male geſta, in contemptum hoſtibus, ſuiſque veniret. Nam quum Moldaviæ Stephanus

Geor-

Georgitia , Valachiæ Conſtantinus Serbanus , Tranſylvaniæ An.1656
Georgius Ragotius Imperium obtinerent, hi pro gloria belli , animique magnitudine, ſe Turcarum Regi vectigales eſſe dolore afficiebantur : *indignum eſſe Chriſtianam religionem profitentibus Chriſtiani nominis hoſtium ſervitutem perpeti* dicebant. *Fœdere, atque amicitia ſe conjungere pulcherrimum eſſe, ut recuperatæ libertatis gloria ad ſe perveniat. Parem occaſionem negotii conficiendi daturam eſſe fortunam fruſtra ſperandum, quum urbano motu, & Cretenſe bello Chiuperlius detentus officere ſuis conſiliis non poſſet.* Initium defectionis ab aliquo ex his jam factum eſſet, niſi Chiuperlii diligentiam tranquilla omnia feciſſe fama perlata in opportunius tempus conſilium transferre coegiſſet. Hoc ubi per indicium ad Chiuperlium allatum eſt, quum præter conſuetudinem familiari amicitia conjunctos eos videret, quos novis rebus ſtudere ſuſpicabatur, ad eos in hanc ſententiam ſcribere voluit. *Se non fugere, quod vectigales Principes neque bellum ſuſcipere, neque fœdera inconſulto Rege inire poſſent. Quid igitur ſibi vellent, amicitiam oſtentando? Errare eos, qui terrorem invictiſſimis Turcis inferre velint, quibus eos Principatu expellendi facultas ſit.* Ad hæc omnes reſpondent, *ſe nullo fœdere conjunctos eſſe; minuſque contra Regem conjuraſſe. Ejus rei teſtimonium eſſe, quod de ſtipendio non recuſarent. Magnam injuriam illum facere, qui finitimos Principes paci ſtudere prohibeat. Tandem ſe in fide manſuros* concluſerunt, *ſi ipſe injurias non cumularet*. Chiuperlius ſive hoc reſponſo adductus, ſive quia certis authoribus conſilium non cognoverat, ſive quod ad bellum neceſſaria non paraverat, excuſationem accepit. Fortuna tamen, quæ ejus conſilium comprobare ſtatuerat, effecit, ut Ragotii cupiditas belli occaſionem præberet. Nam quum Carolum Sveciæ Regem Guſtavi exemplum ad res novas incitaret, bellum Sarmatis intulit. Hic ſuis viribus Regnum ſibi conciliandi ſpe lapſus, ſtatuit æquis conditionibus ſocium aliquem ſibi aſciſcere, cujus opibus rem facilius obtineret. Diu ſecum volventi Georgium Ragotium ſibi opportunum eſſe occurrit; quod eum altiora cupere, eidemque nec vires, nec audaciam ad aſperiora etiam aggredienda deeſſe non ignorabat. Idcirco legatum ad eum mittit, qui diceret, *ſi Georgius in belli ſocietatem veniat, Regni partem ei ſe eſſe traditurum, Sarmatis expugnatis, in præſentia vero recepta oppida ei attributurum.* Legati oratio Ragotium per ſe Regni maxime cupidum non ſecus incitat, quam ſi quis currenti calcar addidiſſet: nam victoriam animo providens, in ſocietatem belli venire non dubitabat. Sed quum

po-

Digitized by Google

An. 1656 poſtea, ſi Turcarum Regis animum offenderet, totam belli molem in ſe vertere poſſe judicaret, de Tranſylvaniæ Principatu dimicare, ut aliena occuparet, dementiæ videbatur. Conſilium ergo omnium, quos ſibi fidos cognoverat, habentem Acatius Berciajus his verbis ad rem ſuſcipiendam hortatus eſt. *Quantum hodie miratus ſim, Georgium Ragotium de hac re noſtram ſciſcitatum eſſe ſententiam, difficile ad fidem eſt: quippe qui non ignavum hominem, vel adverſis rebus fractum, ſed virum, cujus alacritatem, ac animi magnitudinem cuncti laudibus efferunt, timoris ſuſpicionem dare cognoſcam. Quis te, Georgi, fortunæ beneficio uti prohibet? Aut quem belli ſcientia tecum exæquari putas? Carolus Rex Sveciæ te Sarmatis Regem conſtituere in ſe recipit; quid cunctaris? Primo adventu munita oppida tibi tradere pollicetur; & dubitas fortunam periclitari? Valachiæ, Moldaviæque Principes te ſocium orant, ut ſuis, ac ſuorum omnium opibus utaris; & tantam opportunitatem e manibus dimittere turpe non ducis? Occaſionem parem reperire te nunquam poſſe, mihi affirmanti fidem præſtes, velim; præcipue quum ad has res accedat, quod Turcæ ſive vetere inſtituto plura bella ſuſcipere nolunt, ſive per inteſtina arma non poſſunt. Quum Cretenſe bellum confecerint, quis ignorat ipſis non illaturos eſſe bellum, niſi plures annos ad omnia paranda conſumpſerint? & tunc vel tua virtus, vel res proſperæ eos a propoſito deterrere poterunt.* Hæc verba, quæ vel mitem hominem accendiſſent, quam libenti animo audaciſſimus vir accepiſſet ex hoc cognoſcere libet, quod explendæ libidinis deſiderio captus, contradicere conantem magnis verborum contumeliis prohibuit. At ille, ut ejus mens nihil præter publicam quietem videbat, nihil injuria permotus, ſe continere non potuit, quin diceret, *ſe eum non eſſe, qui timore, aut invidia adductus illa propoſuiſſet. Nec ſe mirari ea re, quæ accidere in dies ſoleat eis, qui Principis auribus ſervire nolint. Se tamen ita dicere, ab ira, ab odio vacuum eſſe, nec ſua cauſa loqui: alii vero, qui contra cenſuiſſent, timendum eſſe, ne privatam gratiam primam habeant.* His verbis, quod haud obſcure ſe deſignari Berciajus ſentiebat, *mentiri eum* reſpondet, *qui, ſe Principis dignitatem poſt omnia habere dicat*; multa utrinque dicta ſunt, ſed ultra minas proceſſum non eſt, quum quod omnes, qui aderant, præcipue Joannes Chiminianus vir Ragotio maxime acceptus, tum quod ipſe Ragotius conſilium Berciaii probavit. Igitur ad Carolum Regem ſcribit, *ſe ipſius amicitia confiſum contra Turcarum, atque Germanorum voluntatem rem ſuſcipere, & celeriter ad ipſum cum exercitu venire non dubitare.* His ſcriptis Ragotius

tius

Digitized by Google

tius illico delectum tota Tranſylvania habere, auxilia ab Serbano, ac Georgitia ſociis accerſere, arma diſponere, rem frumentariam expedire, ac omnia, quæ ad bellum uſui eſſent, parare. Quæ ubi fama divulgavit, Sarmatæ ſibi præmetuentes, ad eum legatum mittunt, qui æquis conditionibus, ac ſpe Regni ei perſuaderet, *ne Carolo adeſſet*. Mehemetes Chiuperlius ad eum litteras mittit, *ne invito Rege quempiam, præcipue ejus ſocios bello laceſſeret, quum ei ſociorum injurias negligendi non ſit uſus*. Eadem ei Ferdinandi ejus nominis tertii Romanorum Imperatoris verbis nunciantur. Sed Ragotio durum fortunam non periclitari, durum Carolo deeſſe, durum exploratam victoriam dimittere videtur. Itaque Sarmatarum legato reſpondet, *ſe neque parte, neque ſpe eſſe poſſe contentum, quam brevi omnia conſecuturum confidat*. Ad Chiuperlium reſcribit, *ſe ab Sarmatis rogatum, ut Regnum ſuſciperet, nullam volentibus, nullam Turcarum Regi injuriam inferre, quum eo contenderet, atque perpetuo in Regis fide manſurum profiteretur*. Ad Principem Joannem Veicardum Aveſperghium litteras remittit, atque orat, Cæſari renunciet, *ſummam in eum ſuam voluntatem eſſe; proinde nunquam paſſurum, ut ei detrimentum inferatur, quin potius, quoad poſset, ejus dignitatis adjutor eſse velit*. Ragotius, quo facilius Cæſar ſibi fidem faceret, legatum ad eum quoque mittit: qui ubi Cæſarem convenit, atque omnia, quæ ad Aveſperghium ſcripta docuimus, confirmavit, orat, *ne Sarmatis contra eum, cujus egregiam in ſe cognoviſſet voluntatem, auxilia mitteret*. Ad quæ Princeps Wincislaus Lubcovitius vir non conſilii magis, quam in Cæſarem fidei reſpondet, *non recte Georgium facere, quum de conſilio callidorum hominum nimium fortunæ confideret, quod non ſemel experientia ſit compertum, viros nimis alta cupientes puncto temporis & parta, & ſperata amiſiſse. Cogitaret, quid natura non hominibus modo, verum beſtiis etiam præſcripſiſſet, ut, quibus rebus poſſent, injurias propulſarent. Sarmatas non ſemel demonſtraviſſe, ſe potius ad extremum vitæ periculum adire velle, quam libertatem amittere. Perpenderet, quid inexpectatum in bello evenire poſset, antequam illud ſumeret: fruſtra enim, accepta calamitate, dolere, qui fortunam, quam nonniſi laceſſito tentare licet, imperii cupidine periclitatus ſit*. Hæc tametſi Georgio nunciabantur, atque etſi, auxilia Sarmatis mittere velle, non obſcure Cæſarem innuiſſe acceperat, tamen conſilium non mutat: immo ad ſe Moldavorum, ac Valacorum auxiliis receptis, coactoque exercitu, non numero, non virtute militum ſpernendo, in Sarmatiam caſtra movet. Et evulgari curat, *ſe ab Sarmatis accer-* An. 1656

cer-

Digitized by Google

An.1657 *cerſitum, eo contendere*. Hoc facit reddendæ ſui conſilii rationis cauſa. Ubi pervenit loca parum munita primo impetu occupans, Leopolim, Sarmatis fortiter defendentibus, oppugnare inſtituit. Quum vero apud præſidium nec periculi denunciatione, nec promiſſis proficere poſſet, ſimulque id plurium menſium eſſe negotium cognoviſſet, Carolo adjungi maxime cupiens, re infecta Zomaſcum petit. In itinere quinque millia hoſtium nullo negotio fudit. Quæ victoria ubi ad ſuperiorem ſpem acceſſit, quidquid intercederet temporis, id Regni præmium morari Ragotius ratus, quantum accelerari potuit, Gracopolim contendit. Oppido tres cohortes ex fœdere recipiuntur. His, oppidoque Ragotius Joannem Bettelenium præficit. Deinde alias urbes tentat, quarum partem vi, partem pollicitationibus ab Joanne Caſimiro Rege avertit. Quibus rebus permoti Sarmatæ, quum infirmi ad reſiſtendum eſſent, publico conſilio ad Cæſarem, rogatum auxilium, legatos Regni nobiliſſimos mittunt. Sperabant Sarmatæ, Cæſarem partim Svecorum odio, partim ſpe Regni (legatis enim in mandatis dederant, ut Leopoldum Cæſaris filium ſe Regem creaturos pollicerentur) ad ſuum auxilium concitaturos. Deliberatur de hac re Viennæ. Communi tandem conſenſu ſtatuitur, ut Joanni Caſimiro Cæſaris verbis gratiæ pro optima in Leopoldum voluntate agerentur. Sciebant enim, omnes Reges hoſtes Cæſari futuros, quum eum orbis terrarum Imperium affectare arbitrarentur. Magna tamen controverſia extitit, ſuccurrendum ne Sarmatis eſſet. Nam Aveſperghius non negligendam eſſe rem dicere, Lubcovitius contra cenſere. Horum authoritate in duas partes reliqui diſcedunt Conſiliarii. Sic in illud tempus ducta res eſt, quo, quum ſemper Sarmatas in majore periculo eſſe acciperent, Aveſperghius tanta ope enifus eſt, ut mediocres copias ſubſidio eis mittere Cæſar vellet. Paucis poſt diebus Ferdinandus morbo implicitus naturæ concedit. In cujus locum Leopoldus ſuccedit. Qui ſtatim, ut par erat, Rempublicam ſuſcipiens, convocato concilio, proponit, utrum mittere auxilia Sarmatis, an copiis ad inferendum terrorem rerum novarum cupidis uti optimum eſſet. Nam opinio ſine authore exierat, nonnullos Ludovici Galliæ Regis opibus confiſos Imperium ſe adepturos ſperare. Sed eędem rationes Ferdinandum patrem, atque Leopoldum, permoverunt, quod Imperium citius ſe adepturum ſperaret, quum lenitatis ſigna mitteret, qua ſemper Auſtriacum genus rem obtinuerat, quam quum diffidentiam Germanorum, exercitus retinendo, demonſtraret. Hoc probato conſilio, peritiſſimis Ducibus bis ſena millia hominum attribuit, ut Caroli, Georgiique

giique conſiliis officiant. Quumque Carolus auxiliorum ſpe Sarmatis belli ducendi alacritatem innatam eſſe cognoſceret, ne unus Leopoldus exploratam victoriam interpellaret, ad Mehemetem Regem legatum mittit, qui eum contra Leopoldum accenderet, ac pro Georgio deprecaretur. Chiuperlius quum diu ſecum volviſſet, quid reſpondendum Carolo judicaret, tandem etſi Leopoldum magis in animos Germaniæ Principum ſibi conciliandos, quam in bellum inſiſtere poſſe conjectabat, tamen timens, ne in ſocietatem belli aliis venientibus res non proſpere cederet, non eſſe tempus tanti hoſtis laceſſendi intelligit. Nam nondum ſeditioſis extinctis maximo cum periculo ſibi belli dedecora obiici poſſe videbat. Igitur Legato reſpondere placuit; *nunquam Regem ſocietatem, amicitiamque cum iis inſtituere conſueviſſe, qui ab ſe deſciſcentium patrocinium ſuſcepiſſent, atque ſocios vexarent; proinde ſi quid vellet, prius cum Sarmatis pacem faceret, Ragotiumque desereret, deinde miſſis legatis de aliis rebus ageret.* Ubi Carolus, ſe Turcarum Regem incendere non potuiſſe, Fridericum Danorum Regem a Batavis, Philippoque Hiſpaniæ Rege ad bellum ſibi inferendum impelli, item Fridericum Gulielmum Brandeburgi Ducem, cui maxime confidebat, conſilia cum hoſtibus communicare, accepit, tot difficultatibus circumventus, conſilium Fridericum Gulielmum orandi capit, *ne ad hoſtium amicitiam accederet; atque Friderico Danorum Regi perſuaderet, ne Batavis aures præberet*. Nam etiam miſſis Joanni Caſimiro auxiliis victoriam ſe adepturum Carolus ſperabat, ubi illos ſuſpectos non haberet. Sed quum ſuas preces non audiri cognoviſſet, quod Fridericus nihil de apparatibus remitteret, conatu deſiſtere ſtatuit, ut Dano occurrere poſſet. Prius tamen ad Georgium ſcribit, *ne rem in diſcrimen adventu Germanorum adduceret: ſed relictis militibus, qui oppidis præſidio eſſent, confeſtim ſe in Tranſylvaniam reciperet. Sine periculo rem eſſe conſecuturum, ſi ſua tempora expectare velit.* His litteris perlectis Ragotius concilium cogit. Major pars non expectandum cenſet, quin in Tranſylvaniam caſtra moveret. Nullo enim conſilio illum fortunam nunc ſine ſpe periclitari, qui aliquo temporis ſpatio intermiſſo ſine vulnere negotium confecturum ſperat. Pars ſive quod ita rem poſtulare ſentiret, ſive quod Ragotium ſegniores caſtigare cognoviſſet, non eſſe rem ſui judicii dicit, tantum dedecus admittere, ut domum reditio fugæ conſimilis videatur; & Sarmatis non impares tot laboribus parta puncto temporis amittant. *Ecquid ſpei*, dicunt, *militibus, Præfectiſque cuſtodiæ cauſa in oppidis relictis eſſe poſſe, Georgi putas, quum non ſine deſperatione te diſceſ-* An. 1657.

An.1657 *ſiſſe cognoſcent? An illos tam fortes futuros ſperas, ut ne tum quidem deditione ſibi conſulant, quum Ducem, quem ſecuti ſunt, fuga ſibi proſpexiſſe animadvertunt?* Ragotium ut ſemper audacius conſilium probare natura impellebat, prius ſe, quemcumque caſum fortuna tribueret, ſubiturum confirmat, quam irrito incepto diſcedere. Atque hoc temerarium conſilium non deponit, niſi ubi Germanos perveniſſe cognovit.(Nam prius Sarmatæ neque ſuorum finium charitate,quos populatũ adierant, inde eum detrahere potuerunt.) Tum Sarmatæ rerum commutatione facta Georgium non conſectari turpe ducentes, eum inter flumina Bochium, Buſechiumque deprehendunt, atque circumſiſtunt. Ragotius ſpe fugæ, ac defenſionis amiſſa ab vi ad preces verſus pacem iniquis conditionibus impetrat. Sarmatas Scythæ conſequebantur. Hi ubi terrorem fugientium cognoverunt, occaſionem rei bene gerendæ prætermittere non eſſe conſilium judicant, etſi Sarmatæ ſuam fidem lædi querebantur. Hoc conſilium ſtatim per Sarmatarum nuncios ad Ragotium perlatum effecit, ut milites hortaretur, *gradum adderent; una celeritate periculum vitari poſſe*. Sed ſive plus prædæ ſtudium apud Scythas, quam ſalutis ſpes apud Tranſylvanos potuiſſet, ſive Scythæ levis armaturæ, ac idoneis equis uſi iter accelerare potuiſſent, certum eſt, eos tertio die huc rem duxiſſe, ut paſſuum millia tria inter extremum Ragotii, & primum ipſorum agmen intercederent. Hoc ſimulatque Ragotius cognovit, ſuam ſalutem paucis equitibus committens, atque per occultos tramites iter agens incolumis in Tranſylvaniam pervenit. Joannes vero Chiminianus, quem cum imperio reliquerat, etſi per montes, qui ad Valachiam pertinebant, ad ſalutem contendere conabatur, tamen poſtquam nullam in armis, quod quatuor ſuorum millia in acie conciderant, nullam in fuga ſpem eſſe cognovit, neceſſariam ſubire deditionem decernit. Vix quatuor impigros pedes tutati ſunt, qui tantæ calamitatis nuncium domum attulerunt. Tranſylvanorum, ut per Ragotium periculum cognoverant, inter ſpem, & metum expectatione pars erecti ſtare, alii calamitatem providentes plorare, nonnulli Templa Deum oratum adire, ut ſe metu liberaret. Cognita deinde re tantus eos dolor occupavit, ut aliquandiu ſilentium haberent: deinde ab mœrore ad furorem verſi Ragotii cruciatu ſuis parentare cupiebant. Hos tamen conſilio ab ſeditione Ragotius continuit; nam in morbum propter dolorem incidiſſe dixit; fidemque interpoſuit, ſibi, ubi convaluiſſet, curæ futurum, ut Scythæ pretio captivos redderent. In hanc ſpem erecti Tranſylvani, a Deo Ragotii ſalutem expoſtulant. Quam rem ubi impetrant, ad Ragotium nobiliſſimos Civi-

Civitatis legatos gratulatum mittunt, quod convaluiſſet, ſimulque An.1657
oratum, ut ejus, quod promiſiſſet, reminiſceretur. Qui reſponſum ferunt, *Semeſvariam ad concilium venirent; ibi de his rebus ſe acturum*. Simulatque ad diem frequentes conveniſſe legationes Ragotius vidit: *Se non ſuarum neceſſitatum cauſa, ſed omnium dignitatis amplificandæ gratia negotium ſuſcepiſſe* exponit. *Fortunam, non ſuam ignaviam prope partam victoriam interpellaviſſe. Paceque cum Sarmatis facta ſibi juxta, ac omnibus conſuluiſſe. Quid igitur de ſua audacia, & non potius de Scytharum perfidia, ac aviditate quererentur? Ad illam explendam ſuas non ſufficere facultates, quod pro uno Chiminiano centum nummorum aureorum millia ſibi dari æquum cenſeant. Sibi vix quinquaginta nummorum aureorum millia eſſe, quæ in vindicandis in libertatem optime de ſe meritis militibus profundere non recuſaret. Miſererentur igitur ſui, & rationem optimos Cives in patriam reddendi quærerent*. His verbis auditis, ſtupor omnes defigit, ut in re ſolet, quæ præter opinionem accidit. Ubi vero eo ventum eſt, ut Ragotii fautores pecuniam, vel ab omnibus, vel ab iis tantum, quibus cum captivis neceſſitudo intercederet, imperandam dicerent, omnes magnum clamorem primo tollunt; poſtea pars omnibus precibus Ragotium deteſtari, pars ei gladio minitari, plerique ejus bona publicanda dicere, nonnulli reliquos orare, ut memores libertatis communem cauſam ſuſciperent. Ulterius ventum foret, niſi Ragotius pro tempore conſilium capiens, ſe omnia experturum promiſiſſet, ut optimi viri Civitati reſtituantur. Igitur muneri aptos, ac ſibi opportunos homines legatos ad Scytharum Regem, qui de hac re agerent, mittit. Quos ut Rex vidit, ſive Chiuperlii juſſu, ſive quod explorandi cauſa veniſſe arbitratus eſſet, ſive ne domum reverſi ſuis, bellum ab ſe parari, nunciare poſſent, in vincula coniici jubet. Chiuperlius item Franciſcum Tortaium in vincula coniiciens bellum parare, ut factioſos milites juxta, ac Ragotium ulciſceretur. Hunc etiam ſibi infeſtum Chiuperlius cognoverat, quod ſe tam apud Hibraimum, quam Mehemetem Reges proditionis inſimulaſſet. Magna tamen difficultate afficiebatur, quod Leopoldum Ragotium defenſurum ſuſpicabatur. Sed quoniam occaſionem Ragotii Principatu expellendi dimittere nolebat, pacem cum Venetis facere ſtatuit, ne Leopoldi impetus diſtentus vereri cogeretur. Igitur Ballarinum, qui in Venetorum legati locum ſucceſſerat, ad ſe vocans, hortatur, ut *per conditiones Cretam tradens Turcarum amicitiam redimeret. Hoc Venetis expedire, ſibi perſuaderi, quum bello non compoſito nulla facultas Turcas ab oppidorum mœnibus prohibendi eſſet*. Æquiſſima hæc con-

An.1657 ditio Chiuperlio videbatur. At Senatus iniquiſſimam conditionem eſſe illam cenſuit, quæ Provinciæ jactura pacem ſibi pareret, eo magis quod non alium belli finem uſque adhuc cognoviſſet, quam victoriam, in cujus ſpem ſe erigere poſſe non difficile exiſtimabat, quum novum bellum adverſus Ragotium, ut vulgo circumferebatur, Turcæ ſuſcepiſſent. Hoc Veneti Senatus reſponſum ne commutata quidem facie Chiuperlius accepit; nam ut non minoris animi, quam conſilii vir erat, bellum adverſus Venetos mediocribus copiis gerere ſtatuit. Sic novi belli ſpecie veteranos, quos Cuſſeinis totos eſſe ſciebat, ex Creta accerſens, tyroneſq; eo mittens ejus authoritatem minuere, & in Ragotium animadvertere poſſe videbat. Igitur delectum ſubito edicere, auxilia accerſere, arma, omniaque parare. Quæ ubi in Tranſylvania comperta ſunt, tantus omnes terror invaſit, ut ſibi timentes Ragotium diſcordiæ ſemen execrarentur, quoniam poſtquam exercitu Civitatem ſpoliaviſſet, in maxima mala eam proiiceret. Ragotius quum per ſuos familiares, ac viros ſibi ex privatis negotiis obnoxios motus ſedare nequicquam tentaſſet, item parem ſe Turcis non eſſe ſentiret, unum remedium huic rei poſſe dari ratus, ſi ab Turcis veniam impetraret, de hac re ad Mehemetem Regem Jacobum Naſſaronum, Stephanumque Zigaium legatos mittit. His prætereà mandat, ut miſericordia, pecunia, pollicitationibus, ac quibuſcumque rebus poſſent, Chiuperlium conſilium mutare ſubigerent; ad hoc alios donis aggrederentur, quos ſibi opportunos cognoſcerent. Naſſaronus, Zigaiuſque ubi Conſtantinopolim pervenerunt, quos aliquem gratiæ locum apud Reginam, Chiuperliumque habere intelligebant, hos pecunia corrumpere enituntur. Jam nonnulli, ut venales erant, Ragotii patrocinium ſuſceperant, inter quos Muſtafus quidam Zaimæ maxime acceptus, qui omnibus ſermonibus referebat, *præſtare certa ſpe ſuſceptum conficere bellum, quam novum cum periculo aggredi*. Hic ſermo ad Chiuperlii aures perveniens eum ad legatos ad ſe vocandos impellit. Legati hac re maxime lætantur, quod jam Mehemetem donorum ſpe captum rem componere velle arbitrabantur. Ubi ergo in ejus conſpectu venerunt, Naſſaronus Mehemetem orat, *ut Ragotio parcens locum miſericordiæ reliĉtum eſſe in ſupplices demonſtraret. Ragotii quum in ipſum, tum in Regem maximum eſſe ſtudium; eumque negotium ſuſcepiſſe, quod Regis voluntate Regnum ſe occupaturum ſibi perſuaſerat, quum ſtipendium pendere pollicitus eſſet*. Hæc ubi audivit Chiuperlius ira accenſus eos in carceres duci jubet, etſi pleni lacrymarum, atque ſupinas manus tendentes orabant, *ut ſibi, Ragotioque parcat, quum*

omni-

Digitized by Google

omnibus rationibus ei ſatisfacere parati eſſent. Parum quoque abfuit, An. 1657
quin Caroli Sveciæ Regis legatus pro Ragotio verba faciens eandem fortunam ferret: ei tamen imperat Chiuperlius, ut Tranſylvanis renunciet, ſibi nullam cum eis pacem eſſe poſſe, niſi Ragotii capite ad ſe relato. His rebus compoſitis Sevaſio Chenanio Budæ Præfecto mandat, milites uti toti Provinciæ imperet, coactumque exercitum Temeſuariam ducat. Haſſanem quendam ſuum familiarem Budam petere jubet, ut conſilia Præfecti cognoſceret, & Tranſylvanis pronunciaret, *ſibi eſſe in animo pœnas ab ipſis repetere, niſi Georgium vel vivum, vel necatum traderent*. Eidem amplius in mandatis dat, uti ad Præfectos omnes ſcriberet, *nihil gratius ſibi facere eos poſſe, quam ſi, quo poſſent ſtudio, ac celeritate, copias contraherent*. Hæc omnia Leopoldo nunciata effecerunt, ut ſibi eam rem cogitandam exiſtimaret: nam magnopere timebat, ne Turcæ in Ragotium animadvertendi ſpecie, vel de improviſo ſe inopinantem aggrederentur, vel (quod non minus periculoſum ducebat) Tranſylvaniam devincerent. Movebatur etiam eo, quod Simeon Reningherius ſuus ad Mehemetem Regem legatus renunciaverat; Mehemeti Chiuperlio eſſe in animo a bello nunquam quieſcere, ut hac occupatione milites ab ſeditionibus contineret, ut ſibi ſuſpectos viros ſine invidia periculis objectaret, ut Tranſylvaniam denique occuparet. Ab hac enim gente, quam infirmam ad reſiſtendum Chiuperlius exiſtimabat, gradum in Pannoniam fore, eum non fugiebat. Venetorum quoque calamitas, quos etiam jurejurando Turcę deceperant, Cæſarem cautiorem eſſe hortabatur. Facile enim ſe poſſe ab iis decipi judicabat, qui fidem lædere in turpiſſimis rebus non habent; huc præſertim accedente, quod majore apparatu, quam contra Georgium neceſſe eſſet, omnia expedirent. Igitur placuit ad Reningherium ſcribere, *ſibi gratum facturum, ſi omnia Turcarum conſilia manifeſta haberet, & Chiuperlium oraret, ut Georgio ignoſceret, ne inſontes pro ſontibus pœnas luerent*. Hæc Reningherio exponenti Chiuperlius reſpondet, *ſe a majoribus accepiſſe, uti nunquam longinquam perditis hominibus concederet impunitatem, nec alio ſua conſilia ſpectare, niſi ut Ragotio nec ſeræ, nec leves veniant pœnæ. Si id*, inquit, *ſine contentione Cæſare adjutore conſequi potero, libenter ab armis diſcedam, ut omnia ei tribuiſſe appareat, erga quem ſummum eſt Regis ſtudium*. Exitus vero orationis fuit, *ſe Joanni Bettelenio Principatum adjudicare animo propoſuiſſe, quod eum, utpote Leopoldi Imperio ſubjectum, non alieno in illum animo eſſe judicaret*. Hæc ubi Viennam nunciata ſunt, multiplicatus eſt omnium timor, quia

An.1657 quia Bettelenium fœdere obligatum oppida munita Turcis tradendi conjectabant: nam quum eum Imperii cupidum cognoviſſent, fortius hujuſmodi virum cupidinem excæcare potuiſſe judicabant, quæ vel modicos homines tranſverſos agere ſolet. Nec minorem terrorem Venetis, Sarmatis, Moſcovitis, aliiſque finitimis belli apparatus intulit, quam Cæſari incuſſit. Veneti, quod Chiuperlium ira accenſum exiſtimabant, quum ab ipſo latam conditionem non accepiſſent, ne majore conatu contra ſe uteretur, timebant. Reliqui adeo recenti Turcarum infidelitatis exemplo, quod Venetis de improviſo contra fidem bellum intuliſſent, admoniti, quoties arma ab eis parari intelligebant, ſibi conſilium capiendum exiſtimabant. Et ne ea quidem res omnibus terrorem dempſit, quod litteras ad Principem Joannem Ferdinandum Portiam Leopoldi præcipuum conſiliarium Chiuperlius miſiſſet, *ſe, ut paci ſtudere demonſtret, paratum eſſe ab armis diſcedere, ubi Leopoldus Ragotium Principatum deponere cogeret*. Hoc etſi difficile factu exiſtimabatur, quod Ragotium ita amplexum Imperium tenere conſtabat, ut potius mortem ſubire, quam eo ſe abdicare vellet, rem tamen ſuſcipiendam Portia exiſtimat, ut hac ſpe Turcam, quoad poſſet, a bello contineret. Portia ergo ad Chiuperlium ſcribit, *ſibi curæ futurum Ragotium ad ſanitatem reducere*. Ad Ragotium vero; *potius æquitate, quam vi Turcas ab maleficio temperare conſueſſe. Si Principatu abiret, optimum eſſe, ne Tranſylvani, ne ipſe ante omnes coopertas miſeriis efficeretur*. Litteris acceptis Ragotius, ut ei Imperii libido ſumma, ad hoc temeritas maxima inerat, Valachiæ, Moldaviæque ſocietati, Coſacorum amicitię confidit (ii enim ampliora auxilia ei mittere, atque exercitus in Turcarum fines introducere, ut eorum manus diſtinerent, pollicitierant) milites, Præfectoſque, in quos plurima ſua beneficia erant, in oppidos cuſtodiæ cauſa introducit, ut ſi quid accideret, quam amiciſſimo præſidio confidere poſſet. Ad Leopoldum præterea legatum Franciſcum Julajum mittit. Hic ubi Viennam pervenit, Lubcovitium conveniens in hunc modum loquitur. *Etſi Georgius Ragotius tantum animi Leopoldo non eſſe cognoſcit, ut barbarorum conſiliis obviam ire audeat, tamen inclinandam rem fortunæ dare non dubitat, quum ab ea raro audaciſſimos homines deſertos eſſe conſtet. Dicam verum, etſi ad fidem difficile, Ragotius non magis imminente periculo, quam Leopoldi timore cruciatur, quum videat, ejus dignititatem pati poſſe, quod ne ipſe quidem ferre valet. O invidendam animi magnitudinem! Tot apparatibus non terretur: tantam vim non timet: tantiſque exercitibus animo non deficit. Quid di-*

dici, aut excogitari poteſt fortius? Quid fingi conſtantius? Publicæ An.1657 *ſalutis cauſa incommoda non recuſat: ne gloria belli penes hoſtes ſit, pericula devorat, quæ alii, quorum officio magis convenit, etiam ſua cauſa ſubire recuſant. Quid igitur dolemus, quum in dies Turcas alacriores fieri videmus? Quid miramur, quum eoſdem omnia tanquam ſibi debita petere intelligimus? Merito ſibi ſpiritus ſumunt, qui ſe timeri intelligunt. Turcæ (rem compertam refero) belli occaſionem quærunt, quum finitimos ea re laborare ſentiunt, ne eam præbeant, at prætermittunt illam, quam velut dedita opera ab audacibus viris ſibi dari exiſtimant. Quum hæc ita ſe habeant, cur Cæſar Turcarum animum auget eorum conſilium probando? Cur Ragotio ſpem minuit, ejus conſtantiam temeritatis nomine appellando? Quare ſi hoc turpe non ducit, cum Turcis ſe non conjungit, ut re ipſa eum ad internecionem perſequatur, cui gratiæ agendæ eſſent, tanquam Tranſylvaniæ, ac Pannoniæ conſervatori? Hoc ne hoſtes quidem futurum ſperant, nec Ragotius, ne accidat, timet, quum devicta Tranſylvania facilem aditum in Pannoniam Turcis eſſe conſtet: tamen me oratum miſit, ut ſi aliqua re eum juvare Leopoldus noluerit, ſaltem innoxios defendi ſineret.* Ex hac oratione Lubcovitius maximam eſſe Ragotii temeritatem cognovit, quum vix legati orationem ferre ſe potuiſſe vidiſſet. Igitur timens, ne ab eo belli initium fieret, Leopoldo conſilium dat, ut modis omnibus eum terreat. Qui hac de cauſa Comitem Buſeinum cũ exercitu in ulteriorem Pãnoniam petere jubet. Sed ne hujus rei quidem fama Ragotium permovet, quin potius omnia majore ſtudio ad bellum pararet, ut utriſque occurrere poſſet. Non enim dubitabat, Leopoldum in Turcarum ſocietatem venturum, ſed magnopere verebatur, ne Zatmarienſem, Zobolicienſemque pagos (comitatus hos appellant) occupare in animo haberet. Igitur quum Zatmariam munitionibus firmaſſet, nihil aliud ſibi ab Cæſare timendum arbitrabatur. His rebus Chiuperlio nunciatis, non magis vi, quam arte rem conſequi cupiens, Lippam Mehemetem quendam prætoriæ cohortis Præfectum petere, alios in alia oppida Tranſylvaniæ contermina contendere jubet. His mandat, ut non minus Ragotii rationes explorarent, quam ex Optimatibus, quæ Civitatis voluntas in eum reperiretur, cognoſcerent. Mehemetes ſimulatque Tranſylvanos in duas partes diſceſſiſſe cognovit, quos alieno in Ragotium animo eſſe judicabat, in his Acatium Berciaium, Lippam ad ſe vocat. Acatius hac occaſione cum Turcis amicitiam inſtituendi oblata reliquos hortatur, ut illico Lippam peterent. At illi ſe injuſſu Principis ad hoſtem ituros negant. Tum Berciaius perſpecta eorum voluntate coa-

ctus

An.1657 ctus conſilium ad Mehemetem ſcribendi probat; *Se invito Principe hoſtes adire non poſſe, ne ſcelus in eum concepiſſe viderentur; ſi expectare vellet, dum ab Ragotio hæc poteſtas fiat, quod futurum ſperarent, poſtquam concilium Albæ Juliæ indictum dimiſiſſet, libenter ſe ei ſatisfacturos*. Reſponſo hoc Mehemetes permovetur; maxima vero iracundia Chiuperlius exardet, quum eum pecunia corruptum id renunciaviſſe ſuſpicaretur. Nam in animum inducere non poterat, eo temeritatis Tranſylvanos proceſſiſſe, ut omnes ſua mandata ſpernere conſenſiſſent. Explorandi cauſa, ſimulque Tranſylvanos docendi legatum Albam Juliam mittit, *ſe nunquam propter Ragotii perfidiam de ſua in Tranſylvanos benevolentia antea diminuiſſe, quod coactos eos Ragotio parere arbitrabatur; at nunc quum omnes conſentire comperiſſet, quia in colloquium venire invitati gravati eſſent, ſibi conſilium capturum. Regi tamen clementiæ locum relictum eſſe, ſi Ragotium vel vivum, vel mortuum traderent. Cogitarent igitur etiam atque etiam, utrum plus præſidii in Ragotio, quam virium Turcis ſit*. Quæ dicta ubi legatus dedit, pavidi Tranſylvani rem ad Concilium deferunt. Nonnulli ſuo metu aliorum terrorem metientes, materiam Turcis Tranſylvaniam ſervituti addicendi præbendam non eſſe cenſent; *optimum eſſe ſi Ragotius pro communi ſalute ſe Principatu abdicaret*. Pars *id Turcis maxime inſitum*, dicunt, *ut timidos perſequantur, alacreſque timeant. Ejus rei teſtimonium eſſe, quod ubi Tranſylvanos animo non deficere intelligebant, bellum tantummodo apparare auſi eſſent: nunc autem quum timorem perſpexiſſent, bellum inferre eos non dubitare. Ne oſtenderent imminutum eſſe animum, ſi pace frui vellent; nec ejus poſtulatis aures præberent, quoniam eo pertineret Chiuperlii conſilium, ut peritiſſimum Ducem, magni conſilii virum, atque magnæ apud Valachos, Moldavos, Coſacoſque authoritatis hominem ſuo juſſu interficiendo, ſe facilius opprimeret*. Hæc Ragotii partium hominum oratio ex ore ipſius mitti videbatur, quod ipſe aderat. Hac de cauſa reliqui in horum ſententiam diſcedunt. Jam dies inſtabat, quo legati ad Mehemetem, exponentes, diſcedere ſtatuerant; *Tranſylvanos, neque impares rei animos gerere, neque libertatem deſerere velle*, quum Scytharum adventus conſilium hoc omittere cogit. Nam illi poſteaquam in Tranſylvaniam pervenerunt prædam agitare, agros, caſtellaque incendere, omnia crudelitatis exempla in obvios ſtatuere incipiunt. Tot, tantiſque malis vi occurrere non poſſe Tranſylvani rati, Ragotium majorem in modum orant, *ſui periculi rationem habeat; magnam gloriam ad ipſum perventuram, ſi Turcis ſatisfaciendo omnibus pro-*

ſpi-

Digitized by Google

ſpiciat. Scytharum excurſionibus, & multo magis timore ſuorum, quos ſibi privatim conſilium capturos ſuſpicabatur, permotus Ragotius, quum aliam periculi vitandi rationem ſibi relictam non eſſe videret, quam Principatu abire, hoc facere ſtatuit. Nam hanc rem non eſſe impedimenti loco videbat, quominus eum denuo occiperet, vel quum Turcas domum ſe contuliſſe, vel quum eos majoribus rebus aſtrictos eſſe intelligeret. Hæc cogitanti Franciſcum Redaium ſibi opportunum eſſe occurrit, quod eum neque authoritate, neque magnitudine animi, neque divitiis ſuæ cupiditati obviam ire poſſe cognoſcebat. Antequam Principatu abire ſibi in animo eſſe diceret, optimum eſſe judicavit, per ſuos familiares cum Redaio agere, *quoniam Principatu abire ſtatuiſſet, & permagni ſua referre cognoviſſet, quam amiciſſimum Principem, ac ſuo beneficio obſtrictum habere, placere ſibi, Tranſylvanos orare, ut ipſum Principem crearent*. Lætus hoc accipit Redaius, atque ſe nunquam in referenda gratia ingratum fore pollicetur. His rebus compoſitis, Ragotium nequicquam Berciaius orat, ut petitionem ſuam curæ habeat; quoniam magni animi, ac rerum novarum ſtudioſo homini, qui ſuis conſiliis officeret, favere, ſummæ dementiæ Ragotio videbatur. In vulgus ergo ſimul allatum eſt, Georgium pro civitatis ſalute Principatum deponere velle, &, dejecto Berciaio ſibi fido, Franciſcum Redajum, utpote Reipublicę opportuniorem, Principem fieri optare, gratias Deo omnes agunt, quod eam mentem contra omnium opinionem audaciſſimo viro dediſſet, quæ deſiderium Principem iterum eum creandi faceret, ſi facta ab Mehemete Rege poteſtas eſſet. In ſuffragium miſſi, omnes Franciſcum Redajum, Berciajo graviter repulſam ferente, Principem probant, ea tamen lege, ut, Turcarum Rege concedente, Ragotium iterum Principem haberent. Agit gratias omnibus Ragotius, quod optimam in ſe voluntatem demonſtraviſſent, ſemperque Civitatis dignitatem primam ſe habiturum pollicetur. Tranſylvani poſt unam libertatem ſe tanti viri decus habere dicunt; tantaque fuit lætitia, ut omnibus manarent gaudio lacrymæ. Diſcedentes in hanc ſententiam ad Chiuperlium litteras mittunt; *quoniam Ragotius ſponte Principatum depoſuiſſet, perſuaſum ſibi habere, ſe ſine pudore poſſe nunc petere, ut Scythas revocaret, ne quidquid illi ſibi calamitatis inferrent, Regi fideliſſimi patiantur*. Litteras magno gaudio accipit Chiuperlius, utpote qui inimico pœnas veniſſe intelligebat. Sed quia non hanc unam fuiſſe armorum cauſam ſupra demonſtravimus, *ignoſcere non poſſe Tranſylvanis* dixit, *niſi oppidum Ienum ſibi traderent; ut hoc ad eos in officio continendos pignus haberet, qui non voluntate; ſed* An. 1657

C *per*

An.1657 *per vim ſe in fide eſſe demonſtraviſſent*. Ad deliberandum de tanta re quindecim dies, ipſo concedente Chiuperlio, Tranſylvani ſibi ſumũt. Quorum animos ut ſibi conciliaret Chiuperlius, eorum gratia Scythas Tranſylvaniæ finibus excedere juſſiſſe dicit, (adeo conſilium cum homine ſtabat, ut gratiam ab aliis inire quæreret etiam pro rebus illis, quas ſua cauſa faciebat) quum re vera ad conſilium deſcendiſſet, ut eos contra Conſtantinum Serbanum, Stephanumque Georgitiam mitteret, quos Ragotio conjunctiſſimos eſſe ſciebat: nam Principatu expulſos Ragotium confirmare non poſſe ſciebat. Scythis Siliſtriæ Præfectus cum iis copiis, quas cogere Chiuperlii juſſu potuit, ſeſe conjungit. Quorum adventus etſi novus Conſtantino extitit, tamen ut delectum Ragotio ſubveniendi cauſa habuerat, illis copiis paululum reſtitit; deinde omnes orans, ut libertatis cauſa arma caperent, ad hominum millia triginta coegit. Confiſus ergo virtute, & fidelitate ſuorum acie congredi ſtatuit. Valachis primo neque virtus, neque conſilium defuit: nam ſubſidia, & ordines ita ſtatuerunt, ut victoriam eos adepturos quis credidiſſet; ſed, quum Turcarum numerus frequentibus ſubmiſſis auxiliis creſceret, de victoria deſperantes, quod amplius millia quatuor ex ſuis cecidiſſe viderunt, ſeſe fugæ mandant. Sperabant enim regionem hoſtibus ignotam ſe eſſe tutaturam: ſed aliter ſe res habuit, quum eos Turcæ conſectati non paucos interficerent. Serbanus unus ex media ſuorum cæde profugiens, incolumis in Tranſylvaniam pervenit. Hunc paucis poſt diebus Stephanus Georgitia ſecutus eſt: namque quum acie dimicans eandem fortunam tuliſſet, Ragotii opibus in calamitate tegi neceſſarium duxit. Ragotio quum Chiuperlii poſtulata Turcarum aviditatis incuſandæ occaſionem dediſſent, turbari iterum in Tranſylvania res cœpta eſt. Nam hic primo occultis ſermonibus ſenſim ſe libertatis vindicem pollicitus eſt, deinde, multis in ſuam ſententiam perductis, palam dicere cœpit. *Quid moramini? Agite Deo gratias Tranſylvani, quod hoc tempore, quo remedium rei eſſe poteſt, vera eſſe experti eſtis, quæ in concilio de Turcis ſint dicta. Maxima mediusfidius imminerent mala, ſi res integra non eſſet. Moremgeretis ne eis, quibus alia petendi mos eſt, quum prima impetraverint, an millies mori potius pro libertate parati eſtis? Patiemini ne, vos inultos amittere libertatem, an potius luctuoſam hoſtibus victoriam facere decreviſtis? Agitedum ſequimini me ducem non modo verbis alacrem, ſed etiam re ipſa ferocem. Meis dictis audientes ſitis; mea facta æmulemini, oportet, ſi id liberis tradere cupiatis, quod a majoribus accepiſtis. Mea mens nihil præter veſtram incolumitatem videt. Mea conſilia non* alio

alio pertinent, niſi ut liberi, ut felices vivatis, ſive dominationis expertem me eſſe, ſive fortem animum gerere oporteat. Animo moderato ut fuiſſe me ſatis apparuit, quum pro veſtra quiete Principatum depoſui, ita nunc eadem de cauſa Imperium occipiendo animi magnitudinem, ac audaciam præbiturum ſpero. Hæc, atque his ſimilia omnibus referens ſermonibus Georgius effecerat, ut qui omnibus carus propter moderationẽ erat, nunc, quod bonum publicum pro ſe certans ſimulabat, omnes in ſe converteret. Tranſylvani, nunquam ſe civitatis conſervatori defuturos, ingenti acclamatione profitentur, atque iis inſultant, qui perſuadere nituntur, ut potius Jenum, quam libertatem amittere velint: timiditatem Redaii execrantur, quod ſuum ille, non publicum commodum reſpiceret, orant præterea alios, ut poſthabitis privatis ſimultatibus Ragotio uno libertatis vindici parentes, injurias ab ſe propulſent. Qui ubi majorem Civitatis partem conſentire intellexerunt, Ragotii animi magnitudinem ad Cœlum ferunt, unum Georgium clarum, magnumque habendum dicunt. Id dedita opera, vel neceſſitate cogente ſimularent, an, quod a ſententia diſceſſiſſent, affirmarent, ſatis mihi non conſtat: unum tamen non ignoro, quod Ragotius horum voluntate confiſus bellum apparare, litteraſque ad Conſtantinum, Stephanumque mittere, *pauliſper impetum Turcarum ſuſtinerent, nec acie dimicarent; celeriter ſe Tranſylvaniæ rebus compoſitis ſubſidio ipſis venturum. Tum inclinandam rem fortunæ dare optimum eſſe.* Sed quum diutius in delectu habendo, Jenoque muniendo moratus eſſet, prius ex fama, poſtea ex ipſis de eorum caſu cognoſcit. Quamobrem tantus terror inceſſit, ut qui maximam ſpem in horum ſubſidio poſuerat, & facilius rem ſive per vim, ſive per metum in concordiam redigi poſſe ſperabat, nunc non dubitandum exiſtimaret, quin Turca recentibus victoriis elatus, atque injuria incitatus rediret. Sed non oblitus ejus, quod ſæpe ſermonibus referebat, mortem ſui contemptores effugere, pavidoſque conſequi, negotio non deſiſtit, ſuoſque, quorum partem magnam adverſarum rerum timor ab ſe alienaverat, orat, ne ſe tam perculſos præberent, ut prius quam hoſtes adeſſe nunciarentur, libertatem defererent. Sed ubi, ab nonnullis timore præoccupatis neque preces, neque minas audiri, ab aliis vero ſe confirmari, Ragotius intellexit, conſilium inire cupit, quemadmodum unam totius Tranſylvaniæ efficeret voluntatem. Hæc ſecum volvente nova diſſenſionis cauſa orta eſt. Nam quum Redajus, Ragotii cauſam ab Tranſylvanis probari videns, vim non facere conſtituiſſet, tamen confirmatus ab aliquibus An.1657

 bus

An. 1657 bus ad publicam ſuſcipiendam cauſam ad Georgium ſcribere conſtituit, *ſibi mirum videri, cur ipſe Turcis occaſionem Civitati perniciem machinandi daret, præcipue quum id contra jurisjurandi religionem efficeret.* Ad quæ Georgius, *ſe Sacramento illo non teneri* reſpondet, *quod ipſe prius non reſpexiſſet. Suum in Civitatem ſtudium pati non poſſe, ut timidus, ac mollis homo eam moderetur, qui ne Jenum quidem munitiſſimum oppidum defendere conetur.* His litteris ad Redajum perlatis, quum nihil de audacia Ragotium remiſiſſe cognoſceret, concilium Megii indicit: omnes enim Ragotium deſerturos confidebat, quum eos ipſe edocuiſſet, quid mali immineret, ſi obſequiis ejus audaciam augerent. Redajum tamen opinio feſellit, etſi multitudini expoſuit, ſe certis authoribus comperiſſe, *Turcas ampliorem, quam antea exercitum coegiſſe, ut injurias ulciſcantur: non eſſe rem eorum judicii eis hanc dare occaſionem, quum ab armato iniquiſſimas accipere conditiones inermes neceſſe haberent: dementes ipſos eſſe, ſi eis obſiſti poſſe ſperarent, quum ſuarum, & hoſtium virium ignari non eſſent. Ragotii ſocios victos eſſe; eundemque divitias profuſiſſe, ipſum teſtem haberent, quod in concilio vix quinquaginta nummorum aureorum millia ſibi eſſe profeſſus eſſet. Quid hæc contra tantum hoſtem?* Vix hæc dixerat, atque ingenti gaudio afficiebatur, quod cum aſſenſu ſe legatos audiviſſe perſpexerat, quum Haidones, gens maxime bellicoſa, & Ragotio cupiens, ab eo ſollicitati, ut in ſuffragium irent, frequentes armati Megium veniunt, ſic animo parati, ut armis, niſi jure rem aſſequerentur. Perculſit res inexpectata omnes, propterea legatum ad eos mittunt, qui concilii verbis interrogaret, quid ſibi vellent, quum armati veniſſent. Tunc unus qui reliquos dignitate excellebat pro omnibus reſpondet. *Proh impudentiam! Tam ſe Redajus, reliquique rerum imperitos ſimulant, ut ex eis quærere optimum ducant, quid ſibi ii vellent, qui libertatem recuperare exoptant. An ſemper nos cæcos futuros ſperabant, adeo ut ſervorum loco perpetuo haberi pateremur? Illuxit illuxit dies, quo nihil aliud ex omnibus fortiſſimi petimus, quam ut id nobis liceat, quod Tranſylvanorum ignaviſſimo licere conſtat. Utinam ita hi eſſent de libertate ſolliciti, uti in nos dominari deſiderant, quorum virtute, & ſanguine patria in libertate permanet.* Hæc verba ex Georgii ore miſſa haud dubie viſa ſunt, nam quomodo huic tantum facundiæ, agreſtibuſque conſilii tantum eſſe poſſe, quis crederet, ut ad concilium adhiberi nunc cuperent, quum ab hominum memoria nunquam eorum ſuffragium obſervatum fuiſſe conſtaret? Igitur ab Ragotio ſibi eam injuriam irrogari arbitrabantur, quæ ab Haidonibus infere-

rebatur. Hac de cauſa, & multo magis, quod illi, quos in clientelam ſe Ragotio dicaviſſe conſtabat, armati veniſſent, dubii ab ejus amicitia ſe avertunt. Jam enim pro certo habebant, Georgium libertatis ſpecie Civitati perpetuam injungere velle ſervitutem. *Jam merito ab audaciſſimo homine Turcas pœnas expetere dictitabant: ſummę ſe dementiæ accuſandos eſſe, quod ejus honoris ſummo cum ſuo periculo adjutores eſſe vellent. Cur Turcarum dictis audientes non eſſent, quum ſatis, ſuperque apparuiſſet, eos nihil in Tranſylvaniam gravius decernere velle, ſi Ragotius deſeratur? Cur libertati non proſpicerent, quæ haud dubie in diſcrimen Ragotio imperante ventura eſſet?* Alii vero, qui in Ragotii amicorum numero erant, dicebant; *Conſiderarent etiam, atque etiam, quo procederetur, quid grave in Ragotium decernendo, quum liberi, conjuges paſſuri eſſent, quidquid Ragotius pateretur. Ragotium Turcis inviſum eſſe, quod fidei ſibi commiſſæ Civitatis libertatem defendat, amicum eis futurum, ſi eam prodiderit.* His in utranque partem diſputatis Ragotii litteræ recitantur, *ſe publicæ ſaluti non ſemel ſuam dignitatem condonaviſſe, & nunc millies ſi opus eſſet omnia ei condonare paratum eſſe, ſi id ex uſu Tranſylvaniæ eſſe cognoverit.* Hanc epiſtolam oſtentans Redajus ab Haidonibus obtinuit, ut nunc domum ſine maleficio redirent, & deinde potius jure apud ſe, quam armis de re diſceptarent, quam a majoribus non accepiſſent. Ad Ragotium omnibus approbantibus Dionyſium Bamphium legatum mittit, qui doceret, *concilii ſententiam eſſe, ut Principatu abeat; hocque non ex uſu Civitatis modo, ſed neceſſarium eſſe.* Bamphii vero Megium reditus eo majorem attulit dolorem, quo de certiore ſpe dejecti ſunt. Perſuaſerant enim ſibi, Ragotium in authoritate concilii, ut pollicitus erat, futurum. Mihi autem credere juvat, concilii decretis non ſtare decreviſſe eum, qui legato reſpondet, *Tranſylvanos ſive per vim, ſive voluntate ſe Principem habituros.* Igitur ut cuncti unam ſalutis ſpem in Ragotii moderatione verti non ignorabant, perſpecto nunc ejus propoſito tantus eis incidit terror, ut non modo mentibus conciperent, ſed jam Scythas ſuis in finibus verſari, prædam agitare, agros vaſtare, conjuges, liberos, parentes, ſemetipſos in ſervitutem abſtrahere, præterea flammæ ſonitum, & ruentium tectorum fragorem audire, arbitrarentur. Omnes enim non dubitabant, quin in ſe innoxios Turca ſuam erumperet iracundiam, velut per ſe ſtetiſſet, quo minus Georgius imperio non paruiſſet. Augetur non immerito terror, quum Georgius exercitum coegiſſe, & Megium caſtra moviſſe nunciaretur, quod dilacerari oportere non ignorarent, qui me- An. 1658

dius

An. 1658 dius inter duos non ira minus, quam cupidine excæcatos eſſet. In tanta tamen rerum deſperatione momentum ſpei apparuit, quod Acatius Berciajus, ſe ad Ragotium iturum, atque ei perſuaſurum pollicitus erat, ne ſua pertinacia in Tranſylvaniam potentiſſimum, ac ſæviſſimum armaret hoſtem. Hujus affirmatione in ſpem compoſitionis perveniunt, quia eum Ragotium cariſſimum habere cognoſcebant. Hortantur ergo, diſcedere maturet. Berciajus noctem, diemque iter agens ad Ragotium pervenit. Quid ei propoſuiſſet in incerto eſt, quoniam nec ſuſpicio abfuit, quin ejus opera admaturatum Ragotii conſilium eſſet. Expediebat enim Berciajo, qui ad Imperium vel malis artibus enitebatur, Ragotium ad furorem impellere, ut Principatu Redajum Ragotius, & ipſe Turcarum ope eum expelleret; & hac de cauſa eum apud Ragotium remanſiſſe nonnulli dixerunt. At alii eum dicentem, ſe coactum remanſiſſe, inque eam rem jusjurandum interponentem, audierunt. Hoc, quod nihil certo conſtat, nudum mihi proponendum videtur. His rebus cognitis, alius alium orat, ut ſibi conſulant, cum animo ſuo reputant, utrum Ragotio, an Turcis morem gerant; tandem præſtare videtur, quid ab Ragotio nunc pati, quum Turcarum auxiliis ſe defendere poſſent, quam Turcam exagitare, cui nulla ratione obſiſtere valerent. De his rebus legatos ad Turcas mittere decreverant, quum legatus ab Chiuperlio venit, qui Regis verbis gratias omnibus egit, quod Ragotium Principatu abire coegiſſent; dicit, quare in Regis fide ipſis manendum eſſet. Orationis vero exitus fuit, *Regem excuſationem accipere paratum eſſe; ſed documentum diutius non immorandi, quin juſſa exequerentur, dare velle; propterea ſtipendium duplicare, & quingentis nummorum aureorum millibus, necnon Jeno oppido Tranſylvanos multare conſtituiſſe.* Impoſſibile memoratu eſt, quanta ira hæc verba Tranſylvanos impleviſſent, quum ſubito dicerent. *Ventum ad finem eſt. Ultra tanta ambitio ferri non poteſt. Quid pejus victis accidere poteſt? Cur militiam detrectamus? Cur barbaris divini, atque humani juris expertibus obſiſtendi conſilia non inimus? Præſtat ſimul cum vita oppida, libertatem amittere, quam adempta libertate animam hoſtis beneficio retinere. Satis ſuperque uſque adeo erratum nobis eſt Ragotium conſervatorem noſtrum deſerendo. Dubitari certe deſiit, tantam Imperii libidinem niſi cum noſtra ſervitute extingui non poſſe.* Igitur voluntatum commutatione facta Ragotius ex magna invidia in eorum favorem venit, eumque magna lætitia Megio appropinquare accipiunt. Georgius quum propius urbem veniſſet, legatum ad eos mittit, qui in hunc modum locutus eſt.

Nec

Nec mihi, nec aliis mirum viſum eſt, vos ab Ragotio ſummis precibus non petere, ut vobis adſit, quum vobis perſuaſum habeatis, expulſo eo, perpetuam Tranſylvanis cum Turcis amicitiam futuram. Sed hanc opinionem vos falſos habere ſi primo non conſtabat, nunc certe exploratum eſt, quum in dies eorum temeritatem eo procedere intelligatis, ut ſemper aſperiora, atque libertati noxia imperent. Quid igitur vobis vultis, aut quid expectatis, ſi eos quotidie inſidias in libertatem parare juxta mecum intelligitis? Quin eorum fraudi non occurritis? An ſervitutis conditionem non abnuitis? Hoc, utpote fortiſſimis viris indignum, ne affirmantibus quidem vobis crederem. Agitedum publicam cauſam ſuſcipite: uno animo bellum gerere parate: ab Ragotio auxilium implorate, qui fortunam, quæcumque accidat, experiri paratus eſt. Publicam cauſam ipſe nunquam prodet, qualicumque in ipſum animo futuri eſtis. Hac de cauſa inimicitias cum Turcis gerit. Ejus virtus, ac in vos fides ipſis inviſa: ejus magnitudo animi formidoloſa Chiuperlio eſt. Non alio conſilio vos hortantur, illum ut prodatis, cui libertatem debetis, quam ut vos nefario ſcelere obſtringant, & ſibi faciliorem aditum ad exequendum, quod animo propoſuerint, parent? An.1658

Oratio non majore ſilentio, quam aſſenſu audita fuit; magnoque cum dolore ſuam infidelitatem ferre nunc dicebant Tranſylvani, præcipue quum Simeon Antonius Noitica pertuliſſet, Mehemetem Regem primo ſatis jam factum ad Ragotii audaciam infringendam exiſtimantem conſilium Chiuperlii gratia mutaviſſe. Venienti ergo Ragotio honoris cauſa Michaelem Soldalughium, Comitemque Nicolaum Zoloimium obviam procedere jubent omnes, qui concilio intererant: Redajumque hortantur, ut Principatum deponens Georgii opibus in calamitate tegi patriam ſineret. Qui ſive deſperatis ſuis rebus, quod neque ſuis, neque clientium viribus totius civitatis conſenſui occurrere poſſet, ſive quod placido ingenio erat, ſive denique quod non ſua, ſed publica cauſa honorem ingreſſus erat, de hoc non queritur; immo antequam domum diſcederet, Ragotium monuit, ut modis omnibus vel pecunia, vel alia re cum Chiuperlio in gratiam redire ſtuderet, ne in dubium bello devocaret, quod conditionibus haud dubie obtenturus eſſet. Hoc etiam cuncti ab Ragotio petunt, nihilo ſecius arma, omniaque appararet, ut illatum defendat bellum. Hoc ſe diligenter facturum Georgius promittens, omnibus precibus orat, *ne compoſitionis ſpe quidquam de bello apparando remitterent: ſe certis authoribus comperiſſe, Chiuperlium ferre non poſſe, Tranſylvaniam in ſua ditione non teneri: ipſum præterea turpe*

pe

An. 1658 *pe ſibi ducere, ſuo magiſtratus tempore inceptum non perficere. Sibi tamen vires ad reſiſtendum eſſe, præcipue ſi Georgitium, Serbanumque ſui ad Imperium evocarent, ut polliciti ſint, quod ultra Turcarum Imperia ferre non poſſent.* Multa in eandem ſententiam ab Michaele Micheſio dicta ſunt, quæ omnia bona ſpe Tranſylvanos compleverunt. Ragotius brevi Turcas affore providens exercitum amplioribus augere copiis, frumentum conquirere, tormenta bellica, atque omnia, quæ ad bellum uſui ſunt, parare. Quibus rebus expeditis, perſuadet Tranſylvanis, ut legatum ad Mehemetem Regem cum his mandatis mittant: *quoniam Redajus ſponte ſe Principatu abdicaviſſet, atque Reſpublica ſine optimo Moderatore eſſe nequiret, Ragotium iterum ad honorem ab ipſis evocatum eſſe, quum propter ſingularem ejus prudentiam, tum quod Regi ſatisfactum exiſtimaviſſent.* Simeon Antonius Noitica ad hanc rem idoneus viſus eſt, quia, quum paucis ante menſibus Conſtantinopolim petiiſſet, plurimos ex Turcarum primoribus, præcipue Chiuperlium, familiari amicitia ſibi conjunxerat. At Noitica legationis munus pro ſe recuſans, quod rem proſpere non ceſſuram judicabat, omnes ab munere ſuſcipiendo deterruit. Hac ſpe lapſus Ragotius, legatum ad Leopoldum auxilium oratum mittit. Cui reſponſum eſt, *Georgium ſpecie jura civitatis tuendi ſuam cupidinem explere; ejus conſilio Jenum non defendi, ſed amitti, quia, quum Turca ultum injurias veniat, eum arcendi facultatem non habeat. Ragotius Principatu abeat, ſibi curæ futurum, Turcas Jenum non petituros.* Tum legatus, deſperatis auxiliis, ut domo mandatum attulerat, Joannem Sagredum Venetorum legatum adit, atque orat, *ut ſui periculi rationem habeat Senatus: unum Georgium Turcarum victoriam diſtinere, quo devicto ſibi timere omnes cogerentur. Oraret Leopoldum, ſenatumque, in belli ſocietatem veniant: perfacile eſſe Turcas harum rerum opinione a bello deterrere.* Sagredo Veneti Senatus juſſu Ragotium confirmare, ne ſe deſereret, & Leopoldum monere opus erat, *ne tantum Turcarum viribus accedere pateretur, ut ab Pannonia poſtea eos arcendi facultas non ſit.* Eadem tamen Sagredus reſponſa tulit, atque Ragotii legatus; quæ quidem Veneto Senatui ingrata fuere, quum, quieti Ragotio ſtudente, omnem belli vim in ſe transferri oportere intelligerent. Sagredus igitur ſpe, qua una nunc poterat, Ragotium confirmare, brevique rei pecuniariæ ſubſidia Senatum ipſi miſſurum polliceri, monere, ut ad Pontificem Maximum legatum mitteret: *perfacile enim eſſe eum pactione Catholicæ veritatis amplectendæ ad ſibi auxilia mittenda impellere.* Hujus rei ſpes eodem tempore, atque Cæſaris reſponſum, ad Ragotium alla-

allata dolorem ex eo conceptum lenivit: nam Pontificis Maximi, An.1658
atque Venetorum auxiliis expleturum omnia confidebat. Sic magna ſpe ad Alexandrum ejus nominis ſeptimum litteras mittit, *ſe Divino Spiritu tactum cum Calvino amplius errare nolle, ſed in reliquum tempus cum Dei in terris Vicario ſapere paratum eſſe; idemque, ut alii faciant, ſe eniſurum.* Litteræ ab Veneti Senatus legato Alexandro redditæ ſunt, qui etiam Senatus verbis eum obſecrat, *ut Ragotium auxiliis confirmet, ne in deſperationem perveniens, conditionibus Chriſtiano nomine indignis pacem cum Turcis faciat. Permoveretur Venetorum exemplo, qui etſi multis ab hinc annis bellum ſuſtineant, & auxiliis egeant, ſubſidia tamen ei decreviſſent. Conſideraret, Turcarum temeritatem nunquam parvam fuiſſe, at nunc, Mehemete Chiuperlio ſummum magiſtratum majore cum autoritate gerente, maximam eſſe. Ei tam vaſtum animum ineſſe, ut nondum Creta, atque Tranſylvania perdomita, in ſpem Pannoniam, Italiamque velut jam conſummatum ſuam belli decus ſpectandi veniſſet. Leopoldo, Philippoque Hiſpaniæ Regi, perſuaderet, ut quam ocyſſime poſſent, malo occurrant. Sera auxilia impedimento eſſe non poſſe, quominus Turcæ in Pannoniam arma vertant, atque in Italiam exercitum traiiciant.* Alexander vir non minoris conſilii, quam doctrinæ, ad quæ ut vitæ integritas acceſſerat, religionis propagandæ occaſionem omittere turpe ducebat: quamobrem quum diu cum animo ſuo volviſſet, atque conſilium Cardinalium habuiſſet, tandem reſpondet, *non iniquiore in Catholicos animo Turcas eſſe, quam Hæreticos, quod minori ſævitia illi, quam hi Catholicos infeſtentur: dubitandum eſſe, Ragotium neceſſitate auxiliorum permotum litteras miſiſſe, non veritate Religionis adductum. Si modo Catholicum ſe eſſe profiteatur, ac pœnitentiæ ſigna mittat, ampliora auxilia etiam in tanta ærarii inopia miſſurum, reliquoſque Reges ad ejus auxilium concitaturum.* Dum hæc Romæ geruntur, Chenanius Sevaſius Budæ Præfectus ad Tranſylvanos legatum, queſtum, mittit, *quod iterum Ragotium Principatum adipiſci paſſi eſſent. Si bellum ſuſcipere nollent, Ragotium interficerent.* Legatum, qui hæc mandata pertulit, (tanta vis dementiæ verius, quam temeritatis ei inerat) in carceres coniici Ragotius jubet. De hac re ut omnes edoceat, concilium Albæ Juliæ indicit. In concilio Portiæ litteræ recitantur, *Leopoldum in ſe ſuſcepiſſe, ut omnia ab Turcis remittantur ipſis; at Turcas non eſſe mutaturos conſilium conſtare, niſi ubi audaciam Ragotium depoſuiſſe perſpexerint. Hortarentur igitur Georgium de hac re ipſi.* Litteris perlectis Ragotium omnes circumſiſtunt, atque orant,

D *ut*

An.1658 *ut, quoniam omnium Tranſylvanorum in ſe excellens ſtudium cognoviſſet, bene de ſe meritorum libertati ſuum decus æquo animo gratificaretur hoc tempore, quo alia ratio ſibi, ac omnibus conſulendi non eſſet.* Plura dicere cupientes interpellat Ragotius, atque levitatem increpat, *quum libenter mortem quoque eſſet ſubiturus, ſi hac re Turcarum voluntatem ſe redempturũ conſideret.* Multa præterea de Venetorum pollicitationibus, ac Pontificis Maximi voluntate addens, poſtremo orationem concluſit, *ſe honoris jacturam libenter eſſe laturum, ſi optime de ſe meritis Tranſylvanis expedire cognoverit.* Cognitis rebus omnibus in Tranſylvania geſtis quanta ira exarſiſſet Chiuperlius, explicatu difficillimum exiſtimo: conjectari ſolum libet, hominem omnium, quos ſuſtinet terra, ſuperbiſſimum maxime ad ulciſcendum eum ardere, qui ſuo imperio ſubjectus, tantum abeſt, ut ad ſanitatem reverti vellet, ut potius legationis jus violaviſſet. Et perinde ac ſibi uni legatorum nomen ſanctum non habere liceret, de hoc queritur cum Reningherio: cui neque objectare ei viſum eſt, Ragotium ejus exemplo id feciſſe, quoniam, antequam loqueretur, mandaverat, ne pro Ragotio verba faceret. Reningherius tamen, *non pro Ragotio*, inquit, *in quem alieniore animo Leopoldus, an Mehemetes ſit, in incerto eſt, ſed pro miſerrimis Tranſylvanis ſum deprecaturus. Illi vi Ragotii cauſam probant. Hæc durior eorum conditio eſt, ut unuſquiſque in eos doloris iracundiam erumpere velit, ſi quid ad ſuam voluntatem non faciant. Animadverte in Ragotium, non ab inſontibus Tranſylvanis pœnas repete, quum eos tibi morem geſſiſſe ſatis mihi conſtet. Quomodo enim quid gravius in Ragotium decernent, quum ille ſemper devotorum, ac equitatus numerum circum ſe habeat, oppidaque in poteſtate ejus ſint? Diutius enim non immoratus eſſet audaciſſimus vir, quin de illis ſupplicium ſumpſiſſet; quos ad imperatum non venire cognoviſſet.* Hæc ubi Chiuperlius vultu ad iracundiam compoſito audivit, *ſe non ignorare* dicit, *ipſum hanc inſtituiſſe orationem, ut perditum hominem, cujus patrocinium ſuſcepiſſet Leopoldus, defenderet: ſed ſe neque Ragotium, neque Chriſtianos Reges vereri; tantum fidem frangere dubitare, quoniam, niſi hac teneretur, omnes gentes nullo negotio perdomere valeret. Præbeat Leopoldus occaſionem, paret bellum,* inquit; *nihil hac re gratius mihi faciet, quoniam ea mala nunc ab trecentis hominum millibus feret, quæ alias paſſus eſſet, ſi fide opportunitatem potiorem habuiſſem, quum eo in aliis bellis occupato ab aliquo ex Chriſtianorum Regibus ad bellum ei inferendum incitabar.* Alia item oſtentat, quæ Reningherio terrorem inferrent. At ille animo non deficiens, reſpondet, *Leopoldum ſibi illatum bellum, præcipue injuſtum*

Digitized by Google

ſtum defendere non dubitare, quum Deus ſcelerum ultor ſedeat. Chiuperlio tamen cum animo ſuo volventi inveriſimile videbatur, Ragotium tantos ſpiritus ſibi ſumere potuiſſe, niſi magnis pollicitationibus inflatus eſſet. Cogitabat etiam, Leopoldo ingratum eſſe, munitiſſima Tranſylvaniæ oppida ab Turcis occupari: & huic rei occurrendi cauſa, exercitum Principi Annibali Gonzagæ in Pannoniam ducendum dediſſe conjectabat. Statuit itaque Chiuperlius, omnia in dubium non revocare, nec bellum aggredi, ſi Cæſarem ad Ragotio ſubveniendum paratum eſſe cognoſceret, quum ſeditioſos milites contra Venetos in Dalmatiam mittere, ibique eos dolo objectare poſſet. Hoc conſilium ut ad extremum reſervaverat, Leopoldum nunc alliciendum ſtatuit. Vocat igitur ad ſe Reningherium: agit cum eo humanius, *ſe conjectari non poſſe, qua de cauſa Ragotio Leopoldum opem ferre velle negaret, quum ejus confirmandi cauſa exercitus iter in Tranſylvaniam babeat, atque ei arcem quandam in Pannonia muniendi poteſtatem factam eſſe conſtet, ut ſi quid adverſi accidat, eo ſe recipere poſſit*. Ad quæ Reningherius reſpondet, *quod de exercitu dixiſſet, id fieri baud dubium eſſe, ut Scytbis excurſionum in Pannoniam, & Ragotio eodem ſe recipiendi facultas eripiatur*. Ne his quidem rationibus perſuaderi ſibi potuit Chiuperlius, Leopoldum alieno in eum animo non eſſe; immo ejus augetur ſuſpicio, quum Georgii litteræ ipſi redderentur; *ſe imperata facere paratum eſſe. Excuſationem ergo acciperet, cogitaretque, non ſemel opulentos, ac potentiſſimos Reges in catenis ab ignobilibus Ducibus babitos. Ipſe licet in banc ſpem ſuis opibus venire poſſet, tamen nonniſi laceſſitum ad belli conſilium deſcendere, & nunquam de ſtipendio recuſare ſtatuiſſe*. Chiuperlius intercepta pecunia, nuncium in vincula coniici jubens, Haſſanem quendam in Cretam mittit, qui primo Cuſſeini imperaret, ut tria veteranorum millia ſibi tradat, quibus ad imminens bellum uti poſſet; deinde præmiorum ſpe ei perſuaderet, ut Conſtantinopolim petat. Ad Scytharum Regem ſcribit, coactis omnibus, qui arma per ætatem ferre poſſent, Temeſuariam petat. Idem Budæ, Temeſuariæque Præfectis imperat. Sollicitudine tamen affectus, quod Leopoldum Ragotio favere pro certo habebat, ad eum Solimanum familiarem ſuum, qui omnia exploraret, legatum mittit. Qui ubi Viennam pervenit, reperit Leopoldum Francofurtum petiiſſe; traditis itaque Portię Chiuperlii litteris, *eodem contendere poſſet*, petit; *babere ſe quid cum eo de communi re ageret*. Sed ubi hæc poteſtas ipſi facta non eſt, Lubcovitio exponit, *Mebemetem Regem ſuum pacem cum Leopoldo colere velle, ubi, eum Ragotium deſeruiſſe, appareret*. Et poſtquam alia, quæ memoriæ An. 1658

An.1658 prodenda non videntur, addidit, unius Ragotii ſanguine belli flammam extingui poſſe concluſit. Litterarum ad Portiam relatarum eadem ſententia fuit. Ad quæ Portia reſpondet, *Leopoldum nunquam Ragotio auxilia miſiſſe, neque miſſurum eſſe: potius eum per legatos de Mehemeti parendo hortatum eſſe: utque gaudio ei fuiſſe nuncium, quod ſua conſilia ita apud eum valuiſſent, ut pertinacia deſiſtens, Franciſcum Redaium Principem creandum curaviſſet, ita maximo dolore famam accepiſſe, quæ de apparatibus ad eum pervenit. Daturum ſe operam, ut ad ſanitatem revertatur. Quod ſi nihil apud eum proficiat, ſummopere placere, ſi ab Ragotio uno, non ab Tranſylvanis pœnas expeteret.* Hæc ubi Solimanus Chiuperlio renunciavit, ejus animus ad lætitiam excitatur: minori enim certamine res omnes, quas animo propoſuiſſet, ſe obtenturum confidebat. Tamen, quod quandoque naturæ vitio fiat, ut de ea re, quam maxime cupiunt homines, dubitent, quum quæreret ex Solimano, quo vultu Conſiliarii ad interrogata reſpondiſſent? opulenter ne habitus eſſet? quid denique exploraviſſet? alia præterea, quæ manifeſta habere hoc rerum ſtatu ſuſpicioſus vir cupiviſſet; reperit eum regio pene cultu habitum fuiſſe; in finibus Præfectos quoſdam ei obviam proceſſiſſe; militumque præſidio mediocribus itineribus Viennam perveniſſe; eidem cum aliis ſecreto colloquendi poteſtatem non fuiſſe factam: hac de cauſa nihil explorare potuiſſe. Chiuperlius hac re ad ſuam opinionem addita non amplius ſibi dubitandum exiſtimat, quin Germani bellum parent, quũ ejus rei occultandæ cauſa officii ſpecie Solimano cuſtodes poſuiſſent. Mihi autem ſatis conſtat, Germanos vagandi facultatem Solimano non dediſſe, ne ad ſuos perferens, oppida non ſatis valido præſidio teneri, nec neceſſariis abundare rebus, eos ad bellum ſuſcipiendum impelleret. His rebus permotus Chiuperlius Sevaſio Chenanio Budæ Præfecto ſcribit, *ſuperſederet exercitum in Tranſylvaniam ducere: ſe imperaturum, quum ex uſu eſſet caſtra movere; interim circummiſſis exploratoribus omnia manifeſta haberet, & ad ſe perferret.* Hæc uberiora, ut fit, Georgius accipiens, ſimulque ſpe auxiliorum Romani Pontificis dejectus, necnon Sarmatarum minis permotus, qui, niſi pecuniam daret, quam ex conditionibus deberet, exercitum in Tranſylvaniam ſe introducturos profitebantur, Gabrielem Covarem cum litteris ad Leopoldum mittit. *Se non tam Imperii cupiditate Principatum amplexum tenere, quam quia turpe ſibi duceret timoris dare ſuſpicionem, & demonſtrare, ſibi magis in otio, quam in bello Principatu frui placere: ſe Tranſylvanos auxilium omnibus precibus implorantes deſerere ignominioſum putare, præcipue quum nunc Tur-*

cæ

cæ Jenum petant, oppidum eis non minus ad Tranſylvaniam, quam Pannoniam devincendam opportunum. Hac de cauſa Leopoldus quoque ſui periculi rationem habere deberet, auxilia ſibi mittendo; quod ſi faceret, præſidium Germanorum oppidis ſe recepturum, fide tamen data eos educendi, quum Turcæ quieti ſtudeant. Petit etiam, *ut prolationem ab Sarmatis impetraret: ſe pace cum Turcis facta pecuniam daturum.* Litteris perlectis Leopoldus conſilium habet; jam non dubitandum nonnulli dicebant, quin hoc conſilio Turcæ Tranſylvania potiri conſtituiſſent, ut poſtea Pannoniam majoribus exercitibus invaderent: ideoque Ragotium confirmandum, & hoc modo ei reſpondendum cenſebant, ut in ſpem auxilii veniens, alacriter bellum ducat. Contra alii, quum belli ſumendi tempus non eſſet, tam Ragotio opem ferre, quam id polliceri periculoſum exiſtimabant. Veriſimiliter id Turcis ab eo enunciari poſſe, vel uti eorum voluntatem redimat, vel ut novo conflato bello in ſpe victoriæ ſit: poſſe Turcis perſuaderi, ut, quum in Ragotium vindicatum ſit, Jenum Tranſylvanorum eſſe patiantur. Majori vero parti placuit, ut ei ſubſidia ſecreto mittantur, ne Turcarum amicitiam traditis oppidis redimere neceſſe habeat. Indemnitati proſpici ſatis poſſe, quum litteras ad eum, quæ teſtimonio eſſent, non mittant, ſed legatus eum bona ſpe compleat. Statuunt etiam Turcas facere certiores, ſe milites mittendo, qui oppida cuſtodirent, non Ragotii, ſed publicam cauſam defendere velle: injuriam nulli facere eum, qui ſua cuſtodit. Scribuntur in hanc ſententiam litteræ; ſed qua de cauſa ſtatim miſſæ non fuiſſent, nondum comperi; maximæ fortunę id fuiſſe tantum ſcio, quia minę etiam infecta re belli cauſa fuiſſent: nam quum Annibali Gonzagæ, qui imperii exercitus ſummam tenebat, mandatum eſſet, Jenum ut petens firmum præſidium ibi relinqueret, tamen partim quod frumentum eo anno in Pannonia anguſtius provenerat, partim quia Pannonii ſe Germanos oppidis non recepturos eſse profeſſi erant, eo non contendit. Nam, quo ſe reciperet, non erat, ſi quid durius accidiſſet, idcirco in Cituorum Inſula caſtra locat. Hic locus opportunus viſus eſt, quia flumine munitus, & Turcarum finibus ita proximus erat, ut eos præmetuere finitimis oppidis paucitas defenſorum cogeret: milites enim ex Urbibus eduxerant, ut exercitum ampliorem contraherent. Quod poſteaquam cognovit Sevaſius, eductos ex oppidis milites confeſtim eodem mittit. Hæc fuit cauſa, quare Temeſuariæ Præfectus Sevaſium apud Chiuperlium proditionis inſimulaſſet, adderetque ſe negotium confeciſse, ſi ſibi dimidia exercitus pars permiſsa fuiſſet. Chiuperlius utpote non immemor ejus, quod mandaverat, An.1658

ne

An. 1658 ne injuſſu ſuo in Tranſylvaniam contenderet, falſo Sevaſio obiici coniectat, quod pecunia ad Ragotii ſtudium perductus eſſet. Litteras tamen ad eum mittit, *ſi ſuſpiciones vitare vellet, in Tranſylvaniam advolans, Georgii caput confeſtim ad ſe referret. Nam ejus conſilium ſibi reprehendendum videri, quod dimidiam exercitus partem domum remiſiſſet.* Ad hæc Sevaſius reſpondet, *ſibi ſummæ dementiæ viſum eſſe, de ſuo dimicare, ut aliena occuparet: milites tantum ex oppidis eductos miſiſſe, ne Germani occaſione ad ea occupanda uti poſſent; præcipue quum ex excurſionibus, quas Pannonii feciſſent, eis pacem colere non placere, cognoviſſet. Se legatum res repetitum miſiſſe; quum redierit, reſponſum ad ipſum perferendum curaturum.* Litteras ubi accepit Chiuperlius ſummum eſſe Ducem Sevaſium dicens, ad Temeſuariæ Præfectum ſcribit, *quoniam mediocribus copiis aſperiora conficere pollicitus eſſet, veniſſe nunc diem, qui judicare poſſet, utrum Budæ Præfecto virtute, conſilio, & fide par eſſet, vel ne.* His litteris magis Temeſuariæ Præfectus permovetur, quam Sevaſius, & veluti proditus ab eo, quem prodiderat ipſe, tempus, hominumque perfidiam queri. Sevaſius vero, ſe jure dolere poſse, dicere. Itaque ex querimoniis primo ad contumelias, deinde ad arma deſcendiſsent, niſi Temeſuariæ Præfectus, credo ignominia adductus, cum ſuis copiis diſceſſiſset. Sevaſius quum Chiuperlii juſsa quamprimum efficere ſtatuiſset, atque de Scytharum adventu quidquam non perferretur, ſuis copiis inclinandam rem fortunæ dare periculoſum ratus, ſcribit ei. *Communi gloriæ, ac publicæ ſaluti daret, ut controverſiarum obliviſceretur, atque Regis dignitatem privatare ſibi potiorem eſſe, demonſtraret.* At ille quum neque pertinacia, neque itinere deſiſteret, tamen Sevaſius precibus finem non facere paratus, niſi de ſententia hominem dimoviſset, ad eum quatuor Præfectos, orantes, mittit, *ne eam maculam Turcis vellet, ut quum ipſe cum copiis diſcederet, Sevaſius quoque domum repetere cogeretur. Diſceſſum a timore natum hoſtem ferociorem, ſuos perculſos facere. Propterea in manu ſua victoriam eſſe, atque ab ipſo rationem repoſcendam eſſe, ſi quid adverſi accideret, quum potius cauſa adverſi prælii, quam victoriæ comes eſſe vellet.* Alia quum addidiſsent Præfecti pervicerunt, ut partem copiarum Lippam mitteret. Quarum adventus lætas res Lippæ fecit, maxime quod eodem die miſsus ab Sevaſio Viennam rediiſset, qui renunciavit, Cæſari excurſionem a Pannoniis in Turcarum fines factam maximam attuliſse moleſtiam; eumque tanti facinoris authores manifeſtos habere velle, ut ſuppliciis diſcordiarum ſeminum tranquillas res faceret. Hic etiam Sevaſium docet, Metigerem Juriſconſultum

ab

ab Gonzaga cum mandatis ad ipſum miſsum, & minoribus itineribus ſubſequi. Hæc expectatio eum intra caſtra tenuit. Metiger poſteaquam in conſpectu Sevaſii venit, *Annibalem Gonzagam ſe ad ipſum miſiſſe* dicit, *ut renunciaret*, *ipſum non maleficii cauſa exercitum in Pannonia habere*, *ſed tantum*, *ut ab injuria militum, quos occaſio ſæpe ad prædam invitat*, *Pannonios prohibeat*. Ad quæ reſpondet Sevaſius, *ſe neque Leopoldi gratiam repudiare velle*: *exercitum in Ragotii perniciem ducere*, *quum ejus amentia jam longius proceſſiſſet*; *Jenum vero recipere velle*, *quia legibus ſancitum habeant*, *Turcas pati non debere*, *ut Chriſtiani ea oppida in poteſtate habeant*, *ubi templum Mehemeti inauguratum eſſet*. *Quum ergo id Bettelemo Gobore regnante eveniſſet*, *ſe ſalva Religione Chriſtianis Jenum relinquere non poſſe*. Metigerem donatum ab ſe dimittens Sevaſius, militibus pronunciat, uti in poſterum ad proficiſcendum parati eſsent. Nocte vero ſeditionis cauſa orta profectionis conſilium in longiorem diem transferre coegit. Nam quum equites illi, quos Spahios vocant, mercatorem quendam, ut ajunt Armenum, per vim domo expulisent, hic timens, ne avidi milites omnia diriperent, ut eum non fugiebat, perpetuo adverſus equites odio Prætorianos eſse, eos adit, magnoque ſublato clamore omnes in ſe convertit. Qui quum ex ipſo quærerent, quid rei eſset, ille tamen in eodem dolore permanens, atque vocem diu non exprimens, tandem infit. *Quid gravius hoſtibus*, *quam amicis ab equitibus accidere poteſt*? *Quid magis a perditis hominibus mihi timendum erat*, *quam ab Turcis hodie patior*? *Coopertum miſeriis me domo expulerunt avidiſſimi*; *nihil reliqui mihi fecerunt*; *omnia diripuerunt*; *vitam eo conſilio non eripuerunt*, *ut in maxima mala*, *amiſſis omnibus*, *præcipitatus vitam morte graviorem exigam*. *Niſi quid in Prætorianis adverſus tantam ſævitiam præſidii ſit*, *tantam aviditatem divitiæ explere nequibunt*, *quin ipſi manus eorum effugiamus*. *Agitedum date operam*, *ut Orbis terrarum intelligat*, *vos Imperii ſpem unam eſſe*, *quum miſerorum injurias curetis*, *& merito inimicitias cum peſſimis omnium geratis*. Hæc dicta adeo Prætorianos accendunt, ut cohortati inter ſe, ne tantum facinus impunitum relinquerent, contra illos procederent. Ubi pervenere, de improviſo in incautos impetum facere, obtruncare alios, alios vulnerare, gladiis rem gerere. Equites etſi improviſa re perculſi rei non deeſſe, impetus excipere, & in eos facere, pro viribus ſe ab vi defendere. Plures utrinque interfecti eſſent, niſi ad ululatum Sevaſius conveniens, reliquos arma capere, & ad ſedandum motum contendere juſſiſſet. Ipſe inter eos verſans. *Quid armis*, inquit, *inter commilitones opus eſt*? *Ferociam* ad-

An. 1658 *adverſus adventantem hoſtem, non adverſus Cives oſtendatis, oportet. In illos, non in hos viros eſſe decet.* Sed ubi preces non audiri animadvertit, ab eis ad minas nequicquam primo vertitur, poſtremo juſſis militibus, quos ſecum duxerat, in ſeditioſos ſe eiicere, atque repugnantes interficere, arma vero abiicientes non violare, prælium dirimit. Sedato tumultu caſtra movere propoſuerat, quod otio controverſias ali rebatur; ſed quum in mentem veniſſet, perculſos hoſtibus obiicere periculoſum eſſe, ſpatium ad eorum ſanandas mentes interponendum decernit. Incommoda Turcarum pleniora etiam, ut ſolet, per mercatorem, qui ex fuga ſe in Tranſylvaniam receperat, ad Ragotium perlata, impulerunt eum, ad ſecum reputandum, utrum rei bene gerendæ occaſionem dimitteret. Cogitabat, ſe facilius Carolo Rege deprecatore cum Turca in gratiam redire poſſe. Cur igitur fortunam periclitaretur? Carolum omni ſtudio ſuſcepturum negotium, quod ſua cauſa in maxima malã præcipitatus eſſet: Turcas ejus preces ſpernere non poſſe, quia a bello vacuus injurias neglecturus non eſſet. Præterea, quum victoriam adeptus eſſet, nihil tamen ad ſummam rerum proficì, quoniam Turcæ infamiæ ſarciendæ ſtudio majorem vim eſſent præſtituri. His omnibus de cauſis ad Chiuperlium ſcribere placuit, *ſe ejus benignitate, ac humanitate confiſum, beneficio fortunæ ad opprimendos diſcordes, incautoſque uti nolle.* His expeditis rebus Albam Juliam, ubi concilium habebatur, magnis itineribus petit, ibi Tranſylvanis proponit, *etſi Turcas, quoniam ad vim deſcendiſſent, nullo negotio pellere ſe poſſe cognoſceret, tamen compoſitionis ſpe captum tantam opportunitatem corrumpere, quum incolumibus Tranſylvanis rem obtinere ſtatuiſſet. At ſi Turcæ ſatisfactionem non accipientes bellum inferrent, libenter ipſi quoque conſilia in bellum converterent, præcipue quum Leopoldi, atque Caroli auxiliis in magna victoriæ ſpe eſſent.* Tranſylvani etſi omnia hæc uberiora ab eo commemorari ſciebant, ut ſe ad bellum impelleret, tamen libenter bellum ſe ſuſcepturos reſponderunt, quum libertatem in dubio eſſe conſtaret. Horum, atque Leopoldi pollicitationibus inflato Georgio Caroli litteræ redduntur, *tanta iracundia in ipſum eſſe Chiuperlium, ut parum abfuiſſet, quin legatus, qui de compoſitione mandata pertulerat, violatus eſſet.* Nunc cunctandum non exiſtimat Ragotius, quin contra Sevaſium iret, antequam cum Scythis ſe conjungeret: ſperabat fortunam, ſi victoriam nunc daret, ut animo providebat, alios caſus poſtea allaturam. Quantum igitur accelerari poteſt, cum equitum millibus quinis ad Lippam contendit. Quumque unius diei iter abeſſet, quingentos explo-

plorandi gratia mittit; qui inopinantes centum ex hoſtium exploratoribus nacti, in eos impetum faciunt. Illi, nonnullis interfectis, quum ſibi neque fugæ facultatem relictam viderent, ſine mora ſeſe eis dediderunt; inter quos nonnulli erant Præfecti, quorum maxima erat inter ſuos authoritas. Qui ad Georgium perducti, quæ in caſtris gererentur, enunciant. Adduntque ex decem Turcarum millibus quatuor millium virtutem maximi haberi, reliquos modo conſcriptos, atque per vim ad bellum evocatos plus de ſe domum recipiendo, quam de bello cogitare. His rebus cognitis veluti explorata victoria, *milites adderent gradum*, Georgius orat: *quam ocyſſime poſſent, non adipiſci victoriam, quæ libertatem pareret, ſummæ dementiæ eſſe*. Tantum igitur fuit in equitibus ſtudium, ut tertia hora hoſtem in conſpectum daret. Ragotius quum æquo loco pugnandi facultatem non eſſe videret, quod Sevaſius prope Lippam, veluti pro oppido, copias collocatas habebat, tormentaque opportune in quibuſdam collibus non procul Mariſio flumine collocaverat, conſilium capit Aradium, id erat caſtelli nomen, ad Mariſium flumen poſitum oppugnare. Hac enim ratione, vel hoſtem ad pugnam ſe eliciturum, vel ſuos alacriores effecturum ſperabat, quum hoſtes obviam ire incepto non auderent. Unum ergo elocutus, ut milites ad virtutem arrigeret, minora tormenta, quæ ſecum duxerat, in murorum perniciem diſponit. Tum Muſtafus Poſegæ Præfectus maximam ad omnes infamiam pervenire cognoſcens, quum, ne prælio dimicarent, Oppida expugnari paterentur, Sevaſium convenit, oratque, *ne deſides tempus tererent, timoriſque darent ſuſpicionem, quum ipſi equitatu abundent, & hoſtes neque numero, neque virtute ſibi pares ſint: ſuis animum minui, hoſtibuſque augeri periculoſum juxta, ac ignominioſum eſſe*. Sevaſius, quia nondum exercitui concordiam reſtitutam videbat, pugnam detrectat. At Muſtafus clariore voce. *Hodie ſane*, inquit, *meam operam communi Turcarum gloriæ præſtare ſi ingenium meum non cogeret, certe neceſſitas, ad Georgium docendum, impellit, Turcas non modo hoſtes non timere, ſed contemnere, quum omnibus copiis dimicare valentes, dimidia exercitus parte congredi non dubitent. Permitte mihi tria millia equitum, quæ ubi mille equitibus, totidemque peditibus, quibus præſum ipſe, adjunxero, prælium certa victoriæ ſpe inibo*. Sevaſius hujus authoritate adductus, ſimulque omnium militum vocibus prælii ſignum expoſcentium permotus, omnibus copiis dimicare ſtatuerat. Sed Muſtafus, quum ſuam alacritatem ad Cœlum ferri ab omnibus vidiſſet, ne Sevaſii quoque virtus laudari poſſet, petit, *ut copiarum partem*

An. 1658

An. 1658 *tem ſibi traderet, partem in ſubſidiis collocaret, atque, ſi auxilio opus eſſe cognoſceret, eas ſecum duceret; ſin minus, gloriam partæ exiguis copiis victoriæ facere ſuam ſineret*. Hoc non ingratum Sevaſio conſilium fuit, ſive quod maximam rei bene gerendæ fiduciam habebat, ſive quia aliorum periculo ſuum decus facere optimum ducebat. Muſtafus igitur, fortiſſimis quibuſque militibus lectis, magno animo quingentos paſſus ex eo loco procedit: in itinere milites hortatur, *ne ſuæ virtutis opinionem fallerent: nibil aliud ſe ab ipſis omnibus precibus petere, quam ut tales ſe præberent, qualem ſe ipſe geſſiſſet. Sibi eſſe in animo, non modo conſultorem, ſed periculi ſocium eſſe, aſperiora aggredi, & viam aliis ferro aperire. Neque ſe commiſſurum, ut, quum non magis pro ſalute, quam pro communi gloria dimicetur, victus in caſtra redeat. Demum in ipſorum virtute poſitum eſſe, vel opinionem, quam ſanguine, & laboribus majores peperiſſent, retinere, vel immutatum eſſe animum demonſtrare*. Ragotius ubi ad ſe veniri vidit, ſtatim oppugnationem dimittit: quod quum eſſent admirati nonnulli, *Quid admiratione*, inquit, *opus eſt, ubi una audacia ex uſu eſt? Tantumne otii eſt vobis, ut hæc reſpiciatis? En pugnandi, quam ſemper petiiſtis, facultatem. Agitedum arma capite, & ululatum veſtræ alacritatis indicem tollite. Et ſi quis veſtrûm pro qua re laborem ſumit, adhuc ignoret, ſcire juvat, pro liberis, pro conjugibus, pro focis, ac denique pro libertate, pro Religione ſe pugnare, quas nemo, qui virum ſe præbere ſtudeat, (ſi earum rerum jactura facienda erit) niſi cum vita amittere vult*. His dictis, ſubito duplicem aciem ducere cœpit. Muſtafus, quod longum venire certaminis tempus videbatur, ei occurrit. Prælium inceptum tale fuit, quale inter ambos ſibi fidentes milites, quos gloria, quos libertas ad virtutem excitaret, atque inter fortiſſimos, audaciſſimoſque Duces eſſe debuit. Nam pars clamorem tollere, ut ſuos confirmaret, hoſteſque terreret, pars id minus facere, ut magis ad prælium intenti eſſent, alii modo acrius inſtare, modo impetum ſuſtinere, plerique gladiis rem gerere, omnes egregiam virtutem præſtare. Duces apud primos agere, in confertiſſimam aciem ſe conferre, recentes pro defeſſis accerſere, omnibus proſpicere. Dubia victoria quum diu pugnaretur, Ragotius ultima experiri decernens, ſuos ut ampliorem animum præſtent, orat. Turcæ quoque viſa alacritate Tranſylvanorum rei non deeſſe cupiebant. Tanta utrinque alacritate pugnatur, ut in neutram partem inclinaviſſet acies, niſi fortuna Muſtafum in prima acie verſantem vulnerari paſſa eſſet. Nam Ducis caſu perterriti Turcæ prælium remittunt.

Hoc

Hoc acrius inſtant Tranſylvani, atque uno tempore in omnes partes ita impreſſionem faciunt, & in fugam dant, ut Sevaſio ad ſuis ſuccurrendum tempus defuerit. Turcarum plures in fuga, quam in pugna interficiuntur. Omnium ſumma ad duo millia fuerunt, in his Haſſan Præfectus ob fidem, virtutemque Chiuperlio carus: qui cognita ſuorum fuga potius mortem ſibi honeſtum exitum eſſe voluit, quam ante partum militiæ decus incolumis amittere. Quingenti vivi capiuntur. Ragotius impedimentis, tormentiſque potitur. Ex cujus exercitu minus quinquaginta occidiſſe fama valuit. Id ex vero Georgius celebraſſet, an oſtentaviſſet parum cognovi. Hoc tamen falſum non eſt, quod, niſi nox adfuiſſet, pontem occupaſſet, forſanque Lippam recepiſſet: adeo erant Turcę perterriti, ut potius fuga periculum vitare, quam virtute victoribus obſiſtere cuperent. Poſtridie Aradium deſerunt. Ragotius refractis portis ſine contentione in Caſtellum milites introducit: litteris, nuntiiſque victoriam apud Lippam partam concelebrat, uberiorem prędicat, omneſque finitimos hortatur, ut eam exercentes decoris, & prædæ vellent eſſe participes. Ad Leopoldum, *veniſſe tempus*, ſcribit, *quo ſine periculo Turcarum audaciam infringere poſſet. Turcas omnes perterritos eſſe: nihil aliud, ut victoria exerceatur, opus eſſe, quam Gonzagæ in Turcarum fines impetum faciendi facultatem tribuere: ſin id minus vellet, efflagitata, & promiſſa auxilia ſibi mittat, ut victoria uti poſſit.* Pannonios præterea monet, *ut per ſe in Turcas impetum faciant, quum ſine periculo amiſſa recuperare poſſent: rei bene gerendæ occaſionem dimittere non eſſe conſilium, quoniam eam ſemper reperire nequirent.* Ragotio id conſilii erat, ut Pannonios ſibi adjungens, occaſionem Chiuperlio belli Leopoldo inferendi daret. Secundoque prælio ſublatus maximos ſibi ſumit ſpiritus, partemque Tranſylvanorum ſuppliciis terret, partem re bene geſta ſibi conciliat. Quantam vero audaciam ſibi ſumpſit, impoſſibile memoratu eſt, quum Chiuperlii litteræ ipſi redduntur, *Mehemeti Regi ſummæ lætitiæ adverſum prælium ab ſuis factum fuiſſe, quod unam ipſius virtutem rei cauſam fuiſſe intellexiſſet. Summamque gloriam ad ſe perventuram, eum ſperare, quum ſtipendiarium tanti conſilii, ac animi habeat. Si ejus imperium in poſterum non ſpernere demonſtraret, atq; Conſtantinopolim, veniam oratum, veniret, fore ut in ejus favorem veniret.* Ex litteris Georgius conjecturam capiens, Mehemetem ſe artibus eludere ſtatuiſſe, cujus virtutem in acie invictam eſſe cognoviſſet, nimiæ in eos fiduciæ, quibus ſimulationem juxta, ac perfidiam innatam eſſe conſtabat, pœnas, ad imperatum eundo, reddere noluit. Chiuperlius vulpinam veſtem An. 1658

An. 1658 induere, etiam leonina non deficiente, optimum judicans, vel timorem ſimulando negligentiorem Ragotium facere, vel dolo interficere, ſi Conſtantinopolim veniret, ſtatuerat. Poſteaquam vero artem non procedere cognovit, exercitum cogit ingentem; oppidorum Præfectis imperat milites, quos ante certam diem Belgradum ducerent. Profectionis in Tranſylvaniam conſilio ſeditiones ortæ fuerunt impedimento. Nam quum potius ſtipendia in oppidis, quam in caſtris cum periculo facere vellent milites, atque Mehemetis authoritate ad bellum evocari cognoſcerent, communi conſilio ſtatuunt, quum ſigna moveri Chiuperlius juberet, dicto audientes non eſſe. Hoc celeriter ad Chiuperlium perfertur, qui Taſſium quondam Siliſtriæ Præfectum, quod equitibus acceptum, & rerum novarum avidum cognoverat, equites ad furorem impellere ſuſpicatus, eum ad ſe magnis pollicitationibus vocat. Venientis gulam frangerent, miniſtris rerum capitalium imperat. Tantæ rei ſenſus ubi pervenit ad milites, ſeditionem excivit. Nam ejus rei ſermones ſenſim ab Taſſii fratre ſati eo proceſſerunt, ut tandem ubique locorum, hæc, & his ſimilia audirentur. *Ecquando a ſuppliciis quieſcemus? Ecquando ſanguine fortiſſimorum virorum Chiuperlii aviditas explebitur? Quid deſides tempus conſumimus, atque taciti quodammodo ejus ſævitiam probamus? Cur borum morte eum ad aliorum ſupplicia aſſueſieri patimur? Palam obviam cupiditati eundum, antequam jugum accipiatur: acceptum enim nequicquam demere cupiemus.* Palam igitur concilia fiebant, atque ratio negotii perficiendi quærebatur. Hoc ubi Chiuperlio nunciatum eſt, Prætorianos appellans, ſibi pollicitationibus, ac præmiis eos conciliare ſtudet. At Prætoriani, etſi alieno quoque in eum animo erant, inſidiaſque ei machinabantur, tamen ſimulatq; inſidias Chiuperlio ab equitibus ſtrui intellexerũt, ſive ob perpetuum in ipſos odium, ſive eo permoti, quod, ſi equites Chiuperlium interficerent, hominem totum ipſorum ad Magiſtratum ſummo cum ſuo periculo evocarent, paratos ſeſe eſſe dicunt, Ducis ſui injurias defendere: ſtatimque captis armis equitum inſidias anteveniunt. Ita experientia compertum fuit, maximo cum periculo Chiuperlium de Zaimæ conſilio Prætorianos dimiſſurum fuiſſe. Sedato tumultu poſteaquam ſevere in motus authores vindicatum eſt, Chiuperlius ut ab cura milites averteret, profectionem repræſentavit. In itinere Marinus Giorgoglius ab Tranſylvanis legatus, orans, venit, *ut miſericordia in eos utatur, qui perpetuo in Turcarum Regis fide fuiſſent. Omnes ab ſe alienaturum, quum unam imperii cupidinem belli cauſam eſſe appareat: ne in ſuam contumeliam verteret, Georgium, ut ſe defenderet, Sevaſii e-*

xerci-

Digitized by Google

xercitum fudiſſe. Tranſylvanis in animo eſſe, ſe ab Turcarum amicitia non avertere, quum ſalva libertate poſſent. Ad hæc Chiuperlius, *ſibi nullam cum Tranſylvanis amicitiam eſſe poſſe, niſi interfecto Ragotio, atque Jeno tradito.* Quum unum libertatis vindicem interfici, atque Jenum hoſtium imperio adiungi, Tranſylvanos pati non poſſe, Giorgoglius reſpondiſſet; Paniottus legati Cæſaris interpres, vel quod hac re inire ab Chiuperlio gratiam cupiebat, vel quod præſtare intelligebat, imperata Turcarum fieri, quam libertatem amitti, eum monuit, *ne ſibi ab Georgio verba, ac voces ingeri ſinerent Tranſylvani, ſed potius unius incommodo publicæ quieti mederentur.* Hoc iterum ab ſuis Civibus fieri poſſe Giorgoglius negat. Tum Chiuperlius. *Ite, renunciate omnibus, me brevi cum exercitu affore. Conſiderent, ſi tantum præſidii in Ragotio ſibi ſit, quantum virium Turcæ habeant.* Aliquibus poſt diebus Temeſuariam perveniens, viginti hominum millia exercitui adjungit. Inde poſtquam aliquos dies Scytharum, ac Siliſtriæ Præfecti adventum fruſtra expectavit, tandem ad eos ſeverius ſcribens, Lippam petit. Simulatque eo pervenit, nonnulli ex Ragotii exercitu permoti fama ingentis exercitus ad Chiuperlium tranſeunt. Quidam ex profugis interrogatus, *ſe Germanum eſſe* reſpondet, *permittente Leopoldo apud Georgium ſacramentum dixiſſe: quoniam pluries efflagitatum ſtipendium ſibi propter ærarii inopiam non reddi vidiſſet, ad Turcas perfugiſſe, ne ad rerum omnium inopiam omnino adduceretur. Quaſdam cohortes ab Leopoldo ſubſidio Ragotio miſſas in itinere eſſe* addit. Hæc ad Chiuperlium rerum novarum cupidus perfert, ut auribus ſerviens, ejus gratiam redimat, non Ragotii juſſu, ut nonnulli ſuſpicati ſunt: nam etſi belli cauſam cum Leopoldo Turcis eſſe cupiebat Georgius, tamen quo conſilio metum, & inopiam oſtentabat, quum alacriores hoſtes fieri cognoſceret, etiamſi rumor ad novum bellum non incitaret Chiuperlium, ut accidit. Nam Chiuperlius ſibi eam rem cogitandam ratus, ut omnia manifeſta haberet, paululum ſuperſedere ſtatuit. Veriſimilius de Leopoldi voluntate dubitandum videbatur, quum fama evulgaviſſet, Germaniæ Regulos Leopoldum oraviſſe, ut, quoniam Cæſar creatus eſſet, Tranſylvanos ſubſidiis confirmaret. Sed ubi per dubitationem ſex dies trivit, nec quidquam de auxiliis fama perferri intellexit, Jenum oppugnare conſtituit. Scribit ad Portiam, *ſe iter in Tranſylvaniam habere, quia diuturniorem impunitatem Ragotio concedere animus non ferret: nihil contra Cæſarem, Tranſylvanoſque ſuſcepturum. Orare, ne eum auxiliis confirmaret: præterea honorem merito Leopoldo redditum gratulatur, deque ea re legatum miſſurum.* Litteris An. 1658

datis

An. 1658 datis Muſtafo Segeduni Præfecto, atque Halio cuidam hominum millia quaterna attribuit, qui locum caſtris deligerent, Jenumque aggrederentur: ipſe lentius ſubſequitur. Sub meridiem oppido appropinquans, optimo conſilio eos præmiſiſſe cognoſcit, quod, quum mille, & ſeptingenti ibi in præſidio eſſent, atq; ſeptingentos oppidi Præfectus miſiſſet, ut præſidio illis eſſent, quos per ætatem ad defenſionem inutiles oppido excedere coegerat, eos reditu præmiſſi Turcæ intercluſerunt. Maxima ergo lætitia Chiuperlius afficitur, quod facilius, re ad paucitatem defenſorum deducta, oppidum recepturum confidebat: non enim ignorabat, rem magni certaminis, ac periculi eſſe oppidum per vim expugnare, quum perpetuis cingatur paludibus, atque una ex parte, quæ ad meridiem vergit, anguſtum habeat aditum ponte, quem jam præſidium interruperat. Ad ſpem oppidi recipiendi propter defenſorum paucitatem accedebat, quod muri plurimum in altitudinem, minimum in latitudinem patebant, nec terra adverſus tormentorum vim protegebantur, ut recens militiæ ratio poſtulat: turreſque numero ſex certo quoque ſpatio inſtitutæ minime ad tormentis reſiſtendum erant opportunæ, quum oppugnationis ratione mutata, genera quoque munitionum mutari oportebat: quod factum non erat. Eodem die Chiuperlius exercitum oſtentare decernit, ut legatos de deditione mittere obſeſſos cogeret. Equitatum igitur in quatuor partes diviſum in quatuor angulis collocat. Eam partem, quæ a ſeptentrionibus eſt, Cuſſeinem cum Prætorianorum, ac Pannoniorum parte tenere jubet; illam, quæ ad occaſum ſpectat, Chinani concedit; eam, quæ ad orientem pertinet, Acmetem quendam Hiſpanum cum reliqua Prætorianorum parte occupare jubet; eam vero, quæ ad Meridiem vergit, ſibi, ſuiſque relinquit. Statutis tabernaculis omnia implent, ac horribilem ſpeciem ita præbent, ut, quum minus ex millibus quinquaginta exercitus conſtaret, amplius tamen octuaginta millia obſidere ſe cuſtodes arbitrarentur. Poſtridie Chiuperlius tormenta prope pontem collocari, opera ab ea parte inſtitui, virgultis, ſarmentis, terra, tabuliſque paludes compleri jubet, ut aditus ad oppidum hoc modo expediretur. His rebus inſtitutis legatum ad Ladislavum Vilachium, qui oppido præerat mittit, qui pecuniam, præmia, aut minas oſtentando, eum ad ſe dedendum cogeret. Vilachium etſi ſibi fidum Ragotius exiſtimabat, ei tamen familiaritas cum Acatio Berciajo intercedebat, qui eum hortatus erat, *ne Ragotii gratia, occaſionem Turcis diutius in Tranſylvania verſandi daret. Tranſylvaniæ totius commodum unius Ragotii temeritati anteferre optimum eſſe*. Vilachius Berciaii precibus per-

motus

motus,ſimulque pollicitationibus compulſus pravum conſilium conficere cupiebat, ſed maximam infamiam ad ſe perventuram præſentiens, ſi nulla urgente neceſſitate ſtatim deditione ſibi conſuleret, præterea timens, ne milites, oppidanique ſententiam acciperent, ſuſpicionem nullam dare conſtituit. Hac de cauſa legato reſpondere placuit, *ſe fidem erga optime de ſe meritum Principem conſervare ſtatuiſſe: nunquam futurum, ut ſe vivo urbs amittatur*. Hoc reſponſo accepto tanta ira Chiuperlius exarſit, ut in Berciajum, qui ad ſe ſcripſerat, *ſua opera factum eſſe, ut Vilachius ne portas quidem ei claudere audeat*, eam evomiſſet, ſi illius copia fuiſſet. Jam ſe deceptum exiſtimabat, quum tantam audaciam, ac animi præſentiam oſtentare non potuiſſe eum judicaret, qui per ſe infidelis eſſet. Hæc ſecum volventi Berciaii litteræ redduntur, quas confeſtim ad Ladislavum mitteret,ſi in ſuam ſententiam eum perducere vellet. In incerto habet Chiuperlius, mitteret ne epiſtolam. In altera parte erat fraudis timor, in altera ſpes quam ocyſſime negotii conficiendi. Suſpicionem tamen augebat, quod Berciajum litteris Pannoniis ſcripſiſſe judicabat, ne conſilia cognoſcerentur. Facilius enim fieri poſſe conjectabat, ut ſua opera Vilachius confirmaretur. At quum in mentem veniſſet, Acatium Principatum petentem beneficio ſe obſtringere velle, ejus fidei periculum facere ſtatuit; præcipue quum ab interpretibus confirmatum eſſet, Berciajum ſcripſiſſe, ne diutius Præfectus deditionem duceret. Epiſtolam ad Vilachium Chiuperlii familiaris perfert, qui ſimul eum pecunia aggreditur. Vilachius, remotis impedimentis,animum ab infidelitate continere non poteſt. Nam ſe militibus, oppidaniſque inſinuans, ſermoneſque aptos ferens, huc rem duxerat, ut ſe dedere non abnuerent. Qua facultate oblata Vilachius, legato reſpondet, *ſe a deditione non adhorrere, quum æquis conditionibus liceat*. Renunciat hæc ſtatim Chiuperlio legatus, qui libenti animo, unicuique oppido excedendi, vel remanendi facultatem tribuens, ſtatim Conſtantinopolim reverſurum pollicetur. Hac conditione quarto die, quo venerat, oppidum recipit. Militibus, oppidaniſque fere omnibus, lares, in quibus nati, educatique eſſent, relinquere ſatius viſum eſt, quam barbarorum ſervitutem perpeti. Fama recepti ab Turcis Jeni celeriter ad Ragotium perfertur; novaque res exiſtit ei, qui non parum Præfecti fidei, paludibuſque fidebat. Unum queſtus, quod impetum diutius non ſuſtinuiſſet, ne ad alia oppida expugnanda contendere Turcæ poſſent, in ea munienda totus inſiſtit. Tranſylvani ſolum abſente hoſte verbis feroces,finem periculis fieri non poſſe cognoſcentes, An.1658

pri-

An.1658 primo concilia remotis locis, deinde palam facere cœperunt. Hos nequicquam in fide continere Ragotius, ſimulando, conatur, Vilachium nihil aliud pactum eſſe, quam pacem. At quomodo Tranſylvanis fortis animus eſſe poterat, quum Ragotii commenta Turcæ factis confutarent? Nam Scythæ Mehemetem Chiuperlium conſecuti, prædam agitare, vicos incendere, hominum numero potiri, atque (ut quam pauciſſimis abſolvam) cæde, atque incendiis majore ſævitia, quam ipſorum conſuetudo ferret, omnia implere; & quo impunitiores, eo, contra atque ſolet, crudeliores eſſe. Spe prædæ omnia loca adeuntes, & ne Turcarum quidem fines intactos relinquentes, tandem cum Siliſtriæ Præfecto ſeſe conjungunt. Hic ut alio itinere venerat, Barca caſtello expugnato, ne ab infantibus quidem, ſenibus, mulieribuſque abſtinuit. Inde alias regiones una cum Scythis adiens, qui in manus veniunt, eos magnis cruciatibus interfici jubet. Tranſylvani in tanto terrore legatos ſui purgandi cauſa ad Chiuperlium mittere conſtituunt. Communi conſenſu Joannes Lueſius, Franciſcus Daniel deliguntur. Acatio Berciajo, qui, ſimulatque legatos mittendos conſuerant, ſe munus non recuſare profeſſus erat, gratias agunt. Nullo enim conſilio eum feris hominibus obiicere dicebant, qui ſuo conſilio maximo uſui Civitati eſſe poſſet. Sed Berciajus, ut omnino Mehemetem Tranſylvanorum juſſu adire decreverat, ne ſuæ cupiditatis ſuſpicionem daret, ſingulos prehenſare, atque orare, *ut publicæ ſalutis cauſa ſe laborem ſumere ſinerent: tanti patriæ quietem apud ſe eſſe, ut pro ea ad extremum vitæ periculum adire non dubitaret*. Publicum bonum ſimulanti, atque oranti id non denegatum eſt. Facta poteſtate Acatius alios legatos hortatur, *ut, quantum accelerari poſſet, iter haberent: incertum eſſe quid quodque temporis momentum ferret. Mehemetem cum exercitu Jeni tempus terere; merito timendum eſſe, ne rem novam ſuſcipiat. Quod ſi eveniret, difficile eſſe precibus inde Turcam detrahere. At ſi pervenire maturarent, pacem accepturos*. His verbis credentes Tranſylvani, in eum tanquam libertatis conſervatorem oculos coniiciunt: Deo agunt gratias, quod in tanta calamitate Civitati ſummum virum dediſſet: legatos hortantur, ne Berciaii ſtudio deſint. Igitur continuato noctem, diemque itinere (tanta imperii libido verius, quam boni publici cupiditas Acatium cœperat) Jenum pervenientes, ad Chiuperlium perducuntur. Lueſius orat eum, *ut Tranſylvanis, qui nunquam ejus gratiam repudiaviſſent, ignoſceret*. Alia dicere exoptantem Chiuperlius interpellat, trucique aſpectu dimittens omnes, Acatium retinet, eique gratias agit, quod egregium in Regem ſuum ſtu-

ſtudium videri cupiviſſet; pro quibus in ſe meritis, ſi quingenta nummorum aureorum millia daret, atque oppida Lugam, & Cheresbenium traderet, Georgiique caput ad ſe referendum curaret, ſe eum Tranſylvanis Principem impoſiturum, pollicetur. Sed ut iniquiores conditiones accepiſſet vir maxime Imperii cupidus, ſi ei latæ fuiſſent, omnia ad diem factorum pollicetur. His rebus compoſitis Berciajus Lueſio, Danielique tradit, *Mehemetem tanta contentione, ut principatum iniret, imperaviſſe, ut, quum Tranſylvaniæ imperare non poſſe reſpondiſset, niſi eum, qui omnium ſuffragiis crearetur, ira exarſiſset uſque eo, ut eodem loco alios, qui non obtemperarent, quo Ragotium habiturum minatus eſset; contra vero illico finibus exceſsurum, ſi ſibi mos geratur*. Lueſius, & Daniel ut pejora animo providerant, ſatis habentes quacunque conditione libertatem retinere, *quod bonum, fauſtumque Civitati eſſet, ipſi honorem reddi æquo animo ſe eſse laturos* reſpondent. Dum hæc ad Jenum geruntur, nuncius ad Chiuperlium perfertur, Haſſanem Aleppi Præfectum, quem ab Rege defeciſſe non ignorabat, Muſtafi exercitum fudiſse. His rebus nunciatis magna ſollicitudine afficitur; quoniam quum graves inimicitias ſecum Haſſanem gerere non ignoraret, atque ipſum, nunquam ab armis ſe diſceſſurum palam profeſſum eſse ſciret, niſi Cuſseini ſuo conſanguineo, aliiſque ſexcentis fortiſſimis viris crudeliſſime interfectis parentaviſſet, prævertendum huic rei, antequam ſeditioſi authoritas creſceret, exiſtimabat. Timebat præterea, ne Acatius defectione permotus, quod promiſiſset, non præſtaret. Hac de cauſa obſidum nomine Tranſylvaniæ nobiliſſimos numero quatuor petit. Quod ubi ad diem factum cognovit, litteras ad Adilem Chirayum mittens, *ne Tranſylvania excedat, niſi ubi omnes Berciaio paruiſse cognoviſſet*, magnis itineribus cum expeditis Conſtantinopolim petit; impedimenta, alioſque lentius ſubſequi jubet, ne defeſsos in Aſiam duceret. Ut pervenit, reperit milites omnes contra Regem, ac ſe conjurare, atque Haſsanis adventum expectare, ut ſe cum illo conjungerent. Dictitabant enim, *nunquam ſummo cum Imperio ſibi præeſse mulierem conſueviſse, quæ imperium, divina, atque humana ob imbecillitatem penes flagitioſiſſimum ex omnibus eſse pateretur. Regem parum ingenio valere, nec illis obſiſtere audere; præterea nec imperio idoneum eſse, quum ne filios quidem ex tot mulieribus ſuſcipere poſſet*. Hæc ſimul omnibus ſermonibus referebant, ſimulque Mehemetis Regis fratrem optimæ ſpei adoleſcentem ad Regnum evocare ſtudebant. His rebus plebis partem metus invadit, pars rerum novarum avida hæc conſilia non improbat, alii

An. 1658

Digitized by Google

An. 1658 Haſſani ſtudent, quod ita boni publici ſpecie ſuam tegebat ambitionem, ut, quum non pauca moderationis ſigna miſiſset, omnium animos ſibi conciliaret. Inter tot ſigna unum præcipue memoria dignum videtur, quod continentiſſimus in regia pecunia intercepta fuit, quum magno præſidio eam Conſtantinopolim ad Regem miſiſset. Apud Turcas ſicut avaritia conſuetudine leve vitium ducitur, ita exemplorum vetuſtate divina prope virtus vel turpi compendio non ſervire exiſtimatur. Chiuperlius ſibi diffiſus, quum ſuam ſalutem in hebetis adoleſcentis, ac fœminæ conſtantia poſitam eſse videret, Regem adire ſtatuit. In cujus conſpectum ubi venit, humi proſtratus, ac lacrymarum plenus, *ſibi nunquam ſuam vitam Regis ſui dignitate cariorem fuiſſe* dicit. *Seditioſorum morte tranquillas res facere voluiſſe, etſi in ſe potentium invidiam cumulari non ignoraviſſet. Nec minus libenter vitam quietis cauſa aliis ademiſse, quam ſibi adimi capere, quum Rex ſe vivum, & quietem habere non poſſet: ne communi commodo miſericordiam in ſe præponeret. Potius finem diſcordiis faceret, ſe diſſenſionum ſemen de medio tollendo.* At Mehemetes Rex, quum ei mater perſuaſiſset, ut potius omnia ab ſeditioſis perferret, quam id eis daret, ut quid gravius in eum ſtatueret, qui una Imperii ſpes eſt, dexteram ejus prehendens, conſurgere jubet; *tantique ejus gratiam apud ſe eſse* demonſtrat, *ut ipſe ejus injurias ulciſci decreviſset: cogeret itaque exercitum, quoniam inferre moram nullam vellet, quin contra perfidos proficiſceretur.* Omnia ſe curaturum Chiuperlius reſpondens, gratias immortales ei pro innumeris in ſe beneficiis agit. Chiuperlio Regis conſilium non placebat: ſed periculoſum ejus cupiditati obviam ire ducens, ſtatuit nunc obſecundare, & poſtea opportunitate data eum ad ſuam ſententiam perducere. Igitur quum exercitus pars major Jeno Conſtantinopolim perveniſset, profectionem tamen per ſpeciem ampliorum cogendarum copiarum diutius ducit. Interea cum Zaima Regina agit, *periculoſum juxta, ac ignominioſum eſse, Regem tam unius perfidia moveri, ut ipſe contra eum exercitum ducere velit. Nullo conſilio ſeditioſis animum augeri, quum in ſumma deſperatione rerum id factum exiſtiment. Non tantam gloriæ fuſis hoſtibus, quantum ignominiæ ad eum perventurum, ſi amiſſo exercitu conditiones ab ſeditioſis accipere res cogat. Poſtremo magnopere timendum, ne ejus abſentiæ opportunitate ad ſeditiones excitandas utantur. Orare, atque obſecrare Reginam, ut quantum authoritate valeat, ad movendum de ſententia Regem nitatur.* Zaima, *ſe quoque hæc ſecum volviſse* dicit, *ſed quum ex omnibus malis minimum eſſe ſubeundum non ignoraret, Regis conſilium probaviſse. Nihil aliud, quam Regis præ-*

præſentiam, utpote Solem, Reipublicæ tenebras fugare confeſtim poſse. Quem igitur Ducem, inquit, *contra Haſſanem mittes, qui magnam ſibi ſua moderatione authoritatem comparavit?* Hæc res magnam difficultatem Chiuperlio ad conſilium ineundum affert, quoniam quum ſe unum tantæ authoritatis eſſe ſciret, ut Haſſanem non timeret, tamen, ſi in Aſiam peteret, verebatur, ne in abſentem quid gravius coactus ab inimicis Rex decerneret: ſi Rex eo contenderet, & ipſe remaneret, idem ſibi timendum videbat: ſi una cum eo proficiſceretur, nullum ſibi fidum, atque idoneum ad ſeditiones comprimendas in urbe relinquere poſſe videbat. His difficultatibus circumventus multa cum animo ſuo reputabat, nec quid ageret conſtabat, quum certis authoribus comperit, Haſſanem tantos ſibi ſumpſiſſe ſpiritus ſecundo prælio facto, ut ab ſe magnam militum partem alienaſſet, & Civitates injuſtum imperium ferre ultra non poſſent. Multo enim temporis ſpatio ab avaritia animum continere non potuit, quin pecuniam imperaret ingentem, imperatamque acerbiſſime exigeret. Igitur non tam difficile vinci poſſe a ſe ipſo degenerantem Chiuperlius arbitratus, optimum eſſe duxit, eundem Muſtafum cum amplioribus copiis contra Haſſanem mittere. Hunc enim rerum militarium peritum, & ſibi fidum cognoverat, præterea omnia tentaturum conjectabat, ut amiſſam belli gloriam recuperaret. Ei tamen pari authoritate collegam Acmetem filium dare ſtatuit, ut gloriæ ſocius eſſet. Conſilium non incommode accidit: nam ſimulatque Chiuperlius adeptus ab Rege eſt, ut ad eos imperii ſumma deferretur, magnis itineribus in Aſiam contendentes, in vulgus efferendum curant, ampliores ſe copias ducere, alias lentius ſubſequi: uberiorem victoriam ab Chiuperlio de Tranſylvanis partam prædicant: Jenum, aliaque oppida eum recepiſse: Ragotium vivum ei traditum: deditione Citæi oppidi Venetos pacem accepiſſe. Alia ejuſmodi addunt, ut nullo alio bello Chiuperlium diſtineri arbitrantes ſeditioſi ſibi diffiderent. Et ſpes eos non fefellit, quoniam tanta harum rerum opinio ad ſeditioſos perlata eſt, ut alii deſperatis rebus, pars Haſſanis arrogantia permoti ad Muſtafum tranſirent, pars belli inſolentes timore dilaberentur. Muſtafus eos, qui ad ſe tranſeunt, magno in honore habere ſimulans, huc rem duxit, ut impune conjuraviſſe rati omnes Haſſanem deſerere cuperent. Tranſit ad eum Maſſius ex omnibus Præfectis Haſſani maxime carus, qui millia hominum quatuor ſecum ducit. Haſſan fortunam tentare conſtituerat, antequam ab aliis deſereretur, ſed morbo implicitus conſilium non efficit. Vix aliquibus poſt diebus convaluerat, quum dolore propter rerum commutationem in apo- An.1658

An. 1658 plexiam incidit. Hoc tempore ab majore parte deſeritur, ut, quum commodiorem in ſtatum perveniſſet, vix quinque millia ſua fortuna uti velle reperiret. Tum conſilium ſuorum habet, committeret ne exercitum pugnę, an Regis clementiam experiri placeret? Chinan, quoniam Regis ſororem uxorem duxerat, & per ipſam commendationis aditum ad eum ſe habiturum ſperabat, cenſere, ut priuſquam res in certamen veniret, legatos ad Muſtafum, Acmetemque mitterent, ut ſi poſſent æquis conditionibus rem ad otium deducerent, ſin id parum procederet, fortunam, quæcumque accideret, ſubirent. Hac ſententia accepta legati omnia, quæ petierunt, impetrant. Æquiſſimæ conditiones ſeditioſos lætitia complent: ſuum conſilium laudibus effert Haſſan, quod incommoda texiſſet: nunquam enim eis non occultatis tam honeſtam pacem habiturum fuiſſe arbitrabatur. Sed aliter ſe res habuit: nam libenter omnia polliciti ſunt, qui nihil præſtare decreverant. Omnes Aleppum ſe recipiunt ſeditioſi, quod oppido Haſſan præerat. Eo præſidii cauſa ſibi fidos Muſtafus mittit, ut opportunitate data omnes interficiant. Qui ſubito juſſa effecerunt. Qua re Conſtantinopolim nunciata, lætitia celebratur. Acmetis vero adventus Chiuperlii gaudium auget, quod ſibi infenſiſſimo pœnas veniſſe videbat filii opera, qui hac re Regem ex amico amiciſſimum ſibi fecerat. Capita oſtentat, ut terrore reliquos in officio contineat. Præterea quum idem Chiuperlius videret ſeditionis malum per quietem aliorum ſemper exoriri, majore vi contra Venetos bellum parare conſtituit: quoniam certior factus, Tranſylvanos Ragotio ſuaſiſſe, ut Principatum deponeret, impoſitoque a ſe Principe eſſe contentos, præterea Berciajum Lugam, Chereſbenium oppida ad diem tradidiſſe, ne ſpecioſam quidem belli renovandi cauſam eſſe exiſtimabat. Adjuvabat ejus opinionem, quod Reningherius Cæſaris verbis nunciaviſſet, *ſumma ipſi lætitiæ fuiſſe, Ragotium Principatu abiiſſe: ſperare Berciajum in officio fore, ne qua eſſet armorum cauſa*. Eadem Adil Chirayus ſuo legato Cæſarem reſpondiſſe ſcribit; dubitare tamen de Cæſaris voluntate addit, quoniam Joannes Medinaſchius, Michaelque Micheſius Georgii legati quotidie colloquia ſecreto cum Cæſaris Conſiliariis haberent. Hac re permotus Chiuperlius, quum nulla alia ex parte periculum ſe oſtenderet, totum animum in Cæſaris voluntatem cognoſcendam vertit. Hæc cogitanti Berciaij litteræ redditæ ſunt, *Cæſarem Joanni Halleri ſuis verbis oranti, ut Ragotium in officio contineat, reſpondiſſe, ſe jam Georgio renunciari juſſiſſe, ut ſui mali cauſam non in aliam rem transferret, quam in ſuam temeritatem; propterea eſſe jam tempus eam deponendi, Berciaio oppida tradendi*,

niſi

niſi omnes Reges hoſtes vellet. His litteris Chiuperlius fidem facit, An. 1658
quum quod Acatium Turcarum rebus faviſſe cognoverat, tum quod fidem fallere ei non expedire arbitrabatur, quum ipſe prius in periculum eſſet venturus, ubi Cæſar Ragotio auxilia mitteret. Cæſar re vera ea Micheſio nunciari juſſit, ſed in incerto poſtea habuit, quid ageret, ubi Micheſius in hunc modum ejus conſiliarios allocutus fuit. *Non tam hodie improbarem, vos maximam Turcis præbere timoris opinionem, etſi eorum naturam perſpectam vos habere non ignoro, eos in alacres timidiſſimos, in pavidos inſolentiſſimos eſſe, ſi tantum Ragotio mala imminerent. At mehercule quum eos in veſtris faucibus urgere conſtet, quomodo linguam ad veſtram ignaviam non divertam. Liceat per me, vos injuriis Ragotii non permoveri, nec miſerrimi cura tangi, etſi tam deformatus ærumnis, ac miſeriis coopertus eſt, ut ad lacrymas vel hoſtes cogeret, ne dicam Pannoniæ Regem, qui Tranſylvaniæ Principis injurias curare ſacramento obſtrictus eſt. Semper vero cunctationem deteſtabor, ſi veſtram cauſam vos deſerere cognoſcam. Jam enim Jenum, Lugam, Cheresbenium munitiſſima oppida receperunt. Jam id parum habent avidiſſimi, quando Varadinum ſive Berciaii voluntate, ſive per vim occupare nituntur. Quæ una res indicium facit, eos non modo Tranſylvaniæ, ſed Pannoniæ etiam imperium petere, quum, utriuſque arce ut potiantur, tendunt. Videte ad quid Georgium hortati eſtis; ut oppida Berciaio tradens tantum vulnus Patriæ, vobiſque inferret. Nunquam id eveniet. Nunquam Tranſylvanos omnes, nunquam Haidones omnia pro ſe perpeti paratos proiiciet. An non amiſſo Varadino, Haidones, quod ea loca incolunt, amittantur, oportet? Eo proceſſum eſſe mihi videtur, ut Tranſylvania, Pannoniaque aut relinquenda, aut audacia, & virtute retinenda ſit. Quod ſi nec ingenium tantam ignominiam vitare vos ſubigit, nec indignitas rei omnibus deeſſe prohibet, hoc palam profitemini, quoniam nunquam tantum ſcelus Ragotius admittet, ut prius mortem non ſubeat, quam optime de ſe meritos Cives prodidiſſe, ſua voluntate Acatio oppida tradendo, videatur.* Hac oratione mirum in modum permoventur omnes, altiuſque in eorum pectus deſcendit, quod de Varadino Micheſius dixerat, propterea eos orant, ne gravarentur ſcripta Georgii mandata ad Cæſarem perferre. Illi juſſa efficiunt, eademque exponunt, ſolumque addunt, *ſe ex Georgii litteris nuper cognoviſſe, ipſum ab Turcarum primoribus confirmari, ne ſe deſereret; quoniam, quum ultra ipſi Chiuperlium ferre non poſſent, ſi eum ad bellum renovandum impelleret, fore, uti eo abſente Regis domum obſideant, ac perfidum hominẽ interfici cogant. Orare igitur Cæſarem,*

ne

An.1658 *ne committeret, ut Ragotius tantam opportunitatem dimittat, ſed potius quina hominum millia ipſi mittat, poteſtatemque delectus Germania habendi faciat.* Cæſari maxime expedire videbatur, ſeditioſos contra hominem ſumma apud Turcas authoritate alacriores efficere, ſed timebat, ne Ragotii figmentis ad bellum cogeretur. Tandem ubi multos dies per dubitationem trivit, omni contentione nunc Turcarum aviditati obviam eundum judicat, quoniam proſpere bellum ceſſurum arbitrabatur, ubi ſummo Pannoniorum ſtudio uteretur. Propterea Pannoniis renunciari jubet, *cogitarent, quid ipſis evenire poſſet, ſi innati Chriſtianorum hoſtes Tranſylvania perdomita arma in Pannoniam verterent. Sibi eſſe in animo ipſorum ſaluti non deeſſe, ubi eandem mentem ipſis eſſe cognoſcat.* Pannonii hac de re conſilium habent. Erant ſententiæ, quæ nulla ratione Ragotio ſuccurrendum cenſerent, quod ex hac re belli cauſa cooriri poſſet. Porro erant, qui auxilia mittenda exiſtimarent, etiamſi bellum ſumi oporteret, quum quod præſtare videretur temporis ſpatio, quam perpetuo mala perpeti, tum quia Sigiſmundi Battorii fidem exolvere tenerentur. Accedebat, quod recentibus exemplis in ſpem non ſuſcipiendi belli pervenerant, ubi tantummodo opem Ragotio ferrent. Cæſar tamen cognita Pannoniorum voluntate conſilium ſuorum habens, auxilia Ragotio non mittere ſtatuit, ne belli cauſa eſſet, quod certa ſpe trahere non poſſet, quum propter Pannoniorum mobilitatem, tum quod ſuſpecta Germaniæ Regulorum auxilia, & tenue Hiſpani aliis bellis intenti ſubſidium fore conjectabat. His rebus in unum congruentibus, optimo conſilio Medinaſchio, Micheſioque reſponſum eſt, *Cæſarem multis de cauſis adeſſe Ragotio non poſſe: pulcherrimum fore, ſi ei perſuaderent, ut quieti ſtudeat.* Iniquo animo hoc legati accipiunt, utpote qui diutius rem Cæſare ducente in ſpem auxilii ſe erexerant. Ubi in Tranſylvaniam pervenerunt, reperiunt, multis de cauſis omnes ab Berciajo alienatos Ragotio ſtudere. Ut hæ magis innoteſcant cauſæ, pauca de Tranſylvanorum moribus, ac legibus, regioniſque ſitu dicere neceſſarium duxi. Tranſylvania in Europa ponitur, & a ſeptentrionibus Ruſſiam, Sarmatiamque, a meridie Valachiam, ab oriente Moldaviam, ab occidente vero Pannoniam fines habet. Perpetuis montibus inter ſe coeuntibus veluti corona cingitur, adeo ut ſeptem omnino difficillimos aditus habeat. Ex his duo, ut memoriæ prodantur, ſatis cauſæ eſt. Alter eſt ubi Mariſius flumen ad Saxompolim effluit: Porta Ferrea appellatur, quod perpauci anguſto itinere Turcas Temeſuaria venientes prohibere poſſunt. Alter eſt in Pannoniæ finibus, prope flumen, Clamorem propter rapidi-

piditatem appellatum. Hoc amplius trigeſies magno cum periculo An. 1658
eſt viatoribus tranſeundum, licet facilius imbre coorto aqua ſummas fluminis ripas ſuperat. Cœlum ſalubre eſt, etſi, quod radii ſolis oblique altiſſimos percutiant montes ad meridiem pertinentes, in quibus nullo anni tempore nix diſcutitur, maturæ & gelidiſſimæ ſunt hyemes, æſtateſque Sole alte montes ſupergrediente, atque, ut ita dicam, in perpendiculum radios emittente calidiſſimæ. Tempeſtates ibi non raro cooriuntur. Tranſylvani conſuetudine ingentia tonitrua, jactuſque fulminum non extiment, licet horum ictu ſæpe etiam domus deflagraviſſent. Ager frugum omnis generis fertilis, vini præcipue optimi ubertiſſimus, fœcundus arboribus, bonus gregi, nobilibus, ſalutiferiſque herbis abundans. Naſcitur ibi in pluribus locis cuprum, chalybs, ſulphur, antimonium, præterea argentum, & aurum. Salis tanta abundantia eſt, ut finitimi omnes eo utantur. Mellis, quum copia ſuppetat, potio ipſorum more uſitatiſſima eſt, atque non injucundus guſtatus. Multa avium, ac ferarum genera in ſylvis illis naſci conſtat, quæ omnia referre longum eſſet. Navigabilia flumina plurima ſunt, unus ex omnibus nobiliſſimus Mariſius mihi videtur, quod ejus ramentis aurum invenitur. A ſylvarum multitudine, in quibus Hercinia eſt, quam ab Helvetiorum, Nemetum, & Rauracorum finibus ortam ad Dacorum fines pertinere Cajus Julius Cæſar author eſt, Tranſylvania nunc dicitur. Nam antea Daciæ pars mediterranea erat. Daciam primus Romanorum Ulpius Trajanus bis aggreſſus eſt, qui Romam rediens Decembalum Regem victum in regno reliquit. Sed quum poſtea contra fœdus bellum Decembalus apparaviſſet, ultum injurias ire decrevit. Igitur per lapideum pontem in Iſtro factum exercitum ducens, Zarmium regni caput expugnavit, reliquaſque urbes cœpit. Decembalus quum neque in ſuis viribus, neque in Trajani clementia quidquam præſidii eſſe cognoviſſet, ſibi deſperans, ſe ipſe interficit. Ejus caput Romam relatum eſt. Trajanum plures urbes condidiſſe, colonias deduxiſſe (quas præcipue Zarmenſium Juris Italici eſſe Ulpianus J.C. meminit) Daciamq; in Provinciæ formam redegiſſe, & Zarmium Ulpiæ Trajanæ nomine appellaviſſe (quod oppidum nunc Alba Julia dicitur) ſcriptores, & monumenta ibi reperta teſtantur. Pontem in Iſtro a Trajano miro artificio excitatum, quod viginti ex quadrato lapide pilæ fornicibus inter ſe conjunctæ centum octuaginta paſſuum ſpatio in longitudinem, in latitudinem pedum ſexaginta, in altitudinem vero centum quinquaginta patebant, Adrianus Cæſar interſcindi juſſit, ut tutæ a barbarorum excurſionibus citeriores regiones eſſent. De gentibus, quæ initio Daciam ha-

Digitized by Google

An. 1658 habuerint, quæque acceſſerint, nihil dicam: quippe qui rem ſatis non compertam dicere non conſueſcam. Quibus enim argumentis Scriptores, qui id aſſerunt, Jazyges, Baſtarnas, Metanaſtas, Getas, Sarmatas, Græcos, Gothos hæc loca incoluiſſe demonſtrabunt? Mihi igitur dicere erit ſatis, Romanos Gallieno imperante Daciæ poſſeſſione expulſos, Scythaſque Attila Duce ſive multitudinis minuendæ gratia, ſive alia de cauſa domo egreſſos eam expugnaviſſe, atque in parte montoſa Moldaviæ contermina ſeptem extruxiſſe oppida. Hos nunc Ciculos ab Scythis appellatos putant. Aliquo intermiſſo temporis ſpatio ab Carolo Magno Belgarum, Germanorumque colonias deductas, ſeptemque urbes conditas nonnulli arbitrantur. Alii, eodem tempore Germanos proprias ſedes deſerentes, his locis conſediſſe, putant. Non deſunt, qui Saxones ex veteribus Dacis prognatos, optimum totius Daciæ agrum, ſeptemque nobiliſſimas urbes retinuiſſe exiſtiment. Fides hujus rei penes authores ſit, quum Saxonum nomen, atque lingua Germanos eos eſſe arguant. Hungari poſtremo loci vicinitate, atque fertilitate invitati Stephano Rege, cui cognomen poſtea Sancto fuit, maximam partem occupant, aliaque oppida condunt: ad extremum Matthias Corvinus victo Dracula Principe, cujus ſevitiæ plurima exempla fuerunt, reliquam partem oppugnat. Hodie ergo Civitas Tranſylvania in tres partes dividitur, quarum una ab Ciculis, alia ab Saxonibus, tertia ab Hungaris incolitur. Sunt præterea ibi Valachi, quos ab Romanis originem ducere lingua demonſtrat. Sic dicti a Flacco quodam, qui coloniam deduxit. Barbara lingua Valachia pro Flaccia, Valachique pro Flacciis appellantur. Hi neque urbes incolunt, neque domos habent, ſed in ſaltibus degunt. Genus hominum immite, ac nullis legibus obſtrictum furtivo pecore vivit, atque veſtitus præter pelles non habet. Servorum loco ab Saxonibus, Hungariſque habentur. Haruſpices in honore habent, Jovem, Mercuriumque Sanctos vocant; licet Chriſtianam Religionem Græco ritu profitentur. Saxones agriculturæ maxime ſtudent, morum elegantia reliquos antecellunt, optimum Tranſylvaniæ agrum obtinent. Magna ex parte Lutheri erroribus imbuti ſunt. Ciculi ſorte munera diſtribuunt; cujus rei eam afferunt cauſam, quod omnes æque nobiles habentur. His cum Hungaris ita arma, veſtitus, mores, & lingua conveniunt, ut fortaſſe vel utramque gentem Ciculos, vel utramque Hungaros exiſtimares, niſi illi maxime conſtantes, hi mobiles natura eſſent. Hungarorum ſumma authoritas eſt, quod ex ſuo numero Princeps, Magiſtratuſque creantur. Pauci ex his reperiuntur, qui Catholicam veritatem agnoſcant, poſtquam Joan-

nem

nem Sepuſium Principem Georgius Blătrada Medicus Lutheri, Franciſcuſque David deinde Calvini erroribus imbuit. Nam Principis authoritate ita depravati ſunt, ut nequicquam poſtea Stephanus Battorius Tranſylvaniæ Princeps, atque Sarmatiæ Rex eos ab flagitio revocare tentaverit. Adeo proclive hominibus eſt, potius peſſimi, quam optimi Principis exempla imitari. Unicuique urbi Prætor præeſt, cujus decreto ſi quis ſtare nolit, primo Septemviros appellat, quibus unus præeſt, qui Supremus Regius Judex dicitur; poſtremo ad Principem provocat, qui ſumma cum authoritate omnibus præeſt. Quo mortuo omnium ſuffragio alius adlegitur. Hæc quum ita ſe haberent, tam graviter tulerunt Tranſylvani, Chiuperlium ſibi Berciajum Principem impoſuiſſe, ut, ſimulatque Scythas ſuis finibus exceſſiſſe cognoverunt, moliri inciperent, quemadmodum ſe in libertatem vindicarent. Quod quum cognoviſſet Ragotius, ſubito eos his verbis accendere ſtatuit. *Quouſque ludibrio omnibus eſſe vultis Tranſylvani? Quouſque veſtra mobilitate uti conſtituiſtis ſemper libertatis vindicem deſerendo? Quando viri eſſe incipietis? Vnde graviſſimum tributum pendatis, atque quingenta nummorum aureorum millia detis, eſt. An pro his liberos, conjuges, atque oppida dare nec ignominioſum, nec periculoſum ducitis? Veſtra ne cauſa Berciajus omnia oppida tradendi conſilium iniit? Sequimini illum, quo miniſtro Turcæ ad vos perpetuæ addicendum ſervituti utuntur. Cupite Principi non veſtris ſuffragiis creato. Auſcultate ei, qui contra Patriam conjuravit. Et me deſerite, qui ſummo capitis periculo vos ab injuria defendi; & ſi id parum eſt, repetite pœnas. Obtemperate Mehemeti, qui vos nefario ſcelere obſtringere cupit, & de me ſupplicium ſumite: aliter nunquam ab metu vacui eritis.* Hæc ſæpius dicendo ita omnium animos ſibi conciliavit, ut ejus juſſis ſe obtemperaturos profiterentur. Georgius cognita opportunitate bellum parare, delectum tota Tranſylvania habere, Varadinum, aliaque oppida munire inſtituit. Ad Michaelem Radulum, quem, pulſo Conſtantino, Valachiæ Principem Turcæ fecerant, legatos mittit, qui ei perſuaderent, ut in ſocietatem belli veniret. Radulus Ragotii precibus excitatus, ad Cæſarem, atque ad Alexandrum P. M., ſubſidia petitum, legatos mittit: qui reſponſa ferunt, non poſſe ei inopia ærarii ſubſidia mitti. Cæſar eiſdem de cauſis, quibus Ragotio ſubvenire nolebat, huic adeſſe poſſe negat. Alexander, quia eum Catholicam Religionem profiteri nolle cognoverat. Ragotius præterea Moldaviæ Principi ſcribens, orat, ut eadem fortuna, qua ipſe, eadem libertatis cauſa utatur. At hic ſive Turcarum timore, ſive An. 1658

G con-

An.1658 conſilio fidem erga eos conſervandi, ſive quod inimico animo in Ragotium erat, quum eum operam dediſſe cognoviſſet, ut Georgitiam in Moldaviæ Principatum reduceret, ſive denique, quia tuta præſentiam, quam futura periculoſa malebat, ſe bellum ſuſcipere poſſe negat. Epiſtola hæc eodem die ad Ragotium perlata eſt, quo Medinaſchius, Micheſiuſque ab Cæſare doloris pleni redierunt. Nemo tam audax, ac forti animo fuiſſet, qui duplex vulnus eodem die illatum ſuſtinuiſſet, Georgius tamen parum ea re permovetur, quod tantum de compoſitione agere ſtatueret, ſi in gratiam cum Chiuperlio redire poſſe appareret.

Finis Libri Primi.

DE

DE BELLO TRANSYLVANICO

Liber Secundus.

RAGOTIO compoſitionem optanti Solimanum Jeni Præfectum ita Chiuperlio acceptum eſſe occurrit, ut aptus ad ſe in gratiam cum eo reducendum haberetur. Sed quemadmodum hominem ad ſtudium ſui perduceret non conſtabat, quum eum invictum animum adverſus pecuniam gerere ſibi nunciaretur. Sed tandem quum ſibi perſuaderi non poſſet, aliquem ex Turcis reperiri, qui auro ab honeſto in pravum non abſtraheretur, illum pecunia aggrediens, eo proceſſit, ut Turcam caperet. Chiuperlius ubi id agi ab Berciajo certior factus eſt, Solimanum per litteras monet, *ne publicos hoſtes in amicitiam reciperet: longe abſuturam ei ſuam amicitiam, quum ejuſmodi ſuſpiciones non vitaret.* Ex his litteris Solimano cum Mehemete ſimultatem intercedere cognitum eſt, quia de eo ſupplicium non ſumpſit. Acatio igitur Chiuperlius ſcribit, *ne ſe animo dimitteret, ſed gauderet, quod ſuas injurias ipſe curaret: proinde ne ſuum animum offenderet, ſed, quod de Ragotii cæde promiſiſſet, præſtaret, atque ſtipendium penderet.* Litteris acceptis, ſibi timere cœpit Berciajus: nam quum Ragotium favore omnium ingentem videret, ſe vero deſertum ab omnibus tributum pendere non poſſe, Mehemetis placandi gratia legatos mittit, *ſibi, unde pecuniam daret, non eſſe, quod ab Tranſylvanis non modo amiciſſime de Ragotio loquentibus, ſed aperte etiam ei ob-* An.1659

An.1659 *temperantibus eam exigere nequiret: hac de cauſa ipſius auxilium implorare coactum eſſe, quum in ipſo uno poſitum eſſet in ſe invehentes, ac bellum parantes terrere.* Movet hæc epiſtola Chiuperlium non ſecus, quam ſi ſibi, vel Regi perniciem machinari accepiſſet. Adeo erat Georgio infenſus, quod ad ſanitatem nunquam reverti vellet, ut ſubito contra eum exercitum duci juſſiſſet, niſi Cæſaris ad bellum incitandi metus obſtitiſſet. Quumque ab Reningherio audiviſſet, *Cæſari non parum Jenum, aliaque oppida recepta diſplicuiſſe, armorumque cauſam tunc non futuram, quum Turcas alia Tranſylvaniæ oppida ſuo Imperio addere nolle conſtaret*, iræ temperare non potuit, quin diceret, *ſe de Cæſaris fide merito dubitaviſſe, quum ejus verba, quid eum moliri, demonſtrarent. Cur,* inquit, *quum ad arma rem deduci ſtudeat, id palam non profitetur? Cur fraude potius, quam virtute Turcas ſuperare exoptat? Si tantum ſuæ virtuti Germani tribuant, ut etiam calamitatum acceptarum memores fortiſſimos Turcas vincere confidant, quare indicto bello ſuam virtutem in acie non experiuntur?* Extremum orationis fuit, *nunquam majores ſuos Chriſtianos timuiſſe, & nunquam ſe tantum facinus admiſſurum, ut eos horreat. Hæc Cæſari renunciaret, & ex authoritate mandata brevi ad ſe perferret.* Chiuperlii poſtulatis per Reningherium Viennæ cognitis, timor omnes occupat, quod ſeditionibus extinctis eo inſolentiæ Turca proceſſiſſet, ut, niſi quam ocyſſime cupiditati occurratur, Tranſylvaniam eum eſſe devicturum nonnulli exiſtimarent. At alii eiſdem de cauſis, quas ſupra retulimus, bellum ſumere nolebant. Quomodo enim, cui vix contra Carolum belli trahendi facultas ſit, is alium exercitum numero, & genere hominum Turcarum exercitui non imparem coacturus eſſet? His difficultatibus Cæſar affectus, concilium convocat, dicitque, *Mehemetis furorem ultra ferri non poſſe: audaciam ejus ita in dies creſcere, ut omnino Tranſylvania potiri vellet. Dubitandum non eſſe, quin in Pannoniam arma vertat. Proponeret igitur unuſquiſque, quid optimum eſſe cenſeret.* Qui primo cenſuerant, ut Ragotio ſubſidio non eſſent, in ſententia permanent; ſolumque addunt, *pulcherrimum eſſe belli Tranſylvanici expectare eventum, ut vel Ragotio male pugnante Turcæ ab maleficio propter ſuam moderationem temperent, vel eo recenti victoria elato paci ſtudeant.* At Aveſperghius, *Expectate*, inquit, *dum Turcæ male pugnent, ut victoriæ aliorum virtute partæ fructum nos percipiamus, vel dum victoriam ipſi adipiſcantur; ut ab eorum injuria Pannonios noſtra modeſtia prohibeat. An utrumque impoſſibile non eſt? Quibus copiis unus Ragotius Turcarum ingentem exercitum ſuſtinere, ne*

dicam

dicam ſundere poterit? Aut quo beneficio ſæviſſimi homines ſecundis rebus elati retineri valent, quin in Pannoniam impetum faciant? At dices indignitas rei probibebit, ne ſaltem ſine ſpecioſa cauſa bellum innoxiis Pannoniis inferant, quum mehercule, eos magis utilitati, quam fidei conſulere, atque nec jus, nec Deum ipſum ſanctum babere conſtet. Sanum conſilium non eſt, nos ſpectatores Turcarum ſcelerum eſſe. Bellum ſuſcipiendum cenſeo, hortantibus Germaniæ Regulis, atque opportunitate data, ubi Chiuperlio perſuaderi non poterit, ut pacem petentibus Tranſylvanis, vel ſi id minus vellet, inducias daret. Hæc ſententia accepta eſt: ſed magna difficultate afficiuntur omnes, qua ratione id cum Turcis agerent, & conſilii ſuſpicionem non darent. Placuit ad extremum Simeoni Reningherio ſcribere, *Chiuperlio exponeret, Cæſarem Ragotium odiſſe: eique ſummæ lætitiæ futurum, ſi in ipſum vindicetur. Ne tamen exercitus in Tranſylvaniam mittat, ne Scytharum populationibus belli cauſa eſſet. Nam ſi eandem Tranſylvaniæ formam eſſe ſineret, atque nunc eſt, ac Berciajum hortaretur, ut levi imperio cunctos habeat, fore ut ſuavitate Berciajus ab Ragotio clientes ad ſe traducens, eum ſine certamine tandem interficiat.* Hæc mandata, antequam ea Mehemeti exponeret, Amurati renunciare Reningherius ſtatuit. Hunc idoneum eſſe judicabat, quod ab Chiuperlio vir æquabilis, ac magni conſilii habebatur. Igitur eum adiens, *nullum ſibi opportuniorem viſum eſſe* dicit, *per quem commendationis aditum ad Chiuperlium babeat, quam Amuratem, quod ipſum magnam apud Chiuperlium habere autboritatem, atque publicæ quietis ſtudioſum eſſe intelligat.* Alia addens, poſtremo Cæſaris mandata exponit. Ad quæ Amurates reſpondet, *nulli magis, quam ſibi ſuorum civiam, ac Tranſylvanorum ſanguini parcere placere; ſed nullam poſſe eſſe compoſitionis conditionem Ragotio Tranſylvanis imperante. Nec ipſius conſilium ſe probare poſſe, ut Tranſylvaniæ formam eandem in reliquum tempus eſſe uſque ad Ragotii interitum pateretur, atque nunc eſt. Nam quo jure, quum Ragotius magnam oppidorum partem teneat, Acatius ſtipendium penderet?* Spe, Amurate deprecatore, ab Chiuperlio inducias impetrandi lapſus Reningherius, omnia tentare conſtituit. Propterea Paniottum interpretem ſuum, quod eum aliquem locum gratiæ apud Chiuperlium obtinere ſciebat, ad eum mittere optimum viſum eſt. Hic Chiuperlium docet, Reningherium habere, quid de communi re cum ipſo agat. Tum Mehemetes, *non novum mibi exiſtit, Cæſarem Ragotio favere, & cupere. Ipſius tamen gratiæ ſe dare, ut Reningherio colloquendi poteſtas ſit.* Reningherius ubi in conſpectum ejus venit, orat, atque obſe-

An. 1659

An. 1659 obſecrat, *Tranſylvanis parcat, quos nunquam ejus imperium contempſiſſe conſtaret. Cogitaret, quam difficile Tranſylvanis eſſet Ragotium opprimere, quum ne fortiſſimi quidem Turcæ eum deterrere poſſent*. Poſtquam alia dixit, tandem Cæſaris mandata exponit. At Mehemetes, *Si ſciret Cæſar*, inquit, *quæ ab noſtro Rege ſuperioribus annis Ragotius poſtulaviſſet, eum merito ad internecionem perſequeretur. Quid enim aliud petere poterat, quam ut ſua opera contra Germanos uteretur? An in incerto eſt, eum, ſi in gratiam cum Rege redeat, infenſiſſimum Cæſari futurum? Turcæ ita a majoribus acceperunt, ut nunquam bellum, niſi injuriæ ulciſcendæ cauſa, inferant. Ex hac refieri, ut nunc Ragotium perſequantur, Cæſaremque obſervent. Quod ſi Cæſar eis impedimento eſſe velit, non minus libenter ipſi bellum eſſe illaturos, quam nunc eundem colerent*. Dum hæc geruntur, Ragotius neceſſariarum rerum inopia bellum ducere non poſſe cognoſcens, præcipue quum Cæſar ſe per legatos ad pacem adhortatus eſſet, ab compoſitione animum ſuum alienum non eſſe demonſtrat. Hoc ubi ad Acatium allatum eſt, non negligendam rem eſſe ſtatuit; quia præſtare intelligebat, tuta habere præſentia, quam majora in poſterum cum aliquo diſcrimine. Indicto ergo totius Tranſylvaniæ Biſtriciæ concilio, ſimul primum frequentes conveniſſe legationes vidit, *quantum periculi immineat*, docet, *ſi Cives cum Civibus armis diſceptantes, vel Turcarum, vel Germanorum auxilia accerſerent. Scire ſe, quos ex his fugere expediat, quos vero ſequatur, ignorare. Præſtare æquis conditionibus Ragotio ſatisfacere, ut Civitas in concordia ſit, quam externorum ſervitutem perpeti*. Tranſylvani conſilium probantes, Georgium Lazarium ad Ragotium contendere jubent, qui eum obteſtaretur, *ut Tranſylvaniæ miſereatur, neu Turcarum adventum expectaret, quum introductum exercitum non eſſent educturi, niſi omnibus libertatem, ipſi vitam ademiſſent*. Ragotius ut conſtituerat quieti ſtudere, ſe æquas conditiones non abnuere reſpondet. Quum plurima in utramque partem dicta eſſent, tandem hæ conditiones convenere. Ragotius Varadinum, atque omnia alia oppida in Acatii poteſtate eſſe pateretur. Acatius in ſe reciperet, Turcam ea non occupaturum. Inſidias Ragotio non moliretur. Ejus bona non publicaret. Ipſius ac filii ſuffragium in conciliis obſervari juberet. Æquo animo Turcarum Rege permittente Ragotium ad Principatum evocari ſineret. Adventu Lazarii Biſtriciæ fit gratulatio inter omnes, quod finem periculis factum exiſtimabant. Fide data, atque accepta, legatum ad Chiuperlium, qui ſimul de compoſitione eum doceret, ſimulque oraret, ne exercitum in Tranſyl-

ſylvaniam duceret, mittunt. Læti domum diſcedunt,ſed ipſis longior An.1659
lætitia non eſt relicta,quam paucorum dierum:quoniam Chiuperlius legato in carceres coniici juſſo, ad Acatium ſeverius ſcribit, *tantum abeſſe, ut Ragotium interficiendo, quod promiſiſſet, præſtaret, ut potius cum eo amicitiam inſtituiſſet. Niſi conſilium mutaret, ſe loco Ragotii ipſum habiturum*. Hoc ubi ad Georgium allatum eſt, timens, ne nudus Turcis, Berciajoque obiiceretur, plebem ſollicitare, omnia, quæ ad bellum pertinent, parare, nobilitatique ſe inſinuare, dictitans. *Quouſque Turcarum fraudi contra vos locum eſſe patiemini? An in incerto etiam num habetis, Turcas animo propoſuiſſe vobis eripere libertatem? Si de hoc alio tempore dubitare potuiſtis, nunc certe id dubitari deſiſſe vobis propter Rempublicam gratulor. Eo proceſſum eſt, ut, ſi bellum defendere nolitis, jugum accipiatis, oporteat. Cur potius armati per virtutem interfici non cupitis, quam erepta libertate per dedecus cum cruciatu necari exoptatis?* Hæc præter omnium opinionem audita ingentem fecere terrorem, nec eis, quid agerent, occurrebat. Sciebant, ſe Turcis neque opibus,neque viribus pares eſſe poſſe,propterea Ragotii morte Turcis ſatisfacere turpe non ducebant. Timebant vero, ne fraude ab Turcis fieret, ut hoc facinore admiſſo facilius Civitatem devincant. Multiplicatus eſt terror, quum ad ipſos fama pervenit, Turcas magna vi bellum apparare, ut Ragotium, Berciajumque opprimerent, quod eos conſilia ſibi obſiſtendi, nec ſtipendium pendendi iniviſſe perlatum erat. Nonnulli dicebant, ſe certis authoribus comperiſſe, Chiuperlium exercitum cogere, ut Georgium Gigam Valachiæ Principem Tranſylvanis Imperatorem imponeret. Mihi autem conſtat, Chiuperlium in animo habuiſſe Tranſylvaniam ſub ſuum imperium cogere, & per Magiſtratus adminiſtrare; ſic facilem in Pannoniam aditum habiturum judicabat. Dum res in his anguſtiis eſſet, diverſi diverſa conſilia capiunt. Pars Ragotium conveniunt, atque orant, *ut Civitatis periculi rationem habendo demonſtraret, ſibi Tranſylvaniæ libertatem etiam ſua ſalute eſſe potiorem*. Nonnulli Turcis obviam procedere, ipſorumque fidei ſua omnia permittere ſtatuunt: facilius enim obſecundando, quam reſiſtendo ſe impetraturos ſperabant, ne quid gravius ab eis libertati accideret. Alii, quemcumque caſum fortuna tribueret, ferre potius, quam inultos amittere libertatem decernunt. Plerique remotas ab Turcis ſedes domo emigrantes petere conſtituunt, ne ea viderent, quæ nec audita perpeti poſſent. Non dubium tunc videbatur, quin ſi Chiuperlius exercitum, quem jam coactum habebat, in Tranſylvaniam duxiſſet, illam prius deviciſſet, quam fini-

An. 1659 finitimi id ſentire potuiſſent. Sed Fortuna Tranſylvaniæ aliis occurrere Mehemetem coegit. Nam Selimus Giffæ Præfectus partim Regni cupidine permotus, partim ſibi timens, quod Chiuperlium inſidias omnibus, quos aliquam inter ſuos habere authoritatem ſciebat, tendere intelligebat, prius fortunam cum ſpe periclitari, quam certo mortem ſubire decernit. Itaque diſcordias ferens, alioſque Præfectos ſollicitans, poſteaquam majorem Ægypti partem in ſe ſecundam reperiri cognovit, aperte tanquam Rex toti Ægypto imperare cœpit. Hujus rei nuncius Chiuperlium maximo dolore afficit, quoniam, quum ei celeriter occurrendum eſſe intelligeret, maximas opportunitates e manibus dimittere cogebatur. Cairi igitur Præfecto imperans, *ut coactis omnibus, qui per ætatem arma ferre poſſent, contra Selimum proficiſceretur*, cum monet, *ne imparem exercitum prælio obiiciat, ſed ſolum illos, quorum optima erga Regem eſſet voluntas, confirmet: poſſe certiore ſpe prælium committi, quum exercitus, qui eo majoribus itineribus veniat, perveniret*. Cairi Præfectus hoc conſilio uſus, extemplo cœptum bellum confecit: quoniam Chiuperlii pollicitationibus magis, quam ſuis copiis fidens, evulgandum curat, ipſum Regem cum ingenti exercitu ad comprimendos motus venire, atque jam adventare. Hi rumores nonnullos ab Selimi amicitia avertunt: nam non magis parata eſt Turcarum mens ad novas res ſuſcipiendas, quam promptus eſt eorum animus ad ſuſceptam rem levi de cauſa omittendam. Subito enim Regis nomine, ac opinione adducti, ſimulque conſcientia intelligentes, quantum facinus admiſiſſent contra Regem conjurando, (quem ut Deum colere legibus ſancitum habent) relicto Selimo ſigna ad Cairi Præfectum transferunt. Qui quum cognoviſſet, Selimum in munitum oppidum ſe recipere velle, ut bellum in hyemem duceret, eum in itinere aggreditur. Seditioſi ſubito in pedibus ſubſidium ponunt, unus Selinius, quum fugientes conſiſtere juberet, atque impigre pugnaret, occiditur. Victoriæ nuncius Chiuperlium lætitia complet: Gaudium vero cito in luctus vertit, quum Chiorem in Aſia rebellaviſſe ei nunciatur. Nam Rex exercitum ducere cupiebat, ut hunc, antequam plures conſpirarent, opprimeret. Hoc eiſdem de cauſis, quas ſupra retulimus, Chiuperlio diſplicebat. Quamobrem Regem nequicquam orat, *ne ſuam ſalutem, ac dignitatem in dubium devocet*, quoniam nec ſuis, nec matris precibus retineri potuit, quin, quod pluries animo propoſuerat, tandem exequeretur, etſi Chiorem fuſum, antequam diſcederet, audivit. Dum profectionis dies inſtabat, Mehemetes Rex ad ſe Reningherium vocat, atque dicit, *non debere*

Tran-

Tranſylvanos ſibi ſpiritus ſumere, quod majoribus aſtrictus ab ipſis pœnas non repeteret, quoniam eo gravius ipſis dolendum ſit, quo ſeriores pœnæ veniant, ſi, Ragotio favendo, belli occaſionem ſibi victori darent. *Propterea* hortatur eum, *Cæſari perſuadeat, ut per colloquii ſimulationem diſcordiarum ſemen interficiat*. Longe Chriſtianorum Principi fidem fallere licere, Reningherius negat. Hoc vultu ad iracundiam compoſito Mehemetes audiens, dicit, *mihi nunquam occultum fuit, apud Cæſarem Ragotii gratiam maxime valere; quoniam ita vivitur, ut illis, qui odio digni ſint, cupiatur, mihique pro meis in eum beneficiis, gratiæ non referantur. Sed reverſus mihi conſilium capiam*. Reningherius ubi Regem non occulte innuiſſe audivit, ipſi bellum ſumere placere, magnopere miratur, illum eo rerum ſtatu alios laceſſere, quum, ſi Cæſar ad bellum rem deduceret, maximum immineret periculum. Judicans igitur, eum id temere dixiſſe, ita reſpondere voluit, ut non modo alacritatis, ſed belli cupidinis opinionem præberet. Ob eam cauſam poſtridie Chiuperlius ei expoſuit, *Regem ut pacem colere ſtatuiſſe, ita bellum ſumere paratum eſſe, ſi Ragotius Pannonia recipiatur. Si armorum cauſam eſſe nollet, eum Zatmaria, aliiſque oppidis, quorum imperium penes ſe eſſe Cæſar diceret, Tranſylvaniaque expelleret*. Cognovit tunc Reningherius, Chiuperlium tantos ſibi ſumpſiſſe ſpiritus, quod, ſedatis tumultibus, cauſam belli ſibi præberi cuperet, ne in Aſiam Rex contenderet. Hæc ſtatim Cæſari enunciat. Mehemetes Rex, atque Chiuperlius paucis poſt diebus Scutarum perveniunt; non multos ibi dies morati, Pruſam petunt. Huc complures Civitatum legationes convenere, in iis Tranſylvanorum illa, cui, ut tributum quam primum Berciajus penderet, reſponſum eſt. Eodem Auguſtinus Majembergius ab Cæſare legatus, Mehemetem Regem edocens, venit, *optimam Cæſaris in ipſum eſſe voluntatem, ſummaq; eum ope eniti, ne rupto fœdere res ad arma deducatur*, nuncianſque, *Leopoldum ad Romanorum Imperium evocatum eſſe*. Ad quæ Rex, *ſe, quum dicta cum factis compoſuiſſet, illa his non exæquari animadvertiſſe; quoniam verbis pacem, re bellum cuperet, quum Ragotium ſibi infenſum auxiliis confirmaret*: Multos ibi dies fuit Majembergius ſemper magnifice, ac opulenter habitus. Chiuperlius plerunque eum domum invitavit, idemque facere Amuratem juſſit eo conſilio, ut poſtea cognitum eſt, ut ipſum ad proditionem illectum dimitteret. Sed multa ab Majembergio in eam ſententiam dicta fuerunt, quare Cæſari etiam controverſias tollendi ſpecie fidem lædere turpe eſſet. Tandem convenit, Cæſar Ragotii amentiam non augeret, atque An.1659.

An. 1659 Berciajum de ſtipendio pendendo hortaretur: Mehemetes exercitum in Tranſylvaniam non duceret. His rebus compoſitis poſtridie, die feſto celebrato, Majembergius dimittitur. Hujus adventu Viennæ omnium trepidatio facta eſt: nam bellum haud dubium habebatur, ubi Ragotius Principatu non abiret: quod impoſſibile factu credebant. Multa Cæſarem ad conſilium ineundum, priuſquam Rex Conſtantinopolim rediret, incitabant, præcipue quum frequens Pannoniorum legatio, oratum, conveniſſet, *ut ſibi conſuleret, atque toto pectore in Zatmariam recipiendam inſiſteret, priuſquam ab Turcis occuparetur; quoniam, quum Tibiſcus flumen fines divideret, nullo negotio illud tranſeuntes Turcæ, inulti prædam agitare poſſent. Se Germanos, & oppidis recipere, & frumento, aliiſque rebus juvare velle.* Hæc quoniam de totius Pannoniæ concilii ſententia nunciabantur, eorum auxiliis fidere poſſe ſibi perſuaſit Cæſar. Idcirco rem ſuſcipere paratus, ad Georgium Clementem Radoldum legatum cum his mandatis mittit, *quoniam a fortuna deſertus tempori cedere deberet, ne majore cum periculo bellum aggrederetur, ſed Zatmariam, Calloumque ſibi traderet. Cæſarem oppida redditurum polliceri, ſimul primum Turcis ſatisfactum ſit: magni intereſſe, ſuum imperium Cæſari gratificando, ejus clementiam potius, quam vim experiri.* Ad hæc Ragotii nomine Michael Micheſius reſpondet, *Georgium nunquam de maximis rebus conſilium iniiſſe, niſi temporis ſpatium interceſſiſſet: proinde ſcripta Cæſaris mandata daret, ut etiam, atque etiam conſiderare poſſet, ex uſu eſſet, vel ne juſſa efficere.* Quod ubi ſe facere poſſe Radoldus negavit, quærens ex eo Georgius cauſam, reperit, Cæſaris juſſu id fieri, ne ea ad Turcas perlata turbare rem poſſent: *ſe iterum verbis propoſiturum Cæſaris poſtulata* addit, *ut memoria tenere illa poſſent.* Tum Georgius *ſibi ſatis conſtare* dicit, *Cæſarem hoc conſilii cæpiſſe, quod fidem Turcarum nunciis praſtaviſſet, qui ex compoſito victoriam ex ſeditioſis partam evulgaviſſent, ut finitimos a bello ſuſcipiendo deterreant. Eoſdem etiam Turcas teſtes habere ſe poſſe, rebelles in faucibus urgere, quum nunquam animi gratia Mehemetes ampliore cum exercitu itineris laborem ſuſcepturus fuiſſet: ſummæ dementiæ eſſe, hoc rerum ſtatu de omnibus deſperare, quum in victoriæ ſpem venire liceat. Si Zatmariam, aliaque oppida traderet, inimici id ſumma in deſperatione factum exiſtimantes, ne eo audaciæ procedant, timendum eſſe, ut bona ſua omnia publicent, & Tranſylvanorum mentes alienent; qui quum injuſtum Berciaji imperium perferre non poſſint, Turcas invitaturi ſint: ſatius enim ſub illorum ditione eſſe, eos exiſtimaturos, quam imma-*

Digitized by Google

immanem Berciaii avaritiam explere. His dictis Radoldus dimiſſus eſt. Qui quum ex Micheſio, quem ſermoni interfuiſſe docuimus, *quare Georgius oppida æquis conditionibus dare nollet* quæreret, eadem Micheſius, atque Ragotius, primo demonſtrat, deinde addit, *eum timere, ne diminuta ob hanc rem autboritate omnia, atque vitam per dedecus amitteret, quam ſibi per virtutem potius eripi cuperet. Cæſari præterea fidem præſtare non poſſe, eum ſuo tempore oppida reddere paratum fore, quum ſpecioſa cauſa jusjurandum ſignatum mittere nolit*. Quibus rebus permotus Radoldus, ut ſumma cupiditas re infecta non diſcedendi eum cœperat, quod matrem apud Georgium maximam habere authoritatem ſciebat, in ſpem aſſequendæ rei venit, quum eam conveniret. Sed cito tanta ſpe deiicitur, quum ipſa totam rem ad filium rejecit. Itaque, omni ſpe impetrandi amiſſa, Viennam proficiſci parantem Ragotius ad ſe vocat, dicitque *ſe ea maxime ratione conditiones abnuere, quod fas ſibi non ſit, Germanos oppidis recipere, quum id legibus vetitum eſſet. Poſtremo æquum non eſſe, ſe ſtipendium cuſtodibus dare, & Cæſarem oppida in poteſtate tenere*. Legatus vero dicit, *quum Cæſar oppida in poteſtatem redigere nolit, ſolumque id conſilii cœpiſſet, ne Turcis oppida expugnandi, agroſque vaſtandi occaſio ſit, potius ei gratiam referre deberet, quod incolumibus omnibus, ubi primum poſſet, ea ipſi redderet, quam de ſtipendio militibus dando recuſare*. Item addit, *ipſum non recte cauſam oppidis non recipiendi Germanos in timorem evertendarum legum conferre, quum ſi antiquiſſimi etiam temporis exempla ſpectaret, urgente neceſſitate Germanos a Pannoniis in oppida introductos eſſe animadverteret*. His rebus adductus Ragotius, timens, ne Cæſar ab ſua amicitia ſe averteret, nunc nec negare, nec affirmare, poſtea polliceri, ſed alicujus cauſę ſpecie rem diutius ducere; monere Radoldum, *Viennam reverteretur, quoniam, quum ſibi ſumma poteſtas permiſſa non eſſet, ſe eo legatum cum liberis mandatis miſſurum*. Radoldo mediocribus itineribus domum repetenti Cæſaris litteræ ſunt redditæ cum mandatis, quæ ad Berciajum referret. Hic ſubito conſiſtens, litteras ad Berciajum mittit, *quoniam haberet, quid de Republica diceret, ne gravaretur locum aliquem colloquio deligere*. Berciajus ſive timens, ne Turcæ ſuſpicari poſſent, ſe amicitiam cum Cæſare inſtituere, ut eis communi conſilio obſiſterent, ſive (quod non inveriſimile in ſuſpicioſo homine cenſeo) veritus, ne per fidem colloquii ab ipſo, vel ab Ragotio opprimeretur, conditionem reſpuere ſtatuit. Sed poſtea, ut compertum eſt, Lazarii hortatu Sigiſmundum Budajum mittit, qui poſtulata cognoſceret, atque ad ſe referret, ne An.1659

An. 1659 rem omnino reſpuens, Cæſari ſuſpicionem daret, iniquo in ipſum animo eſſe. Radoldus, antequam in alium ſermonem ingrederetur, *Cæſaris in Berciajum beneficia* exponit, *quod Ragotio auxilium non miſiſſet, quod eundem de concilianda pace hortatus eſſet, quod Chiuperlio renunciari juſſiſſet, optimum Principem Tranſylvaniæ impoſuiſſe; proinde non pro bono ipſum facturum, ſi quod ejus beneficio obtinuiſſet, contra eum uteretur. Orare igitur, ne Varadinum Turcis tradat, ſed eos ab mœnibus probibeat, itemque præſtaret, quod Joannes Haller ejus nomine de Catholicis favendo promiſiſſet*. Budajus pro optima Acatii in Cæſarem voluntate, *ſe magnam habere ſpem* reſpondet, *eum Cæſari ſatisfacturum*. Radoldumque, *ut Serentium ſe recipiat*, hortatur, *ibique reſponſa expectaret*. Ubi Radoldus Serentium venit, accipit, Ragotio non parum diſplicuiſſe, ipſum cum Budajo conſilia communicaſſe: quum enim aliorum animos ſuo ingenio metiretur, haud dubium habebat, Cæſarem cum Berciajo per legatum agere, ut rationem ſe opprimendi quæreret. Hæc ſuſpicio legatum violare impuliſſet, ut nonnulli arbitrabantur, niſi metus obſtitiſſet, ne de Joanne Medinaſchio, quem legatum ad Cæſarem miſerat, ſupplicium ſumeretur. Nemini occultum fuit, Radoldum hoc timore adductum Viennam diſcedere maturaviſſe. Ubi pervenit, Berciaii litteras Cæſari reddit, quarum hæc erat ſententia; *ſe pro tot, tantiſque in ſe beneficiis Cæſari gratias agere, nec unquam ſe vivo fore ſperare, ut Turcæ Varadinum expugnent; quum eo conſilio validum præſidium illo impoſuiſſet. Se ſumma ope eniſurum, ut ipſi, quod Haller pollicitus eſſet, præſtetur*. His litteris confiſus Cæſar pro certo habet, nunquam Varadinum in Turcarum poteſtatem venturum, quum quia libenter homines credunt, quod vehementiſſime cupiunt, tum quia Acatio quoque de ſuo periculo timendum eſſe non ignorabat, quum Turcas oppidis reciperet. Medinaſchium igitur, qui ab Ragotio, ſubſidium petitum, venerat, hortatur, *Ragotio renunciaret, ipſum una moderatione Turcarum, ac ſuam voluntatem conciliare ſibi poſſe: propterea Principatu abiret, oppidaque ſibi traderet*. Medinaſchius, *ſe mirari* dicit, *Cæſarem Ragotii opes contundi velle, quum eum in ſummam amplitudinem deducere deberet, utpote ille, qui Turcarum conſiliis officiat. Georgium majorem Zatmariæ defendendæ facultatem habere, quam Cæſarem, quod Haidones fortiſſimi viri, qui trans Tibiſcum incolunt, pro uno Georgio pericula ſe non recuſare profeſſi eſſent. Cur, quum res ita ſe haberent, Ragotium ſuam probare operam non ſineret?* At ultimum orationis fuit, *Ragotium in Cæſaris poteſtate futurum*. Cæſar excedere Medinaſchio juſſo,

con-

conciliumconſultandi cauſa convocat. Omnibus viſum eſt, *Ragotii audaciam non augendam. Non omnino inveriſimile eſſe, Mehemetem inceptum omiſſurum, quum Georgium quieti ſtudere videat.* Hoc ubi Ragotio nunciatum eſt, ſtatuit verbis omnia polliceri, re ipſa modo has, modo illas moræ cauſas facere, dieſque prolatare, quoad vel conditiones impune reſpuere poſſet, vel neceſſitas Cæſari morem gerere cogeret. Videns igitur Tranſylvanos potius ab armis diſcedere velle, quam ea ſumere optare, itemque Turcas acrius inſtare, fidem oppida tradendi dat. Sed ne fides quidem data eum ſubigere valuit, ne dies prolataret, quando Tranſylvanorum ſtudia in ſe accenſa poſtea vidit. Hi enim Berciaii injuriis permoti, quod acerbiſſime exactam pecuniam Turcis non daret, ut ſuam rem familiarem augeret, eum adeunt, atque orant, *ne ſummo cum Civitatis periculo in eam ſpem veniat, ipſum tenuitatem propriam ſuam, ac Tranſylvanorum excuſando ab Turcis obtinere poſſe, ut pecuniam remittant.* At Berciajus nihil precibus motus, graviora onera injungendo, atque Ragotii amicorumbona contra jurisjurandi religionem publicando, injurias cumulat. Tum, ut ſunt mobili ingenio Tranſylvani, ita inter ſe per nobiles colloquuntur. *Quandiu ille elucéſcet dies, quo in otio ætatem nobis agere licebit? Parum babuit Berciajus, duo munitiſſima oppida Turcis tradere. Parum quoque babuit contra, atque legibus ſancitum eſt, ab Chiuperlio Principatum petere. Satis non babet per vim Imperium retinere. Injuſta, ac ſæva imperia etiam in innoxios edit. Quando ejus aviditas explebitur? Quando Civitatem exactoribus confertam non eſſe videre licebit? Ragotius unus Patriæ pater verius eſt, quam Princeps. Ragotius unus non modo alieni appetens, ſed ſui profuſus. Ragotius unus citius, quam æs mutuum, beneficia reddit. In eo tanquam Civitatis liberatore præſidii ſpes omnis ponenda eſt. O noſtram amentiam! quæ nobis metipſis etiam, non ſolum optimo Principi deeſſe nos coegit. Non boc nobis nunc ferendum eſſet. Virtute acceptum incommodum ſarciamus, conſtantia libertatem retineamus, oportet.* His verbis tanta vindicandæ libertatis conſenſio orta eſt, ut haud facile diſcerneres, majore ne odio in Acatium, an egregiore in Ragotium voluntate eſſent. Ad Ragotium fit concurſus, nonnulli orant, *ut omnium opibus ad bellum uteretur, atque ſibi ignoſceret ſi Berciajum ſecuti eſſent, quum eam maculam majore erga ipſum ſtudio nunc delere parati eſſent.* Cognita aliorum voluntate reliqui, qui aberant longius, ad ipſum pervenire maturant, ut principes ſuam operam pollicitum veniſſe viderentur. Quam pauciſſimi in pluribus in Acatii fide permanent. An.1659

Ut-

An. 1659 Utque ęrumnę ex Ragotii corde Imperii memoriam non expulerant, ſed potius mens ſua in eam cogitationem trahebatur, quam fœdum eſſet, eum nunc aliorum voluntati obtemperare, qui paulo ante omnia ſupercilio moviſſet, prætermittendam injuriarum ulciſcendarum, ac Imperii adipiſcendi opportunitatem non exiſtimavit. Igitur gratias omnibus pro merito agens, ſegniores caſtigat, atque incitat; nihil pollicitationum, atque minarum, ut omnes incenderet, relinquit. Hac de cauſa omnes delectum edicentem ſequuntur. Agmine neque numero, neque hominum genere ſpernendo compoſito, Ragotius magnis itineribus contra Berciajum proficiſcitur, ne quam minimum ſpatii ei ad ſuos confirmandum, auxiliaque accerſendum daret. Inopinata re perculſus Berciajus unum auxilium in Turcis eſſe ratus, ſpe pacis, quoad auxilia convenirent, eum fruſtrare ſtatuit. Igitur callidum hominem, quem legatum ad Ragotium mitteret, deligere cupiens, Joannem Chiminianum caſu oblatum (forte per eos dies e Scythia venerat) ſibi opportunum judicat, tum quod imperii cupidum, tum quia Ragotio amicum eſſe cognoverat. Hunc promiſſis onerat, ſi Ragotio perſuaderet, *ut ab armis diſcederet. Se Principatu abiturum, quum ſine periculo liceat.* Chiminianus rem ſuſcipiens ad Georgium pervenit. Inopinata res Ragotio accidit, qui, quum ad ſe pertinuiſſe cognoſceret, bene de ſe meritum redimere, eum complexus, ſe excuſat, quoniam id non ſua culpa, ſed propter Scytharum aviditatem accidiſſet. Multa præterea addidit, quæ ſe ejus officiorum memorem eſſe demonſtrarent. Pro his rebus gratias ei agens Chiminianus, & ſuam operam in reliquum tempus pollicitus, Acatii mandata exponit. Ragotius, auditis poſtulatis, parumper tacitus permanet, atque ſecum volvit, utrum veram pacis conditionem afferret, an dedita opera dierum prolatandorum cauſa Berciajus legatum miſiſſet: tandem tametſi omnes homines natura Imperio ſtudere, & difficillime illud deponere velle non ignorabat, atque Acatium etſi niſi coactum Principatu ſe abdicaturum arbitrabatur, tamen adeo recens Chiminiani meritum ſibi eſſe dicit, ut id ei petenti negare turpe ſibi duceret. Poſtulat, ut locus colloquio deligeretur, ibi conditiones conventuras ſperare. Perfert hoc ad Berciajum Chiminianus, qui ut ſuſpicioſus erat, dolum eos compoſuiſse eſt ſuſpicatus, ut ſe per colloquii fidem interficerent. Veriſimile enim credebat, Chiminianum deſiderio amico conſulendi, Ragotium cupidine Imperii excæcatos tantum facinus admiſsuros. Huc præſertim accedente, quod non neceſsario locum colloquio deligi cuperet, qui pacem dare æquiſſimis conditionibus poſset. Omnia

nia hæc Acatius diſſimulans; *ſe Ragotio morem gerere paratum eſſe* An.1659
reſpondet, *atque libenter ad eum, ubi conſtitueret, acceſſurum.* Hæc rei diſtrahendæ cauſa Berciajum reſpondiſse ex eo cognitum eſt, quod, quum Ragotius locum, & diem colloquio ſtatuiſset, ipſe tamen illata cauſa, quod optima valetudine non uteretur, rem in longiorem conferebat diem. Sed quum plures cauſas interponere non poſset, nec de Budæ Præfecti adventu (ad hunc, ſubſidium oratum, nuncium miſerat) quidquam perferretur, ad omnia magis paratus, quam ad ſe Ragotio committendum, cum paucis Devam, opere, & natura munitum caſtellum eo tempore profugit, quo Ragotius haud dubiam ludificationem habens, ſibi conſilium capere exoptabat. Deva Temeſuariam ſe confert. Ibi ab Præfecto opulenter habitus, ad Chiuperlium ejuſmodi litteras mittit. *Quum Tranſylvaniæ imperium penes Mehemetem Turcarum Regem, procuratio tantum ejus beneficio penes me ſit, compoſitis verbis ad te incendendum non utor. Abunde dictum fortiſſimo, atque ſapientiſſimo viro arbitror, quum Regem in mea injuria deſpectum eſſe commemoro. Tantum oro, Tranſylvanorum tenuitati ſtipendii levamentum des, quoniam hac ſpe ab Ragotio capti, omnes ejus fidem ſequuntur. Hæc ab te petere non tam mea, ac civium utilitas, quam tua gloria ſubigit, quum maximam ad te perventuram laudem certum habeam, ſi non tam Imperii, atque pecuniæ aviditate, quam Ragotii ulciſcendi gratia bellum ſuſceptum appareat.* His rebus evulgatis, omnes tanta expectatione erecti ſtabant, ut nihil aliud cogitarent, quam quem eventum Tranſylvani exciperent. Cæſar præterea magna ſollicitudine afficitur, poſteaquam Chiuperlium compreſſis motibus Conſtantinopolim adventare accepit: queriturque fortunam, quæ cauſam belli maxime id cupienti dabat. Sciebat enim, Ragotium in Tranſylvaniæ totius concilio Acatii perfidiam, avaritiamque deteſtantes ad juramentum adegiſſe, *ipſos ſemper ejus in fide manſuros, neque ſeparatim ab eo ſibi conſilium capturos.* Propterea Cæſar Turcas antevenire cupiens, Staubio cohortis Præfecto negotium dat, ut in Pannoniam contendens, ſe Stephano Peteo adjungeret, qui ad Caſſoviam tribus cohortibus erat, atque una cum eo ad Ragotium perveniret. Sperabat enim, eos ſubito Ragotium in ſuam ſententiam perducturos. At Ragotius interpoſita cauſa rem in longiorem diem conferre, deinde *ſe paratum eſſe*, dicere, *oppida tradere, ſi Cæſaris ſigno impreſſas tabellas ad ſe perferrent. Non alio modo Cæſarem authoratum ſibi fore arbitrari.* Staubius, ut tandem aliquando res multoties tentata confici poſſet, tabellas ſigno impreſſas dare paratum eſſe reſ-

An.1659 reſpondet. Tum Georgius, ut in re inopinata, primo animo deficit, deinde eo collecto dicit, *ſupervacaneum eſſe oppida tradere, quæ ex conditionibus reddere teneretur Cæſar, ubi ipſe Tranſylvaniæ Turcarum voluntate imperaret: ſe cum Turca in gratiam rediſſe jam occultum non eſſe, quum Paniotto teſte uti poſſet*. Hæc Cæſari renunciari mandans, eos ab ſe dimittit. Sic infectis rebus, quæ agere deſtinaverant, Viennam redeunt, atque quid geſtum ſit Cæſari exponunt; adduntque neque per vim rem conſequi potuiſſe, quum Zatmariæ Præfectum, valido introducto præſidio, oppidum defendere velle cognoviſſent. Ex die, quo Staubius Viennam pervenerat, die tertio, nuncius ab Ragotio, exponens, venit, eadem, quæ Staubius renunciaverat, itemque magnopere orans, *ne animo deficeret, velut ſatis ſuperque Germanis audacia, fortunaque tentata, opeſque comminutæ eſſent. Ragotium licet externis auxiliis deſtitutum unum prælium feciſſe, & id ſecundum. Conjectandum juvare, exiguis copiis ei miſſis, Cæſarem Pannoniis eſſe proſpecturum. Ragotium Turcarum numero non terreri, quum virtutem magis, quam numerum in bello poſſe cognoſceret. Nemini occultum eſſe, Turcarum partem rerum militarium imperitos eſſe, partem laxiore imperio habitos magis urbanis munditiis, quam belli laboribus ſe exercere velle, alios magis ſeditioſos, quam fortes eſſe. In Turcis denique omnibus inertiæ, mollitiæque probra, quæ excogitari poſſent, omnia eſſe; Tranſylvanos contra, Germanoſque aſperiores res ſupervadere aſſuetos, veterum militari diſciplina per manus tradita inſtitutos non ſtudere rebus, quibus effœminari poſſent animi. Magnam propterea ſpem habere, ne Germanorum quidem aſpectum Turcas eſſe laturos, qui quo ampliores copias in armis habeant, eo majus impedimentum verius, quam ſubſidium ſint ducturi.* His ſimilia Pannoniis Ragotius oſtentavit, ut eos in ſuam ſententiam inconſulto Cæſare perduceret. Quod quum accepiſſet Cæſar, timens, ne Pannonii, quos magna mobilitate ſe gerere non ignorabat, ſe cum Ragotio conjungerent, aſpere in Ragotium ad Pannonios ſcribit, *ne aures ei præberent, qui ſocios ſibi aſciſcere cuperet, qui ſuas florentes res cum ejus perditis miſceant*. Ragotio item ea proponi jubet, quæ ad ejus mentem ſanandam uſui fore judicat. Hortaturque, ut in reliquum tempus Pannonios ſollicitare deſiſtat, ſi adverſus ſe Germanum armare nollet. Hæc ſurdo dicta eſſe cognitum eſt, quoniam, velut explorata victoria, redditum ſibi honorem in ſuperbiam, ac libidinem vertere, neque facto, neque dicto abſtinere, quod Turcas laceſſeret. Litteræ etiam, quas ad Mehemetem Regem miſit, ut ad ejus gratiam receptum ha-

haberet, magis, magiſque eum contra ſe accenderunt. Earum hæc fuit ſententia, *ſe ſatis jam factum ad Chiuperlii crudelitatem explendam exiſtimare, quum omnia mala perpeſſus ſit. Proinde ſibi ignoſcendo demonſtraret, ipſum virum eſſe, & per ſe imperium adminiſtrare, nec Chiuperlii ingenio opus eſſe, qui privatas inimicitias in Magiſtratu exerceat. Si in ſe miſericordia uteretur, ſe quingenta nummorum aureorum millia daturum, perpetuoque in ejus fide manſurum*. His litteris Conſtantinopolim relatis, incredibile memoratu eſt, quanta ira Mehemetes Rex, atque Chiuperlius exarſiſſent. Alter, quod ſibi obiici cognoverat, ſe parum ingenio valere, quum rerum omnium ſummam ad Chiuperlium deferret: alter, quod contra ſe Regem accendendum curaviſſet. Uterque igitur Cæſarem ſuſpectum habens, quod ab eo Georgii audaciam auctam credebat, Reningherio exponenti trux eſt, *Cæſari ſummopere diſplicuiſſe, Ragotium contempto ipſorum Imperio Berciajum domo ejeciſſe. Illum, quum fruſtra omnia tentaviſſet, ut ad ſanitatem eum reduceret, nunc etiam eum perſequi paratum eſſe, ut oppida reciperet*. Ad hæc pauca Chiuperlius Regis juſſu reſpondet, *ſibi occultum non eſſe, Cæſarem re ipſa Ragotio cupere, verbis vero ejus amentiam deteſtari: hoc tamen dicere, in terris eſſe neminem, quem ſuperare diffideret*. His dictis Reningherium dimittit, Szedioque Acmeti Budæ Præfecto imperat, ut coactis omnibus, qui militiæ patientes eſſent, in Tranſylvaniam advolaret; edictumque proponeret, *Acatio uti obtemperarent, Ragotium vivum, aut necatum Regi traderent: cujus tanta ſit clementia, ut quingenta nummorum aureorum millia imperata Tranſylvanis Acatio deprecatore remitteret*. His artibus Chiuperlius ab Ragotio per ſe mobiles Tranſylvanos alienaturum ſperabat; ſed aliter ſe res habuit: nam Tranſylvanorum pars, ut Turcarum avaritiam perſpectam habebant, munificentiam eos ſimulaviſſe arbitrantur, pars id non ad ſuum, ſed ad Acatii commodum pertinere cognoſcentes, qui pecuniam jam exactam domum averterat, inceptum non omittere, & Ragotio præſto eſſe decernunt. Ragotius non alienum ſuis rationibus eſſe ratus, Turcas diſtinere, cum Valachiæ Principe fœdus facit, Georgitiæque duo hominum millia attribuit, ut in Moldaviam contenderet, ſi amiſſa recuperare poſſet; ipſe ſuorum virtute, ac audacia fretus, contra Szedium Acmetem exiguis copiis proficiſci non dubitat, etſi Comitis Buduani litteris certior fiebat, *Szedium ingentem exercitum in armis habere: non eſſe rem ſui judicii fortunam periclitari, quum, ſi male pugnaret* (ut non inveriſimile habita utriuſque exercitus ratione videbatur) *ſuam, ac alio-*

An. 1659

I *rum*

An.1659 *rum ſalutem in dubium devocaret. Reuingberium cognoviſſe, Chiuperlium litterarum cauſa ab ipſo ad Mehemetem Regem miſſarum ita in ipſum iram auxiſſe, ut nunquam bellum ſe depoſiturum eſſe juramento confirmaviſſet, niſi injurias ipſius morte ultus eſſet. Haberet proinde rationem ſui periculi.* Hæc ſive non credidiſſet, ſive plus æquo ſuæ virtuti tribuiſſet Georgius, quam maximis poteſt itineribus ad Varadinum contendit, ut oppidanorum ſibi deditorum auxilio urbem occupans, Turcas eo præſidio venientes excluderet. Quod conſilium fortuna comprobavit, quum tam opportuno tempore perveniſſet, ut vix ipſe oppidum ingreſſus eſſet, quum millium Turcarum trium ab Szedio præmiſſorum pulvis cerneretur. Turcas, Georgium cum exercitu adeſſe cognoſcentes, tantus inceſſit timor, ut non prius fugere deſiſterent, quam ad Szedium pervenirent. Conatus eſt Georgius equitatum ad eos inſequendum mittere, ſed plurium horarum ſpatio antecedentes ne carpendi quidem facultas fuit. Turcarum fuga tantum animi Georgio attulit, ut nullam interponi moram arbitraretur, quæ victoriam non moraretur. Poſtridie ergo, quantum accelerari potuit, qua Szedium iter habere intelligit, procedit. Ut ſecundus dies hoſtem in conſpectum dedit, magnopere lætatur, quod ampliorem non eſſe Turcarum exercitum animadvertit. Szedius enim dedita opera arctius ſtatuerat milites, ut exiguarum copiarum ſpeciem præbens, Georgium ad fortunam tentandam impelleret. Nec eum opinio fefellit. Nam etſi Ragotius ex decem hominum millibus, quæ coegerat, ad millia ſeptena ſupereſſe intelligebat, manus tamen cum eis conſerere non timet. Sperabat, proclive ſibi futurum duodecim Turcarum millia, quorum maxima pars nondum armorum vocabula cognoviſſet, (eam opinionem habebat) primo impetu delere. Tantam igitur rerum ſuarum fiduciam habet, ut pauca pro tempore militum confirmandorum cauſa diceret, alia addere nollet, quia orationem inventam eſſe dixit, ut dubii, non ut ſtrenui confirmarentur. Duplicem ergo inſtruens aciem, ac in unaquaque earum equitatum diſpertiens, hoſtes aggreditur,& ne ea quidem res eum terret, quod æquiore loco Szedium pedites poſitos habere, ac equitatu abundare vidiſſet. Ragotii pedites non eadem alacritate in prælio, atque in caſtris, uſi ſunt. Nam ſimul primum Szedium milites arctius collocaviſſe animadverterunt, ut conſilio ſe ad pugnam eliceret, deſperata victoria terga vertunt, nec Michaelis Micheſii precibus, cui ſeos Ragotius attribuerat, nec Ragotii minis, qui ad eum accurrerat, fieri potuit, ut prælium reſtituerent. Tum Ragotius ſecum reputat, utrum ex uſu eſſet receptui

ceptui canere, an fortunam periclitari. Sed ubi eo proceſſum vidit, ut vel extrema audere, vel eos inultos interfici in fuga oporteret, ultima periclitari ſtatuit. Ad hoc conſilium capiendum illa quoque res Ragotium incitavit, quod etiamſi Deus eam mentem Turcis daret, ut Tranſylvanos non perſequerentur, ſibi tamen de Imperio deſperandum eſſe exiſtimabat: quoniam ab ſe, quem propter virtutem, ac animi magnitudinem Tranſylvani ſequebantur, timoris opinione data, ne dexereretur, timebat. Facilius enim etiam amiſſo exercitu, dum magnum animum præberet, quam eodem ſalvo, dum patriam virtutem proiiceret, Imperium retinere ſe poſſe exiſtimabat. Propterea dicit, *omniam ſalutem in una equitum audacia poſitam eſſe: hanc peditum ignaviter factum delere poſſe. Huc rem ductam eſſe, ut vel audaciam præſtantibus fortuna victoriam daret, vel omnino pereundum eſſet: præſtare per virtutem mori, funeſtam victoriam hoſtibus relinquendo, quam per dedecus in fuga impune trucidari*. Hortatur igitur omnes, *ut, ſi victoriam ſibi parere non poſſent, ſaltem eniterentur, ne ignominia ulla in Tranſylvanis remaneret*. His dictis, ipſe apud primos agere, pugnam reſtituere, quos fortiſſimos, ac firmiſſimos animadvertebat aggredi, dubios terrere, omnes circuire, nihil quietum pati, recentes defeſſis ſubmittere. Hoc modo quum tribus circiter horis pugnatum eſſet, Ragotius hoſtium equitatum in fugam dat. Cohortes vero tres a Szedio ſubmiſſæ fugam ſuorum comprimunt, & prælium redintegrant. Pauloque poſt, qui fugerant, equites reverſi, ut fugæ ignominiam deleant, acriter inſtant: hoc idem faciunt reliqui. Sic rerum commutatione facta, quum continenter horis ſex acriter utrinque pugnatum eſſet, jam ſubſidii ſpes, jam ante omnia animus Tranſylvanos deficit. Paulatim igitur pedes referentes, pugnam remittunt. Favore noctis omnes incolumes abeunt, exceptis quingentis, qui adverſis vulneribus conciderant. Ex hujus rei eventu cognoſcere licet, quantum præſidii ſit hominibus in audacia, & fortitudine: nam equites, qui utramque præſtiterunt, poſtquam ſupra hoſtium millia quaterna interfecerunt, intacti profugiunt; at pedites, qui primo congreſſu animo defecerant, in acie, & fuga interficiuntur: paucos ex tanto numero pedum velocitas tutatur. Ex Ragotii exercitu ratione habita ad duo millia, & quingenti ſuperfuerunt. Turcæ bellicis tormentis, impedimentiſque potiuntur. Noctem Szedius ad quietem exercitui dat, ut albente cœlo Ragotium confectaretur. Sed in caſtris adeo lætitia agitata eſt, ut, quum nemo niſi ſub primam lucem ſe quieti dediſſet, neceſſario in meridiem conſilium perfectionis transferri An. 1659

An. 1659 oportuerit. Cum Ragotio licet conſilium, tamen fortuna non ſtabat: quoniam parum abfuit, quin ea ipſum Szedio obiiceret, poſteaquam totam noctem iter continuaverat: nam Ragotio iter in Valachiam habenti ubi nunciatum fuit, Gigam ab Scythis expulſum, neceſſario iter convertit, ſpeculatoreſque præmittit. Per quos quum Turcas iter ad dextram habere, qua ipſe ibat, cognoviſſet, ſe in ſiniſtram vertit; maxime dolens ſuum conſilium in Valachiam perveniendi non ceſſiſſe, quoniam Gigæ auxiliis confirmatus iterum rem pugnæ committere volebat, ut detrimentum prius ſarcitum, quam acceptum ab Tranſylvanis cognoſceretur. Sed hic non fuit periculorum finis; quoniam etiam Georgitiam, quem in Moldaviam ab Georgio miſſum diſtinendi cauſa Turcas demonſtravimus, omnibus amiſſis vix fuga ſe ex periculo eripuiſſe accepit. His omnibus adverſis rebus non modo non deſerit ſeſe Georgius, (tanta ipſi, neſcio, temeritas, an animi magnitudo inerat) ſed fortunam iterum periclitatus eſſet, niſi metus ingens fuiſſet, Tranſylvanos ſe eſſe deſerturos. Statuit idcirco tantum expectare, dum cognoſceret, quid conſilii de ſua libertate ab Tranſylvanis initum eſſet, ut ipſe quoque pro re, & tempore conſilium caperet. Optima hæc fuit ratio: nam nihil tunc temporis profeciſſet, quum mobiles Tranſylvani ſibi deſperaviſſent, Berciajumque orarent, ſibi ut ignoſcat. Berciajus egregiam in omnes voluntatem ſimulare, cunctos allicere. Hac de re etiam ii, qui Ragotio favebant, ei gratias agunt, quod ab Turcis de ſtipendii levamento impetraviſſet. Hi ſolum periculi vitandi gratia illum conveniunt, quum ejus immanem avaritiam animo continerent. At ubi Scythas non venire, Szediumque Tranſylvania exceſſiſſe viderunt, ejus opera tantum ſe effugiſſe periculum (ut Acatius dictitabat) rati, in gratiam eum recipiunt, præcipue quia ærumnis eum didiciſſe, cives levi imperio habere, ſibi perſuaſerant. Hoc quum vidiſſet Ragotius, timens, ne ejus preces non audirentur, ſi ad bellum Tranſylvanos hortaretur, optimum eſſe ſtatuit quieti ſtudere, & ſic novum ſibi induiſſe ingenium ſimulare, conſilium ſubito depoſiturus, quum vel Turcas, vel Berciajum criminandi occaſionem nactus eſſet. Voto ſtatim, ut fit, natura ſubſcripſit: nam per ſuos amicos, eoſque, quos pecunia corruperat, cognovit, non Acatio deprecatore id Tranſylvanis datum, ut ab eorum finibus Szedius exercitum eduxiſſet, Scythæque populatum agros non veniſſent; ſed potius, vel quod hyems appropinquaret, vel Chiuperlii juſſu, ne, patefacto devincendæ Tranſylvaniæ conſilio, exiguas Szedii copias nullo negotio hoc tempore opprimerent Tranſylvani, quo

ſuis

Digitized by Google

ſuis ferre opem non poſſet. Propterea principio veris confeſtim Turcas eſſe venturos conjectabat. His rebus fieri ab Tranſylvanis fidem poſſe multis de cauſis Georgius intelligebat; quarum ea erat præcipua, quod nunquam intentius omnibus Provinciis delectus habitus, bellumque apparatum ab Mehemete eſſet. Quo nam hæc omnia niſi adverſus Tranſylvanos? Hanc occaſionem prætermittere nolens, Ragotius criminoſe de Acatio loqui cœpit, *non communis commodi gratia, neque Acatii precibus Chiuperlium exercitum Tranſylvania excedere juſſiſſe, ſed ut majore apparatu inito vere eum mittere poſſet. Acatium cum Turcis Civitatis prodendæ conſilia iniiſſe. Hæc certis authoribus ſe comperiſſe. Occurrendum ſubito pravis conſiliis. Libertatem non eſſe deſerendam, niſi cum vita: æquum eſſe, viros fortes ita ſe præbere, ut, ſi omnia adempta eſſent, ſaltem animos eis non ereptos eſſe appareat.* Hæc ſæpius dictitando, effecit, ut eam rem ſibi cogitandam exiſtimarent Tranſylvani. Qui propterea ubi omnia, quæ ad bellum uſui eſſent, apparari, Szedium exercitum contrahere, ſupplementum Prætorianis expectare cognoverunt, hæc omnia tantopere ad ſuam perniciem pertinere arbitrantur, quantopere nullam novi belli cauſam exortam eſſe conſtabat. Omnem poſtremo expulit dubitationem Szedii in reficiendis veteribus pontibus diligentia, noviſque ad ea loca Savi fluminis inſtituendis, qua breviſſimum, ac facillimum in Tranſylvaniam iter eſſet. Quibus rebus ut occurrant, ſuam ſalutem Ragotio committere decernunt. Hic oblata facultate ſubito delectum habere, omnia parare, quibus rebus poteſt, ſe munire. Quibus rebus Viennam nunciatis, ſtupor omnes defigit: nihil enim tam inſperatum, atque inopinatum accidere iis potuit, qui Deo gratias egerant, quod, ut optatam omnibus quietem daret, non minus Turcæ, quam Ragotius novum ſibi ingenium induiſſent. Auget timorem Reningherii nuncius, qui docuit, pro Szedii victoria ſupplicationem indictam, ubique lætitiam agitatam, majorem, quam antea, arrogantiam ſibi Chiuperlium ſumpſiſſe, quod Valachia, Moldaviaque perdomita, & Ragotio calamitatibus fracto, Tranſylvaniam facilius devincere poſſe exiſtimaret. Addidit præterea de cauſis, quare Szedius victoriam non exercuiſſet, quas quia ſuperius enunciavi, libenter nunc prætereo. His rebus in unum congruentibus, haud dubium bellum Cæſar habebat. Sub hoc tempus Solimanus ab Mehemete Rege legatus gratulans, *quod ad Imperium Leopoldus evectus eſſet*, Viennam venit, exponens *ejus in Cæſarem ſtudium*, dicenſque, *errare eos, qui apparatus in Pannoniæ, Tranſylvaniæque perniciem pertinere exiſtimarent. Re-*

An.1659

gem

An.1659 *gem Tranſylvanis jam ignoviſſe, ubi Acatium obſervari cognoviſſet. In milites vero conſcribendos totum mente, animoque eum inſiſtere, ut Cretæ receptæ ſuam laudem faciat. Ejus dignitatem pati non poſſe, ut tandem Venetos audaciæ pœnitere non cogat. Halio rerum militarium non minus peritiſſimo, quam magni animi, ac expertæ probitatis viro, qui mira cum laude compluribus Aſiæ provinciis præfuiſſet, Imperii ſummam tradidiſſe, ut probitate ad militibus imperandum, virtute ad Venetos opprimendos utatur.* Alia addidit, quæ ſuſpicionem eam auxerunt, Chiuperlium rem ſæpius propter alias occupationes nequicquam tentatam conficere nunc velle, præcipue quum apud Turcas eam conſuetudinem eſſe conſtaret, ut conſilii occultandi gratia aliud paratum in lingua, aliud in pectore clauſum habeant, aliudque poſtremo ſuſcipiant. Quum de moribus, atque Halii virtute quæreret Cæſar, vera eſſe reperiebat, quæ Solimanus de animi magnitudine, ac bellicæ laudis opinione dixerat, item magna eum inter ſuos authoritate eſſe favore Reginæ, cujus negotiorum curator erat. Id modo comperire non poterat, cur Chiuperlius ipſe exercitum in Tranſylvaniam non duceret, ut devictæ Civitatis gloriam ferret, quum ſenectus, quam Chiuperlio eſſe impedimento dicebant, quo minus itineris laborem ſuſciperet, Halio quoque officeret. Opinio tamen tunc temporis ſine authore exiit, Reginæ precibus, diſſuadente Chiuperlio, Mehemetem Halio Imperii ſummam tradidiſſe, ut rebus proſpere geſtis ejus authoritas amplificaretur. Sic Chiuperlio mortuo ad virum ſibi fidum rerum omnium ſumma redire poterat. Mihi veriſimilius videtur, Chiuperlio ſuadente, hoc negotii Halio datum, ut abſens magis, magiſque ſe Zaimæ Reginæ inſinuare non poſſet. Huc accedebat, quod maximi Chiuperlii referret, virum maximæ authoritatis periculis objectari, quem aliqua illata cauſa interficere ſe non poſſe intelligebat, ubi Zaimæ animum offendere nollet. His rebus cognitis Cæſar ſibi conſilium capiendum exiſtimat, ſed eiſdem rationibus, atque antea, nunc etiam bellum ſumere recuſat. Legatum tamen ad Georgium mittit, qui hortaretur, *ut Principatu ſe abdicando periculum vitaret, & oppida ſibi traderet.* Interea ſe ad omnem caſum parat, exercitumque in Pannoniam mittit, ut per viam ab Ragotio hoc obtineat, ut apud Turcas formidinem faciat, ut demum eoſdem opinione maximæ virtutis, alacritatiſque ab propoſito deterreat. Litteras ad Reningherium mittit, eumque docet, quid Chiuperlio exponi vellet. Hic ſubito Chiuperlium conveniens, proponit, *Cæſarem Mehemeti Turcarum Regi ſummopere cupere: propterea eam habere in animo, fœ-*

dus

dus non rumpere, nec Ragotio ſubſidio eſſe, ſed potius contra ipſum exercitum mittere velle, ut Zatmariam recipiat. Ad hæc Chiuperlius, *ſe Cæſarem non timere*, reſpondet. *Si bellum inferre vellet, ne cunctaretur, quoniam illud maximarum ærumnarum ei initium futurum ſperaret, quum ipſe agreſtium omnium in maxima mala ob populationes ab Pannoniis illatas præcipitatorum ultor eſſet.* Tum Reningherius *ſibi perſuaderi* dicit, *hoc ita inconſulto Cęſare eveniſſe, ut injuſſu Chiuperlii Turcæ depopulatũ Pannoniorum agros veniſſent.* Ad hęc nihil reſpondere Chiuperlio viſum eſt. Maximoque terrori Reningherio fuit, ſupplicium Ragotii legati, qui, quum pecuniæ vi Turcæ voluntatem redimere vellet, pro exploratore occiſus eſt. Quod ubi Georgius cognovit, rem fruſtra tentatam omittere tandem, & ad arma, in quibus omnia ſua ſita cognoſcebat, deſcendere decernit. Itaque partim pecunia, partim gratia, partim authoritate coacto exercitu in imprudentem Acatium inita hyeme impetum facere ſtatuit, priuſquam Turcarum ſubſidiis confirmari, atque ex timore ſe recipere poſſet. In eo enim victoriæ ſummam poſitam eſſe ſibi perſuaſerat, ſi Berciajum captum interficeret. Hunc enim Turcas accerſere, hunc eos contra ſe accendere arbitrabatur: quo mortuo nihil ſibi timendum judicabat. Berciajus quum ſe ad reſiſtendum infirmum eſſe videret, eodem confugio, quo proximo anno, uti decreverat. Sed Georgius ut de ejus conſilio conjectura judicaverat, illud antevenit, atque itinera omnia, quæ ad Devam ferebant, obſidet. Sic magnæ fortunæ fuit, Berciajum opportuno tempore inſidias poſitas per ſibi fideles homines cognoviſſe, ut cum paucis equitibus Cibinium ſe recipere valeret. Hoc oppidum ſibi opportunum judicabat, quum quod in aperto loco poſitum muris, atque turribus ſatis nota ratione inſtitutis, (recentiores baſtiones appellant) præterea foſsa, quam aqua ex flumine, quod prope eſt Cibinium nomine, derivata complet, muniebatur, tum quod ſingulari oppidanorum ſtudio utebatur, quibus præcipue indulſerat. Tam ſecreto iter habuit, ut complures dies, quo contendiſſet, Georgius ignoraret. Jam, ut in tali re ſolet, nonnulli cum paucis equitibus uno itinere, alii alia via eum in Turcarum fines ſe recipientem vidiſse dicebant. His authoribus ita fidem præſtitit Ragotius, ut aliis, qui Berciajum Cibinium ſe retuliſse nunciabant, credere nollet. Hoc modo partim Acatii arte, partim ſua pertinacia ita Ragotius ludificatus eſt, ut mille, & quingentos Turcas ad ſe recipiendi tempus Berciajo non defuerit; quum, ſi Ragotius, ubi primum rumorem exiiſse cognoviſset, magnis itineribus, ut poſtea fecit, contendiſset, Turcas ingreſsu interclusiſset: & ſic haud du-

An. 1659

An.1660 dubie Acatium oppreſſiſſet. Sero quum caſtra ad Cibinium moviſset Ragotius, & frumentariam rem, aliaque ad oppidorum defenſionem neceſsaria Acatium providiſse non ignoraret, tamen duriſſimo tempore, quo neque ſub pellibus milites contineri poterant, rem temere ſuſcipit. Ejus tamen audacia res ex difficillimis facillimas redigebat; quoniam, quum vix hominum octona millia in armis haberet, quæ nec ad oppugnandum, nec ad oppidum obſidendum ſufficere eum non fugiebat, rem conſecuturum ſperabat. Acatius Georgii temeritatem perſpiciens, ejus augere amentiam, quam maximam poteſt, metus opinionem præbere, nunquam eruptiones facere, atque ſupplices legatos de compoſitione mittere. Conſilium erat, deditionis ſimulatione Ragotii ſpem augendo rem in longiorem diem conferre, ut ſine vulnere non aſsuetos laboribus milites conficeret. Eadem Szedius Acmetes Budæ Præfectus reſpiciens, exercitum eo non mittere optimum judicabat, præcipue ubi mille,& quingentos a ſe miſsos oppido receptos cognovit. His artibus Ragotium eludi ita fama valebat, ut non ſemel ab amícis hoc ad eum perlatum eſset: ſed ipſe ſive quod maximam ſuarum rerum fiduciam habebat, ſive quod nihil ſuæ virtuti infectum arbitrabatur, ſive ſuæ dignitatis non eſse judicans, vano incepto diſcedere, omnia prius pati, quam rem non aſsequi conſtituit. Hoc etſi pars nulla ratione, alii judicio factum dicebant, tamen ne unus quidem repertus eſt, qui nimiam ejus fiduciam, vel verius amentiam non improbaret, quum partem quoque copiarum Georgitiæ, atque Serbano attribuere periculoſum non duxiſset, ut in Valachiam, Moldaviamque diſtinendi Turcarum manus cauſa contenderent. Sed neque in expeditionem miſſi diverſum, atque antea, (ægerrime perpauci ex fuga, reliquis interfectis, in caſtra revertuntur) neque oppugnatio alium, atque rerum militarium periti judicaverant, eventum excepit: quoniam tametſi deditionis conditionibus ſe fruſtrari, & ex die diem ab Acatio duci, ad hoc etſi rem per vim conſequi non poſſe Ragotius intelligebat, tamen ne inito quidem vere oppugnationem relinquere voluit, ut optime de ſe meritis Haidonibus ſubveniat. Qui quum omnem belli tempeſtatem ad ſe translatam vidiſſent, ad Ragotium legatos, auxilium orantes, miſerunt, ſimulque docentes, *Szedium ſupra hominum millia viginti in armis habere; ſe arma cœpiſſe ad ſex millium numerum. Sperare, ſi ſibi Ragotius ſe conjungeret, imbelles Turcas nullo negotio pellere poſſe.* Haidones tum ſuo merito, quod ſemper Ragotii fidem ſecuti eſſent, tum ejus conſilio confiſi, quod tantam opportunitatem eum nunquam corrupturum confidebant, imperii

ſum-

ſummam Franciſco Julajo, Franciſcoque Barconio permittunt. An.1660
Expeditis omnibus iter facere incipiunt, ut, quam citiſſime poſſent, Ragotio ſe conjungerent. In itinere vero Ragotii litteræ Julajo redduntur, *ſe infecto negotio diſcedere non poſſe, eo magis, quod brevi æquis conditionibus Cibinium recepturum ſperaret: hoc non poſtbabendum judicaviſſe, quum tantam de Haidonum virtute opinionem habeat, ut ab ſolis Turcas propelli poſſe confideret*. His litteris recitatis magna omnium perturbatio facta eſt. Julajus collegæ proponit, utilius eſſe arma ponere, & potius Turcarum benignitatem deditionis beneficio obſtrictorum, quam eorundem vim experiri. Reſiſtitur a Barconio. Ab ſua ſententia ſe non diſceſſurum Julajus pronunciat; remque multitudini exponit. Hæc res apud alios gaudium, quod metu ſe liberari intelligebant, apud majorem partem mæſtitiam facit, quia per virtutem interfici, quam inultos per dedecus jugulari malebant. Tanta ergo diſſenſio inter eos extitit, ut parum abeſſet, quin ad arma deſcenderent. Tandem Barconius poteſtatem facit eis ſui conſilii ab reliquis ſeparandi, qui fortunam tentare non auderent, quum ipſe, aliique fortes viri communem injuriam ulciſci velint. Ars illa erat, ut eos ne timoris quidem ſuſpicionem vitare puderet, quum alios tantam animi præſentiam præſtare animadverterent. At opinio Barconium falſum habuit, quoniam hac facultate tributa extemplo duo circiter millia cum Julajo diſcedunt. Quare magna difficultate afficiuntur illi, quibus antiquior omnibus rebus libertas erat, quum eos loco hoſtium habere decreviſſent. Sed ubi in mentem venit, turpe eſſe in cives viros eſſe, legatos ad Szedium Martinum Badovajum, Franciſcumque Stepenem mittendi conſilium capiunt, qui omnes facti hoſtilis purgarent. Hos ſimulac Szedius vidit, retineri jubet: nam poſt direpta intra paucos dies plura caſtella, agros vaſtatos, omnia incenſa, complures captos, ne eis quidquam reliqui feciſſe dici poſſet, libertatem adimere exoptabat. Stepenem poſtea domum dimittit, qui ſuis nunciaret, *Szedium credere ærumnas ipſis documento fuiſſe in reliquum tempus nunquam Turcarum imperium contemnendi, ſed jurejurando ſe obſtringendi, non recuſaturos, quominus perpetuo ſub Turcarum Regis ditione ſint, quum hæc una deprecandi pericula conditio eſſet*. Hæc ubi ad Haidones perlata ſunt, utpote non magis magno animo, quam impigri erant, tantam injuriam non ferre, ſed potius fortunam, quæcumque accidat, experiri primo ſtatuunt. Sed quum poſtea animadverterent præſtare nunc tempori cedere, ut opportunitatem injurias ulciſcendi opperirentur, quam fruſtra maximam dimicationem

An. 1660 ſubire, Stepenem remittunt, qui ſe imperata facturos polliceretur. His in fidem receptis, Szedius tempus conſumere arbitratur, ubi populationibus tantum ſtuderet: hac enim re ad ſe belli confecti gloriam non perventuram, exercitu Ragotii ſalvo, ſciebat. Igitur eum delere magnopere cupiens, antequam Halius, quem in itinere eſſe audiebat, perveniret, ad Cibinium contendere cogitabat: ſed conſiderans poſtea, Ragotium fuga periculum vitaturum eſſe, ne una ex parte oppidi præſidio, altera ingenti exercitu circumſiſteretur, dolo eum capere decernit. Hoc reſpiciens, duobus militibus magnis pollicitationibus perſuadet, ut ad Ragotium tranſeant. Hos edocuit, quid interrogati reſponderent. Qui ubi juſſa effecerunt, quod id præter conſuetudinem acciderat, miratus Georgius, quærit ex eis cauſam. Qui, *ſe magna ex parte metu adductos perfugiſſe* pronunciant, *quod fama accepiſſent, Ragotium relicta oppugnatione adventare; cui quum reſiſti non poſſe conſtaret, quod Szedius dulcedine prædandi captus, majorem exercitus partem trans Tibiſcum in expeditionem miſiſſet, ſibique vix hominum millia ſex, in his ægros reliquiſſet, ſe in pedibus ſibi ſubſidium poſuiſſe. Szedii etiam avaritiam ſe præterea novam experiri fortunam coegiſſe, quum non contentus ea re, quod prædam omnem domum avertat, nihil reliqui faciat militibus, Provincialibuſque. Hoc de cauſa omnes ab ipſo ita alienatos eſſe, ut quam maxime ſe cum Georgio conjungere optarent.* Addunt *de novis exortis ſeditionibus, Haliumque cum exercitu in Tranſylvaniam iter habentem retractum eſſe, quum metus ingens eſſet, eum unum ex conjurationis authoribus eſſe. Ejus exercitum Amuratem quendam Mehemeti fidum accepiſſe, & itinere converſo Conſtinopolim petere inſtituiſſe, ut ſeditioſis obviam eat. Ad Szedium quoque Mehemetis mandata perlata eſſe, ut ipſe etiam, quam maximis itineribus poſſet, cum exercitu Conſtantinopolim veniret: ſed eum magna ſollicitudine affectum eſſe fama, quæ ad ipſum de cæde populatorum ab Pannoniis facta pervenerat.* Alia his ſimilia addiderunt, quæ nullo alio indicio ficta ad Ragotii voluntatem videbantur. Ab Ragotio tamen his fides fit, quod eum tanta harum rerum cupido tenebat, ut incredibiliora quoque credidiſſet. Nullumque ſpatium ad cognoſcendum ſibi relinquens, quoniam illud hoſtibus ad ſe ex timore recipiendos dari arbitrabatur, temere authore hoſte de ſummis rebus conſilium capit. Diſcedens equites non explorandi cauſa, ſed Haidones, reliquoſque Tranſylvanos certiores de ſuo adventu faciendi gratia præmittit. In itinere complures nactus, per quos cognoſcere facilius potuiſſet, ſe ab perfugis deceptum, ſtudio tamen quam ocyſſime negotii con-

ficien-

Digitized by Google

ſiciendi quærere de iis rebus prætermiſit. Quum quinque dierum iter proceſſiſſet, non procul Szedium in ſtativis conſidere intelligit. *Tam ad prædam*, inquit, *properate milites: hoc die ex virtute gloria, divitiæ, præterea libertas invenietur. An non ex perfugis audiſtis, Turcarum rem in anguſto eſſe? Omnium ſuperioris temporis laborum fructus in hoc puncto temporis conſtat. Accelerate ergo, ut prius Turcæ ſe victos eſſe, quam vos perveniſſe ſentiant.* Hæc verba tantum militum animis addiderunt, ut quatuor paſſuum millium ſpatio prope puncto temporis confecto in hoſtium conſpectum venirent. Ex caſtrorum tractu Turcarum multitudinem cognoſcens, animo non parum primo permovetur Ragotius, deinde conſiderans, Turcarum caſtra plurimum in latitudinem dedita opera patere, ut ampliorum copiarum ſpeciem præbendo in contemptum Tranſylvanis non venirent, animum colligit. De hac Szedii ratione licet conjectura judicaverat, tamen, quia etiam rumorem pro re comperta habere ſolebat, ſuis rem, veluti certis authoribus cognitam, exponit. Additque, *agitedum fortem animum gerite: comparate vos ad caſtra eundum: ne oculorum quidem veſtrorum aciem ſuſtinebunt ignaviſſimi, quum fruſtra fraude ſe uſos eſse cognoverint. Hoc optime etiam intelligent, ſi clamorem veſtræ audaciæ indicem audient. Proinde eum tollite: ne timete.* Sublatus clamor non qualis illorum eſt, qui victoriam animo provident, ſed illorum, qui metu ſimul, ſimul ſpe agitantur. Juſſi progredi, dubii duo paſſuum millia ex eo loco procedunt. Quum mille paſſus caſtra ab caſtris diſtabant, tum ſui fallendi cauſa Turcas ad ſe tranſiviſſe Tranſylvani cognoſcunt, quod eos ad Szedium iterum profugiſſe repererunt. Hac re cognita, quum omnem ſalutis ſpem ſibi præciſam cognoſcerent, caſtra lamentis implent: tantuſque timor eos præoccupaverat, ut quum veniſſent ſub meridiem, tamen propter timorem ne caſtra quidem munire audebant. Ragotius inter ſuorum terrorem, ac Turcarum cunctationem omnes circuit, oratque, *ne tam cito ſibi diffiderent. Conſueſse quandoque Deum falſis nunciis Chriſtianos ad pugnam impellere, ut victoria potirentur, qui alioquin perterriti fortunam non tentaviſsent. Proinde ſi pro viribus caſtra munirent, & ſtrenuam operam darent, ſe magnam victoriæ ſpem habituram.* His verbis, & factis, quod princeps ipſe cum reliquis præfectis in opere verſabatur, omnes ad laborem ita accendit, ut paulo poſt ſolis occaſum jam plene caſtrorum munitiones eſſent perfectæ. Nocte nemo fuit, qui conquieſceret, ſed quum vento arborum frondes agitari audiebant, Turcas venire rati, arreptis armis tumultum faciebant. Mane cuncti Ragotium

 adeunt,

An. 1660 adeunt, atque dicunt, *non dubitari, quin quinque, & viginti millia hominum Szedius in armis habeat; ſe vix ad octo millia eſſe totius hyemis labore confecta. Cur trucidandos veluti pecora ſe egregie de ipſo meritos obiiceret? Vel quare fame conſumi exercitum pateretur? Satis extremam famem ſe magna conſtantia alias toleraviſſe; nunc vero omni alia ſpe amiſsa, quid commeatu interclusos ab innumeris equitibus profectione ad ſalutem contendere vetaret?* Hæc verba ut non minimam difficultatem ad conſilium capiendum Ragotio attulerant, res ad concilium delata eſt. Ad concilium Præfectos omnes, ad hoc gregarios illos, qui multitudinis favore aliqua authoritate eſſent, Ragotius adhibet. Sententiæ igitur a pleriſque dicebantur, *ut de ſecunda vigilia relictis impedimentis ad ſalutem contenderent, quum paucos labore confectos, ac adverſis rebus perculſos cum tot Turcis integris, ac opinione recentis victoriæ ferocioribus nec æquo marte manus conſerere poſſe conſtaret, atque nec intra caſtra ſubſidii ſpes continere ſe valeret. Turcas equitatu obſeſſis itineribus rei frumentariæ ſibi facultatem ademiſſe: quid expectarent, dum conſumpto frumento, quod ſecum duxiſſent, fame pereant?* Concludebant, *neminem conſilium hoc improbaturum, niſi adeo demens ſit, ut adhuc perfugis præſtare fidem vellet.* At Michael Micheſius, qui etiam in calamitate Georgio fidelis erat, contra id, quod naturæ vitio fit, percontatus eſt, *quid tandem ubi timoris plena ſententia accepta eſſet? Utrum adhibita diligentia profectionem occultare poſſent? an nihilo minus eam ſint Turcæ perſpecturi? Sive enim fugam texerint, quem dubitare, quin tandem ſint conſecuturi? & Tranſylvaniam ſine periculo devicturi, quum neque tunc eis obſiſtendi facultas ſit? Sin autem conſilium Turcæ ſint intellecturi, & cui certum non eſſe, eos immiſſo equitatu ſe in fuga occupatos interfecturos? Cogitarent quo progrederentur: ſibi melius eſſe videri fortunam acie cum aliqua ſpe tentare, quam certo etiam timoris data ſuſpicione interfici.* Res licet ad meridiem diſputatione perducta fuit, tamen nullius ſententia accepta, vel improbata Georgius concilium dimittit. Qui quum complures tranſiſſe dies vidiſſet, nec in alia re Turcas eſſe occupatos, quam in obſidendis viis animadverteret, id ab Szedio fieri conjectat, ut rem diutius duceret, donec ampliora ſubſidia convenirent: modo conſcriptos milites prælio obiicere eum periculoſum putare judicat. Ragotius igitur haud dubium habens, Szedium ſatis, ſuperque, cunctando, timoris confeſſionem expreſſiſſe, prælium committere ſtatuit. Ad hoc conſilium cum ſupra enarratis cauſis hæc quoque ratio eum deduxit, quod, ne Tranſylvanorum voluntates ab ſe alienaret, timebat, quum fama

ma

ma ad eos perveniret, ſe ab timidiſſimis obſideri. Plurimum enim An. 1660
nocere hoc illis ſciebat, qui magna ex parte vulgi ſtudio eniſi, bellum trahunt; quoniam hac opinione, ut per ſe nihil plebe mobilius eſt, mutare facile conſilium poſſet. Militum concionem advocantem ad hunc modum diſſeruiſſe mihi traditum eſt. *Quandiu vos injuſtiſſima barbarorum imperia laturi eritis, ſatis intelligere non poſſum: nam quum ad finem ventum eſſe arbitrabar, nunc aliam de vobis opinionem habeam, oportet. Quæ major dementiæ vis veſtras mentes turbare poteſt, quum eos timeatis, qui vos verentur, quoſque contemnendo timidiores efficere poteſtis? Animo, audacia opus eſt. In manu eorum, qui ea præſtant, eſſe conſtat, liberos, conjuges, parenteſque ab imminentibus periculis eripere. At mortis metum impedimenti loco eſſe credo, quominus ea præſtetis. Hoc ſi verum eſſet, ut eſt falſum, quod virtus, ac animi magnitudo pro muro habentur, tamen optanda res eveniret: nam ſi mors, ut omnium optima a Deo tribuitur, utpote una, quæ innumeris finem facit ærumnis, & ad futura vitæ gaudia aditum aperit, quantum eſt optanda illa per virtutem, quæ egregii facinoris fama mortales immortales facit. Sed quid? cur vitam vobis reliqui fieri adempta libertate optatis? tantum ne ſervitutis vos tenet deſiderium? tantum ne ignaviæ ſtudetis, ut facultatem quoque belli facinora ad alias virtutes addendi vobis eripi cupiatis? Cur, quum vitam veluti pecora tranſigere optaretis, me audacem, ac fortem Ducem ſumptis armis ſecuti eſtis? Proh ignaviam! Satis ne formas hominum habere putatis? at has ærumnæ deformabunt. An parum non eſt vobis, vocem ſolum exprimere poſſe? at maximus dolor prohibebit. Satis ne vobis eſt animam retinere? at hanc, quandiu immaniſſimis hoſtibus placebit, habebitis. Sequitur, ſequitur vos mors, quum eam effugitis: nam libertate amiſſa omnia cruciatuum exempla Turcę ſtatuent. Non de gloria, non de Imperio, non de fortunis modo, ſed de veſtra ſalute, de libertate, de religione actum eſt, ſi vos viros eſſe pudebit. Et quid ignavius dici poteſt, ne ea quidem poſſe Tranſylvanos retinere, quæ a majoribus, tot, tantiſque laboribus parta, tot, tantiſque cruciatibus conſervata accepimus? Quid turpius hac re fingi, aut excogitari poteſt? Non dubium eſt, quin tot laborum, quos æquo animo ſumpſerunt majores, ut illa nobis relinquerent, nunc eos pœniteat. Quos ſi a mortuis excitare liceret, jam ita dicentes audirem. O fruſtra a nobis inſudatos labores! O noſtram miſeram conditionem! O ignaviſſimos, & dignos noſtris deteſtationibus filios! O indignos, ut filiorum noſtrorum nomine appellemini! Tantum ne virium, an animi vobis non eſt, ut deſidum Turcarum cupidita-*

An. 1660 *ti obviam ire non audeatis? Non ne cui animus eſt, eidem ſatis virium eſt? Vel utrumque, vel neutrum vobis eſſe, confiteamini, oportet. Liceat per uos, vos eis oppida tradere, gravius tributum pendere, ſi mitiores, non aſperiores in vos fieri, ſi iniquiora alia ex aliis eos nonpoſtulare cognoveritis. Alias quæ conditio erit? His ſimilia, & fortaſſe majora dicerent, quæ me nunc ante oculos ponere, & pudet, & piget, ne contumeliis vos ad virtutem accendere videar. Non hoc meum eſt conſilium; ſed potius precibus veſtros animos arrigere cupio, ne committatis, ut macula, & ignominia in vobis remaneat, neu Turcarum numero terreamini: nam fando pluries vos audiviſſe credo, ſæpius parva manu ingentes exercitus fuſos eſſe, & quod plus eſt, non ſemel Chriſtianos Deo fuiſſe curæ apparuiſſe, quum pauci plures deleverunt. Et perſuadere vobis poteſtis, Deum vos deſerturum, quum ejus cauſam, quum religionem defenditis? Magna me etiam victoriæ ſpes tenet, quum conſidero, Turcis, qui coacti nomen dederunt, inutile eſſe pro unius potentia pericula obire, & pro Præfectorum profunda avaritia, qui uni prædam omnem avertunt, vobiſque neceſſarium eſſe, libertatem, religionem defendere. Non vos pro meo dominatu, ſed potius ego pro veſtra incolumitate ſum dimicaturus, qui nullo alio conſilio, ut imperium mihi deferretur petii, quam ut vos ab injuria prohibeam. Eam rem ſimulatque me conſequi non poſſe judicaviſtis, non minus libenter Principatu abii, quam primum illum inii. Rurſus, ubi meam operam ex uſu Tranſylvaniæ eſſe arbitrati eſtis, laborem ſumere non recuſavi. Potius ergo mihi ad veſtrum præſcriptum, quam vobis ad meum agere oportuit. Quid mirum eſſet, quum ego omnibus rebus veſtram ſalutem cariorem habeam, ſi vos proprium bonum poſt alia non duceretis? Utinam eandem operam pro vobiſmetipſis, atque ego, præſtaretis. Utinam ut me Ducem in caſtris, ita in pugna ſequeremini: explorata victoria eſſet: vobiſque in libertate, mihi in Principatu ætatem agere ſine metu liceret. Quod ſi extrema tentare, atque libertatem in dextris portare obliviſceremini, quid aliud eſset, quam patriam prodere, & quantum in vobis eſset, liberos, conjuges hoſtibus ad ſupplicium tradere. Hoc de vobis nunquam mihi perſuaſum habere potui, & nunquam tantum ſcelus vos admiſſuros confido, ut veſtram libertatem deſerentes, a me ſtudio publicæ quietis ſuperari videamini: ſed potius vos viros fore ſpero, ut ſaltem funeſtam victoriam hoſtibus relinquatis.* Poſtquam finem orationi Ragotius fecit, qui audiendi ſtudio taciti aderant, quaſi nihil ea permoverentur, illi magno ſublato clamore Ragotium orant, ne ſuam fidem juxta, ac virtutem experiri dubitet: ſe magno cum

do-

dolore timoris ſuſpicionem ſuſtinere: proinde diem pugnæ repræſentaret, quo citius ignominia virtute aboliretur. Exitus pugnæ docuit, multum animis militum oratione Imperatoris addi: quoniam ex timidis alacres Tranſylvanos Ragotii verba feciſſe compertum fuit. Nam ſtatim, raptis ſignis, caſtris egredientes, & Ragotio triplicem aciem inſtruendi, & Szedio pugnæ facultatem præbuerunt. Szedius etſi prælio ſuperſedere ſtatuerat, ut majorem metus opinionem præbendo Tranſylvanum temerariorem efficeret, tamen, ubi eum ſic paratum vidit, ut in caſtra impetum facere auderet, pugnam non detractat. Ex caſtris exercitum educens, paucis pro tempore militem ad virtutem hortatur. *En fortiſſimi viri*, inquit, *quam petiiſtis prælii facultatem. Nolite nunc quæſo fallere, quum veſtri uſus eſt, quam de veſtra virtute habeo opinionem. Magnum animum vos gerentes non ſuſtinebunt Tranſylvani, qui alias inertes ne conſpectum quidem veſtrum ferre valuerunt. Iidem ſunt Tranſylvani, idem Dux, quos paucis ante menſibus acie dimicare audentes per virtutem fudiſtis. Præterea Ragotii exitus jam adeſt, id veſtra ne virtute, an Halii exercitus alacritate accidat, modo agitur. Pudeat vos, quam gloriam, prædamque nobis parere poteſtis, eam Halio reſervare. Omnia matura ſunt, præda, gloria belli, ſi viri eſſe velitis: at dubia, ſi, ut Turcas decet, virtutem non præſtaveritis.* Plura dicere cupientem Ragotius prohibet. Hic primus ex dextro cornu, quod ipſe tenebat, procurrit, atque in ſiniſtrum Turcarum, ubi Szedius conſtiterat, impetum cum mille, & quingentis faciens, viam ferro ſuis aperire, in repugnantes ſe eiicere hoſtes, impetus unus excipere, ſuo exemplo alios ad virtutem accendere. Eodem tempore ex ſiniſtro cornu Michael Micheſius, ac ex media acie Georgius Cevalius, alter in mediam aciem, alter in dextrum Turcarum cornu tanta vi ſe effundunt, ut aliud tempus ad conandum defuturum exiſtimantes, ultima auderent. Nulla interpoſita dubitatione dicere audeo, nihil his ad virtutem defuiſſe, quod ſicut quam minimum ſpatii primum ad ſe colligendos Turcis non dederunt, ita intervallum ad integros pro fauciis accerſendos, ac ſubſidia laborantibus ſubmittenda eis non reliquerunt. Cevalii audaciæ fortuna non defuit: nam quum Amuratem Szedii nepotem, optimæ ſpei adoleſcentem, mediæ aciei præpoſitum interfeciſſet, magnam partem amiſſo Duce pedes referentem obtruncat. Poſtea ubi hoſtem, quem ſibi fors obtulerat, fuſum vidit, in mediam pugnæ molem progredi ſtatuit. Videns ergo plurimum eſſe periculi, ubi Micheſius pugnabat, quod tres Prætorianorum cohortes, quæ compluribus An. 1660

in-

An. 1660 inveteraverant prœliis, alios rerum militarium imperitos confirmabant, eo ab latere ſe oſtendit. Hoc ubi viderunt, tyrones ſeſe fugæ mandant, veterani vero dum fugiendo ante partum militiæ decus amittere turpe ſibi ducunt, ac ordines ſervant, magno cum periculo ferocium Tranſylvanorum impetum ſuſtinent. Hoc quum pugnaretur modo, jam Turcarum res inclinari cœperat. Nec dubium erat, quin victoria tandem penes Tranſylvanos fuiſſet, niſi Ragotius, poſtquam ſiniſtrum Turcarum cornu pene disjecerat, ante omnes pergens, vulneratus equo decidiſſet. Nam ubi Ducis mortis ſenſus ad Tranſylvanos per Turcarum clamorem pervenit, ſeſe deſerunt. Turcarum & qui fugerant, & qui initium fugæ faciebant prælium redintegrant, & Ducis caſum miſerantes Tranſylvanos magis, quam pugnantes interimunt. Turcarum circiter quatuor millia ceciderunt, in his Amurates, & præter eum alii propter fortitudinem paulo notiores Præfecti; vulnerantur tamen amplius mille. Cæterum tantum dolorem gloria belli, prędaque caſtrorum leniunt. Ex Tranſylvanis minus duo millia ſuperfuerunt, quæ Ragotium inter manus Varadinum allatum ſecuta ſunt, ut una cum eo, quemcumque caſum fortuna afferret, ſuſtinerent: præſtare enim ipſis videbatur, reliquorum fatum parvo temporis ſpatio per virtutem antecedere, quam paulo poſt eandem fortunam, Tranſylvania devicta, cum aliis inultos ferre. Varadino tamen omnes domum diſcedunt, ubi Ragotium nonum, & trigeſimum ætatis annum agentem ſpiritus deficit; quoniam in reliquum tempus in ejus egregia virtute ſpem ſalutis ponere non licere cognoſcebant. Fuit ſane vir, qui ad generis nobilitatem, atque audaciam uſum in re militari addens, omnia pericula conſueta habebat. Nunquam Tranſylvanos ad ſtudium ſui perducendi dimiſit occaſionem, etſi hoc ſibi juxta, ac aliis exitio fore intelligebat. Citius ejus exitus adfuiſſet, niſi ei plurimum audaciæ & ad pericula capeſſenda, & inter ipſa fuiſſet. Tempore capto Redajum primo, deinde Berciajum, & Turcas apud plebem criminatus, atque ſe libertatis vindicem afferens, omnium voluntates ſibi conciliabat. Verbis audaciæ plenis, ac ferocia Tranſylvanorum exiſtimationem tenebat: nam, ubi uſus aderat, primus in pugna verſabatur, noviſſimus præliandi finem faciebat. Alia pariter arte tantam ab Tranſylvanis inibat gratiam, ut difficile judicares, utrum eis tam carus eſſet, quam Turcis inviſus. Nam ut ei ad imperandum, & parendum, prout Civitatis quieti conduceret, ingenium eſſe illi credebant, ita hi ſummo conſilio eum ab vi ad preces ſe vertere arbitrabantur, quum aliam rationem ſuas manus effugiendi ipſi relictam non eſſe cognoſceret.

Hoc

Hoc conſilium utpote a prudentia natum, nonnulli laudibus celebrant; mihi autem potius reprehendendum videtur, quum vaſtum animum incredibiliora cupientem eum ad audaciam incitaviſſe, & ingenii mobilitatem eundem ad quietem, Principatu abeundo, impuliſſe conſtet. Quis enim prudens vir Principatum, tanquam citius depoſiturus, toties ſummo cum capitis periculo occepiſſet? Aut quis Cibinium operibus, & firmo præſidio munitum oppidum duriſſimo hyemis tempore oppugnare inſtituiſſet, niſi qui ſuam vanitatem non minus, quam belli imperitiam demonſtrare voluiſſet? Quis a Berciajo tanto temporis ſpatio ſe fruſtrari paſſus eſſet, niſi qui minimam calliditatem, aut incredibilem ſuarum rerum fiduciam oſtendere exoptaviſſet? Igitur ut paucis abſolvam, Ragotio & virtus, & audacia inerat, ſed non tanta, ut merito in eam ſpem venire poſſet, ſibi uni parva manu Turcarum impetus non modo ſuſtinendi, ſed etiam infringendi facultatem eſſe. Id unum non negaverim, quod ſi ætas, ut ſit, nimium fervorem, ac tantam rerum incredibilium cupiditatem abſtuliſſet, & conſilium, cautionemque attuliſſet, nulli gloria, bellique decore ceſſiſſet. Læti Turcæ Ragotii mortem accepere, quod nunc unius diei negotium eſſe Tranſylvaniam ſuo Imperio adjungere exiſtimabant. Szedius maxime ex omnibus ad lætitiam excitatur, quum gloria ſemel, atque iterum Ragotii ſummi Ducis ſuperati ad ſe perveniſſet. Unus Halius, qui cum exercitu in itinere erat, dolore afficitur, quia victoriam, quam ſua virtute parere optabat, e manibus ſibi ereptam videbat. Tanta igitur indignatione exarſit, ut in miſſos ad Chiuperlium ab Szedio cum captivis, qui præterea nonnullorum capita, atque militaria ſigna referebant, incidens, contineri non potuiſſet, quin publicum ſimulans bonum in Szedium non inveheretur, *quod non contentus eo, quod rem in ſummum periculum deduxiſſet, prælium mediocribus copiis committendo, ubi ampliores adventare non ignorabat, nunc etiam ſuam temeritatem oſtentare non dubitaret*. Eadem litterarum ſententia fuit, quas ad Mehemetem miſit, eum orans, *ut in Szedium animadvertens, reliquis ſummam imperii obtinentibus fortunam ſine ſpe non periclitandi documentum daret*. Ad hoc addit, *ſe incerta ejus voluntate ſtativa habere decreviſſe. Fore tamen paratum in Tranſylvaniam etiam bello confecto contendere, ſi vellet*. Ad Chiuperlium ubi capita, & ſigna perlata ſunt, ea oſtentat, atque omnes ad lætitiam excitari jubet: hoc pluribus de cauſis feciſſe conſtat, quarum illæ fuerunt præcipuæ, ut, magna gloria bello confecto, nunquam Turcam ſui conſilii, vel fortunæ pœnituiſſe appareret, ut illis, qui ad res novas An.1660

L mo-

An. 1660 mobilitate ingenii, aut odio adverſus ſe impellebantur, terrorem inferret. Amplius non ingratum ei fuit, quod hæc laus ad Halium non perveniſſet. Hic ne favore Reginæ ad Magiſtratum evocaretur, timebat. Hac de cauſa ad Halium reſcribit, *ne in Tranſylvaniam caſtra movere differret, ut Varadinum, ſi poſſet, expugnaret*. De Szedio vero non facit mentionem: quod non parum Halio diſplicuit. Dolorem vero ferre non potuit, ubi Szedium ab Chiuperlio munificentiſſime donatum audivit, quum profectionem in Tranſylvaniam differret. Per eoſdem dies Auguſtinus Majembergius, quem legatum ad Turcarum Regem ab Cæſare miſſum docuimus, in Tranſylvaniæ fines perveniens, de Georgii morte cognoſcit. Propterea negotii conficiendi cauſa ad Ragotium filium contendens, eum edocet, *ſe ab Cæſare ad Patrem miſſum fuiſſe, ut renunciaret, eum, vellet nollet ipſe, conſecuturum eſſe, quod ſibi ab eodem promiſſum eſſet: hac de cauſa exercitum, quem Zatmariam duceret, Comiti Ludovico Suchio Gallo tradidiſſe. Magnum uſum habere, voluntatem Cæſaris æquiſſimis conditionibus redimere, cujus opibus in communi generis calamitate tegi poſſet*. Alia addidit, *quare tempori cedendum eſſet*: quæ ut pluries recenſuimus, nunc libenti animo præterimus. Ragotius de matris conſilio poſtridie Majembergium ad ſe vocans, interpoſito jurejurando iis conditionibus, quas ſupra demonſtravimus, patris fidem exolvere paratum eſſe reſpondet. Majembergius hac facultate oblata, quum rem in celeritate poſitam eſſe videret, quod incertum eſſet, quid quiſque dies ferret, dum victores Turcæ in Tranſylvania verſarentur, litteras ad Szedium mittit, (cum eo enim amicitiam inſtituerat, dum ad Mehemetem Pruſam contendit) *ſuos ab populationibus contineret: ſatis jam Cæſaris conſtantiam ipſum tentaviſſe, quum Zatmarienſem, ac Biborienſem pagos, qui ſub Pannoniæ Regis imperio ſint, vaſtari paſſus eſſet: ne nunc occaſionem & veteres, & novas ulciſcendi injurias daret*. Szedius ſive amici litteris permotus, ſive quod depopulatum prius agrum fruſtra iterum ſine præda aditurum intelligeret, ſive majoribus rebus aſtrictus, animum ab injuria continuit. Comiti Franciſco Veſelino, ac Suchio Majembergius ſcribit, *paratum eſſe Ragotium Germanorum præſidium oppidis recipere: ne cunctarentur, ſed exercitum ducerent, antequam commutatio fieret voluntatis. Magni intereſſe auxilii ſpe Tranſylvanos Ragotii morte perculſos, & ſibi durius conſulere cogitantes confirmare, & Berciajo oppidorum Præfectos ab Cæſaris amicitia avertere ſtudenti timorem inferre*. Hæ litteræ Suchio redditæ eo tempore, quo concilio coacto ratio quærebatur, quemadmodum ſine malefi-

cio

Digitized by Google

cio in Pannonia Germani verſari poſſent, magna ſollicitudine eum afficiunt. Poſthabitis omnibus extemplo eo contendiſſet, ſi exercitus jam perveniſſet. Dejectus ergo ſpe confeſtim eundi, ne deſes tempus tereret, Pannonios hortatur, *maturius Turcarum cupiditati obviam eant: nequicquam, Tranſylvania devicta, eos ab ſuis finibus arcere, eſſe ipſos tentaturos. Halium cum exercitu in itinere eſſe etiam Ragotio mortuo: ſuſpicari juvare, eos Civitatem ſuo Imperio adjungendi gratia bellum intuliſſe.* Petit, *ne ipſorum ſtudium Cæſari deſit, ſed exercitum frumento, rebuſque omnibus juvent.* Pollicentur, atque agunt ei gratias Pannonii, quod ſui periculi rationem habeat. Quindecim dierum mora interpoſita Suchio exercitum contrahendi facultas fuit: nec inveniri potuit, cur id accidiſſet; quum quidam dicerent, commune Germanorum malum eſſe dies prolatare, alii vero renunciarent, eos, qui Suchii gloriæ invidebant, pro viribus tantam rem impediſſe. Conſtabat enim, eos prius in concilio cenſuiſſe, ut exiguæ copiæ Suchio ſine tormentis traderentur, ne Ragotii, Suchiique audacia res in dubium devocaretur. At Suchius paucos milites armis exutos Tranſylvanos non eſſe confirmaturos, neque Turcis terrorem illaturos demonſtrans, ab Cæſare obtinuit, ut hominum millia duodecim ſibi permitterentur, bellica tormenta ex Pannoniæ oppidis, ubi res poſtulare videretur, ad exercitum duceret. Sed poſtea Cæſar cognoſcens, nullo conſilio belli tempore finitima hoſti oppida armis exui, ſex minora tormenta ſecum ducendi Suchio poteſtatem facit. His omnibus expeditis Suchius Zatmariam iter facere incipit. Dum tridui iter a Tibiſco abeſſet, nunciatur ei, Zatmariæ Præfectum promiſſis, atque præmiis ab Acatio captum ejus fidem ſecutum eſſe. Hac de cauſa magno dolore afficitur is, qui non ſua, ſed aliorum culpa ſe rei occurrere non potuiſſe videbat. Igitur aliis præmetuens oppidis, cum equitatu neque diem, neque noctem iter intermittit, ut quam primum Tibiſcum tranſiret, peditesque juſtis itineribus ſubſequi jubet. Celerius omnium opinione Tochæum perveniens, ibi firmiſſimum præſidium relinquit, atque Calloum contendit. Mœnibus ſubito receptus, propeper vim in arcem præſidium introducere neceſſe habuit. Nam etſi arcis Præfectum, qui Germanos arce recipere poſſe negabat, Suchius deterruit, tamen ille petere non dubitavit, ut partem Germanorum, partem Pannoniorum arci cuſtodiæ eſſe fineret, quoad Ragotii mandata ad ſe perferrentur. Hoc etiam ab ſe adipiſci poſſe Suchius negavit, *ſe ſtatim per vim milites in arcem introducturum.* Tunc Præfectus rem diutius ducendi ſpe amiſ- An. 1660

An. 1660 ſa neceſſario ei paret. Fama Suchii adventus confeſtim in Tranſylvaniam perlata gaudium ingens facit, maxime quod amplius hominum millia triginta in itinere eſſe, antecurſores ad tria millia numero Tochæum perveniſſe omnium ſermonibus referretur. Quibus rumoribus permotus Szedius, ne invitus vel magno cum periculo pugnare, vel maxima cum infamia caſtris ſe continere, vel in fuga ſubſidium ponere cogeretur, Tranſylvania excedit, ut obviam Halio procederet. Hoc ſtatim Berciajus Suchio enunciat, ac ſuum excellens in Cæſarem ſtudium profitetur; *atque eo conſilio Zatmariam recepiſſe* commemorat, *ne Turcæ oppidum occupaviſſent: paratum ſe eſſe illud reddere, ſimulatque Cæſar ex uſu eſſe judicaviſset. Sibi tamen pulcherrimum eſse videri, ſi reliquis oppidis ſuum præſidium recipi patiatur, ne ea expugnare Turcæ cupientes, rem ad arma deducerent.* Ex his litteris Suchius cognoſcens, Acatium egregiam in Cæſarem ſimulare voluntatem, quod rumore ingentis exercitus permotus ſe ab injuria continere vellet, alieno vero in eum animo eſſe demonſtraturum, ſimul primum Halium perveniſſe intellexiſſet, totus in Zatmariæ Præfecti mentem ſanandam inſiſtit. Nactus ergo de Comitis Zaichii conſilio hominem ſibi opportunum, qui Præfecto erat amicus, ei ducentos Germanos attribuit, quos, ubi Præfectum ad ſanitatem reduxiſſet, in oppidum introduceret. Hic juſſa efficiens, ubi oppido appropinquavit, relictis militibus ad Præfectum ſuum familiarem mittit, qui diceret, *habere ſe, quid de ſummis rebus cum eo ageret: proinde vel ad ipſum ſe accedere pateretur, vel in locum ipſi placitum colloquii cauſa veniret.* Poteſtate oppidum ingrediendi facta, ad ipſum pervenit: ſalute data, atque reddita, pauca præſentibus militibus loquitur, ne ſuſpicionem daret; ſecreto eum deinde monet, *ne hanc maculam in ſe remanere patiatur, ut tantum admiſiſse facinus, ab Cæſare deficiendo*, (Pannonius enim erat) *dici poſset. Mortales omnes errare: ſed probatæ virtutis hominis eſse ad ſanitatem reverti, perditi vero ſuam augere amentiam. Tantum ergo ignominiæ deleret, ut ſuæ in Cæſarem optimæ voluntatis præmium percipere poſset.* Præfectus ſive amicitia, ſive pollicitationibus, ſive, quod veriſimilius puto, ignominiæ delendæ ſtudio permotus, militibus omnibus perſuadet, ut ſicuti pravo ſuo conſilio, omnia Berciajo permittendo, uſi eſſent, ita optimum, Cæſaris fidem ſequendo, conſilium probarent. Quumque eos id reſpuere ſentiret, quia negligere ſacramentum, quod apud Berciajum dixiſſent, turpe ducerent, *Cur prioris ſacramenti*, inquit, *quod apud Georgium dixiſtis mentionem non facitis? Sublatum non eſt illud novo ſacramento, quo non* te-

tenemini. An vos in verba non juraſtis, in officio futuros, & Ragotii imperata facturos? Qui igitur ſalva religione Georgii, vel filii injuſſu ſacramento vos adigere Berciajus potuit? His permoti milites *ſe in Cæſaris authoritate futuros* dicunt, *quum Ragotii mandata ad ſe perferrentur*. Hæc ſe attuliſſe legatus dicens, omnium conſenſu introductis militibus Cæſar Zatmariam obtinuit. Hic nuncius ad Suchium allatus eum bona ſpe complet, quod omnia ſua incepta procedere videbat. Jam enim exercitus partem, quam juſtis itineribus ſubſequi ſe juſſerat, ad Tibiſcum perveniſſe acceperat. Locum igitur caſtris idoneum capere exoptans, ut aquandi, lignandi, frumentandi tuto omnibus poteſtas eſſet, diu ſecum reputat, utrum trans, vel citra flumen caſtra locare commodiſſimum eſſet: tandem ſive ne Germanis Pannonios injuriis laceſſendi poteſtas eſſet, ſive ut facilius nuper recepta oppida tegeret, Turciſque terrorem incuteret, ſive quod trans Tibiſcum planicies erat paulo locis ſuperioribus circumventa, ubi milites collocatos tuta caſtra redditurosarbitrabatur, ultra Tibiſcum caſtra locare ſtatuit. Ubi ea magnis impedimentis, quæ ſecum ex Sarmatia duxerant milites, circundedit, vallo etiam communire inſtituit. Quoniam, quam citiſſime poterat, opus perfici cupiebat, ut tempus aliis rebus ante Turcarum adventum conficiendis relinqueretur, partitis temporibus equites, peditesque in opere appellabat. Ad hæc munitionum genera rurſus foſſam addit, quam in juſtam altitudinem, latitudinemque perduci jubet. Caſtrorum munitionibus plene perfectis, maxime aliis oppidis, quæ præſidiis Ragotius obtinebat, veritus Suchius, ad Ragotium ſcribit, oratque, *ut ea oppida quoque eiſdem conditionibus, atque alia, tradat*. Ab quo obtinuit, ut Præfectos ſacramento obſtringeret. Eſcheti ergo Præfectus Ragotii juſſu *ſe Cæſaris imperata facturum* pollicetur, Germanos tamen, etiam magna præmiorum ſpe propoſita, recipere abnuit. At Onodii Præfectus ſacramentum quoque dicere recuſat. Suchius nihil effectum eſſe conjectans, etiamſi Præfecti omnes ſacramento ſe obſtringerent, *ſe in Cæſaris authoritate futuros*, quod Turcæ id ſimulate ſui excludendi cauſa factum exiſtimarent, in introducendos in oppida milites incumbit. Huic rei tantopere ſtudendum ſtatuit, quantopere ex Cæſaris litteris ejus deſiderium cognoſcebat. Magnum decus conſilio trans Tibiſcum caſtra locandi, magnam gloriam diligentia itineris celerius omnium opinione facti ſibi peperiſſe Cęſar ſcripſerat, magnam quoque laudem, ubi ne hoc quidem irritum eſſet inceptum, ad ſe perventuram confidebat. Quum laudis cupido eum ad ala-

An. 1660

An.1660 alacritatem excitaret, Veſelino, quem ſibi, Cæſarique fidum; Ragotii matri carum arbitrabatur, negotium dat, ut eam adiens, hortaretur, *Cæſari ſatisfaciat*. Ipſe, quum fama divulgaret, Halium dixiſſe, ſe eo conſilio veniſſe, ut oppidis nuper occupatis Germanos deiiceret, Calloumque primo oppugnaret, Calloum, aliaque oppida quam maximis poteſt munitionibus firmat, etſi certis authoribus compererat, Halium Varadinum expugnare cupere, & Turcis id moris eſſe non ignorabat, ut ſemper contra, atque in pectore clauſum habeant, dicant. Ad Varadini Præfectum litteras mittit, *Turcas non alio reſpicere, quam ad Varadinum expugnandum: propterea omnia, quæ ad oppidi defenſionem uſui eſſent, parent, & oblato ab ſe præſidio utantur. In extremis rebus, quibus rebus poſſent, ſibi conſulere optimum eſſe*. Acceptas litteras Matthias Bolochius, cui imperium Franciſcus Julajus, qui oppido præerat, diſcedens tradiderat, concilio convocato palam recitat. Major pars *ab Suchio hæc ficta* cenſet, *ut, ubi vim non procedere cognoviſſet, fraude Varadino potiretur. Halium potius Germanos, quam ſe ſuis ſedibus expellere velle*. Contra alii *omnino oblata auxilia mœnibus recipienda* exiſtimant. Hi enim Halium ſupra caput cum exercitu eſſe, & eo pertinere ejus adventum, Ragotio mortuo, cognoſcebant, ut opportunitate ad Tranſylvaniam ſub ſuum Imperium cogendam uteretur. His reſiſtitur, atque oratio peſſimi ſacerdotis Calvini erroribus imbuti opponitur, qui libertatis conſervandæ ſpecie Germanos eo conſilio auxilii gratia ad ſe mitti nolebat, ne Cæſar oppido potitus omnes Catholicos eſſe cogeret. Huic omnes morem geſſerunt. O pravum, & omnibus precibus deteſtabile conſilium, quum illud unum non magis Tranſylvanorum libertati, quam Chriſtianæ rei vulnus inflixiſſet! Hujus rei nuncius Suchii moleſtiam auget, quam Veſelini mobilitas ei attulerat. Hic enim ut antea temere Ragotium ab oppidis Germanos prohibere dicebat, ita nunc, quum Ragotii matrem conveniſſet, merito id ab eo fieri prædicabat. Illa ne Veſelinum, an Veſelinus eam ad furorem impuliſſet in incerto erat. Solum haud dubium habebatur, tam Veſelinum, cæteroſque optimates, quam Pannonios omnes indignatione exardere, quod Cæſar injuſſu ſuo regnaret, quum antea Pannoniorum ſuffragiis Regis creationem permittendi mos eſſet. His omnibus difficultatibus affectus Suchius, *rem eſſe in ſummo diſcrimine Cæſarem* docet: *exiguam ſe ſpem habere, Varadinum tolerare obſidionem poſſe, quum ſubſidium oppidani recipere abnuiſſent. Turpe ipſi, ac periculoſum eſſe Pannoniæ arcem ab Turcis expugnari ſinere, quum ignominioſam,*

quæ

quæ plurimum inſidiarum habet, pacem honeſto, ac neceſſario bello præferre dementiæ eſſet. Addit præterea, *ſe Eſcheti, Onodiique obtinendi ſpe Veſelini gratia dejectum eſſe.* Eodem die Halium Varadinum oppugnare inſtituiſſe cognoſcens, Lambachium equitum Præfectum ad eum mittit, qui doceret, *ſibi ab Cæſare mandatum eſſe, ut omnino pacem ſervaret. Caſtra trans Tibiſcum poſuiſse, ut Scythas rapinis prohiberet; quoniam, quum ſuperioris anni caſu admonitus eſset, quo Scythæ dulcedine prædandi remotiſſimas ſociorum regiones petiviſsent, ſummæ dementiæ eſset, ne hoc quidem anno huic rei prævertere.* Ad hæc nihil reſpondere Halio viſum eſt, ſive quod ita in oppugnationem inſiſtebat, ut alia curare negotia nequiret, ſive quod opportunius viſum eſt rem extrahere, & interim oppugnationis exitum expectare. Berciajo tamen, qui ad ſe cum hominum millibus ſex venerat, cuſtodes ponit, quod merito eum ſuſpectum ſe habere dixit, quum propter mobilitatem Tranſylvanis innatam, tum quod ſe nunquam Varadinum expugnari paſſurum eſſe dixiſſet. At multis authoribus rumor exiit, Acatium ab Halio petiiſſe, ut ſe in liberis haberet cuſtodiis, ne Tranſylvanis ſuſpicionem dans, ſe cum Turcis Civitatis addicendæ ſervituti conſilia iniiſſe, omnium animos ab ſe alienaret. Horum opinionem adjuvabat quoque ea res, quod Acatius ſuas copias Turcis adjunxiſſet, & quod expugnato Varadino confeſtim libertatem habuiſſet. Acatium poſtea ſe expurgantem nonnulli audiverunt, *tantam ſibi ab inimicis immerito illatam eſse contumeliam: ſe Halio opem tuliſse, quod ejus affirmatione in ſpem Germanos expellendi veniſset. Præterea nec Turcis amicum ad Tranſylvanos litteras poſtea miſsurum fuiſse, rem in ſummo diſcrimine eſse: ne oppida munire, & ſibi conſulere differrent.* Nobis quia nihil conſtat, id in medio relinquimus. Non dubium tamen eſt, Tranſylvanos ejus litteris excitos, concilio coacto, præſidium, Præfectoſque in oppida mittere ſtatuiſſe, edictumque proponi juſſiſſe, *uti omnes, quibus ætas ad militandum gravior non eſset, ſeſe expedirent*: nam antea eos tantus invaſerat terror, ut potius ſuum fatum quererentur, quam de rebus, quæ ad bellum uſui forent, comparandis cogitarent. Nunc etiam mittunt ad Cæſarem legatum Martinum Balduelem, qui libere diceret, *neque pro bono, neque recte Cæſarem facturum, ſi Varadinum expugnari pateretur, quum id non magis cum Tranſylvaniæ, quam Pannoniæ periculo eſset futurum.* Ad quæ Cæſar, *ut ſe Tranſylvanorum commodum primum habere, ita cogitaturum*, reſpondet, *quid ex eorum uſu eſset.* Aliaque addens, quæ ad ſuos perlata eos bona ſpe complerent, le- An. 1660

An. 1660 legatum domum dimittit. Ipſe Portiæ hortatu Vienna diſcedens, ut provincias viſeret, nonnullis ex Pannoniorum optimatibus præſcribit, ad quam diem ſibi Cratii præſto eſſent. Qui ubi eo ad diem venerunt, Cæſaris verbis eis nunciatum eſt, *ipſos ab eo vocatos eſſe, ut imminentibus malis remedium reperiant*. Ad quæ illi, *ſe poſtridie re deliberata ſuum conſilium Cæſari propoſituros*. Mane ut omnes in Cæſaris conſpectu fuerunt, in hunc modum Comitem Nadaſtium locutum eſſe accepi. *Non ſum, Cæſar, veſtra in nos beneficia nunc expoſiturus, quæ utpote innumera, & per ſe magna ſi memorare vellem, potius dies, quam materia me deficeret. Tantum dicturus ſum, hæc fruſtra fuiſſe, ſi ad ſexcenta hoc non addas, ut nos ab Turcarum injuria prohibeas. Omnis noſtra ſpes in te ſita eſt: tuum auxilium omnes pavidi imploramus. Quod ſi id in te non eſſe cognoſcent Pannonii, certe durius ſuæ vitæ conſulent, qui ſubſidii ſpe amiſſa duriſſimum ſibi ſperant eventum. Omnium ora in nos converſa ſunt, quoniam diſcedentibus mandarunt, ut a te omnibus precibus poſtularemus; ne ipſos deſeras. Propterea ſi nunc magis te, quam ipſos, de ſua ſalute ſollicitum eſſe ſcirent, quum conſilii ineundi gratia nos advocaſti, ab Deo neſtoreos annos tanto Regi optime de ſe merito peterent, omnibuſque laudibus prudentiam proſequerentur. Certo conſtat, eos non tantopere ſuis periculis cruciari, quantopere ex illa re dolorem capiunt, quod bellum pro ipſis te ſuſcipere oportere cognoſcunt. Jam omnia te magis, quam bellum malle intelligunt, ut pace nuper data bene de te merito populo tot bellis confecto frui liceat. Tamen tantam tuam animi magnitudinem, ac erga ſe voluntatem eſſe perſuaſum ſibi habent, ut tuum animum non offendere exiſtiment, quum, ne ærario, neu tuorum opibus parcas, petunt. Quoties huc ductam rem eſſe conſidero, ut vel bellum ſuſcipiendum, vel injuriæ perferendæ ſint, maximam ſpem habeo id a te impetrandi. Nam quomodo frui otio Germanis licebit, ubi Tranſylvania, Pannoniaque in maximo diſcrimine eſt? Fortaſſe credere juvabit, Turcarum, his devictis gentibus, incredibilem dominandi libidinem extingui poſſe, quum potius rebus proſpere geſtis, ac dignitate amplificata eam ita accendi jure conjectem; ut totius orbis terrarum etiam, non ſolum Germaniæ Imperium aperte petant. Nunc ergo eorum cupiditati obviam eundum eſt, dum non adhuc ſibi gloriam, & potentiam addiderunt. Nequicquam Varadino, aliiſque oppidis expugnatis bellum ſumetur: nam tunc clades quoque ad libertatis periculum accedet. An forſan ſperare juvat, Turcas Varadino recepto iræ temperaturos, ac domum repetituros? Si hoc conſilii eis eſſe conſtaret, timoris dare opinionem*

igno-

ignominioſum illis non eſset, quos ex crudeliſſimorum nutu ſuam ſalutem, atque exitium pendere non puderet. At quid dicam, ubi nemini occultum ſit, eos finitimorum damno auctiores gloria, dominatuque eſse velle? An qui fœdas ictum rumpere turpe non duxerunt, ruptum per ſcelus neminem eſse violaturos ſperas? An mitiores reddi poſse obſequio videntur? Jenum hac ſpe expugnari paſſi ſumus, & Lugam, Cheresbeniumque eos recipere permiſimus. Sed fruſtra; quum hoc ferociores alia ex aliis petendo fieri videamus. Facere ergo eis poteſtatem impune ſuſcepta perficiendi, ac munitiſſima quęque oppida ſuo Imperio adjungendi, quoad nullum noſtrę vitę remedium reperiri poſſit ſtultitiæ eſt. At ſibi Jenum tradi petiit Chiuperlius, (nomen, quod nunquam ſine indignatione exprimere poſsum) ut Ragotio pœnas merenti quid gravius ab ſe accidiſse dici poſset, nunc, eo mortuo, quis eſt, qui injurias inferendo eum laceſſit? Dicam, ſi adhuc ignoretur: omnes ei inviſi ſumus, quia in libertate permanemus: omnes finitimos opportunitate data hoſtes habet. Noſter timor belli cauſa eſt: noſtra negligentia ipſis ludibrio eſt: nulla libertatis noſtra cura eos ad bellum invitat. Et nos deſides Tranſylvaniæ ſpectabimus excidium, perinde ac temere, & non potius ſui boni cauſa majores noſtri, & noſtra memoria Ferdinandus Cæſar, qui dignus te ſuo filio habitus eſt, fidem interpoſuiſset illorum periculum pro ſuo defendendi? An non modo aliorum Pannoniæ Regum, ſed Rodulphi, Maximiliani, Ferdinandi majorum tuorum factum eſt improbandum, qui pro eodem Varadino defendendo tot, tantoſque labores ſuſceperunt? An prudentiſſimorum opera fruſtra fuiſse, conatus tot male cecidiſse ferendum eſt? Nonne Deus, quem, fidem lædendo, contemnimus, ultor erit? Hæc libentius dico, quia ſuſpicari nemo poteſt, me hortari, ut tuo periculo alienam rem cures: nam etſi Germani ad militiam cogendi, eiſdemque frumentum, arma, pecunia, atque alia, quæ ad bellum egenti, & vario uſui eſse ſolent, imperanda ſunt, nobis tamen, præter hæc, alia erunt ferenda. Tota enim belli tempeſtate in nos translata, & hoſtium, & Germanorum, qui ſociis pro hoſtibus uti conſueſcant, excurſiones patiamur, oportet. Hæc omnia, & majora, ſi res poſtulet, libenter aliquo temporis ſpatio perpeti decrevimus, ut in reliquum tempus domi otium eſse lætemur. Nec, quin res procedat, dubito, quum quod Turcarum ignavia, atque mala diſciplina, Germanorum vero bona diſciplina, & virtus, hoſtium ducum imperitia, noſtrorum maximus in re militari uſus me in hanc ſpem adducit, tum quia, quum Tranſylvani, Valachi, Moldavi, Haidones in ſocietate periculi ſint, in ſocietatem belli veniant, oportet. Hi omnes am- An. 1660

An.1660 *plius triginta hominum millia ex omnibus lecta nobis polliciti ſunt: Quæ nos conferemus ad quinque, & viginti millia arbitrantur. Quæ copiæ Suebii exercitui adjunctæ nonne deletæ timoris maculæ, & oppreſſorum hoſtium gloriam nullo negotio ferent?* His præſenti conſilio dictis, Cæſar Pannonios dimittit, ut illico de tanta re in celeritate poſita deliberaretur. Diu nemo ſuam ſententiam dicere auſus eſt, quum difficile eſſet in tanto periculo conſilium inire, quod in utramque partem tutum eſſet, præcipue quum Nadaſtii orationem omnium animos permoviſſe arbitrarentur. Sed tandem Portiam hujuſcemodi orationem habuiſſe cognovi. *Meum in te ſtudium, Cæſar, facit, ut quid ſentiam paucis proponam, etſi nonnullis ſuſpicandi occaſionem præbeo, me vel timore, vel invidia adductum te a bello debortari. Sed utinam a Deo, quod ad tuam ſalutem, & gloriam pertinet, impetrem. Utinam omnia tibi accidant, quæ evenire exopto: haud dubie neque Rex, neque Imperator fuiſset, vel futurus videretur, cui perpetua vitæ felicitate præferendus non eſses. Hoc maximum, quod me tenet, tuæ gloriæ deſiderium ad te monendum nunc cogit, ne tam facile, ſed certa ſpe, paratiſque neceſſariis rebus omnibus bellum ſumas, etſi ea, quæ Nadaſtius dixit, maxima ex parte vera eſse cognoſco; quidquid de ejus, reliquorumque Pannoniorum voluntatibus ſit, quas unus Deus manifeſtas habet. Ego autem quum conſidero, ipſos ſemper queri, quod Rex ſuo ſuffragio non creetur, ſuſpicari cogor, illos tantum ſimulare ſtudium, ut ſuſcepto bello facultatem prava perficiendi conſilia nancīſcantur. Hæc quum ita ſint, agendi nunc tempus non videtur, qua ratione omnia poſsunt vitari pericula, (eo enim rerum ſtatu hoc impoſſibile duco) ſed ſolum quemadmodum ex tot impendentibus malis maximum effugiatur. Et ſane videtur, bellum in majus periculum deducere rem poſse, quum neque arma, neque milites, neque pecunia, neque res omnes ad illud contra potentiſſimum hoſtem trahendum neceſsariæ ſuppetant, quam pax, quæ inſidiarum aliquid habere videtur. Nonne etiamſi Pannoniæ devincendæ Turcæ conſilia iniiſsent, vel compoſitione, vel terrore adducti, vel alia de cauſa mutare conſilium poſsunt? An bello aperte ſuſcepto tanta potentia non exagitatur magis, quam lenitur? Et quid aliud incitatis barbaris expectare poſsumus, quam exercituum cædes, oppidorum jacturas, & alia multo majora mala? Nam quibus opibus exercitum Turcis parem cogere poſsumus? Noſtris ne? quæ omnium temporum bella attriverunt. An Tranſylvanorum, Pannoniorumque auxiliis? quorum mobilitatem multis jam rebus perſpectam habemus. An Germaniæ, ac reliquorum Chriſtianorum Principum ſubſidiis?*

qui-

quibus,quum Auſtriaci generis potentia formidoloſa omnibus ſit, læti- An.1660
tiæ veſtrum periculum fore ſuſpicari juvat. Mei conſilii eſt igitur bel-
lum ad extremum reſervare: nam neque verum eſſe conſtat, Panno-
niæ ſalutem in eo conſtare, ſi Varadinum retineatur; quum aliis
itineribus in Pannoniam Turcæ contendere poſſint. Neque ii propter
fidem ab majoribus datam te ad eis ſuccurrendum ſubigere poſſunt,
quum oblato præſidio uti vana ſuſpicione noluerint: immo pulcher-
rimum eſſe exiſtimo, ut pertinaciæ pœnas dando reliquis ſint exemplo.
Poſtquam finem dicendi Portia fecit, nemo tanto viro, quem ma-
ximam apud Cæſarem authoritatem habere conſtabat, reſiſtere au-
debat. Unus Averſperghius ſibi aliam eſſe mentem dicit. O-
rationem, quam ipſum habuiſſe ferunt, perſcribere ſatis cauſæ non
eſſe puto, quum eadem ratio, atque Pannonios, ipſum ad eam
ſententiam deduxit. Quod autem ad Nadaſtii orationem addidit,
præterire non eſſe conſilium exiſtimo. *Non ex eo*, inquit, *quod*
aliis itineribus Pannoniam ingredi Turca valet, maximum Panno-
niorum ſalutis momentum Varadinum non eſt: nam hoc oppido expu-
gnato Tranſylvaniam perdomere nihil negotii eſt, ubi Scytharum hy-
berna conſtituentes, atque aliorum, qui magno labore hyemandi cau-
ſa remotiſſimas Aſiæ regiones petere nunc neceſſe habent, opportune
inito vere exercitum contrahere maximo cum Panoniæ periculo poſ-
ſunt. Quod de Tranſylvani, ac Pannonii mobilitate dictum eſſet,
ſe negare non poſſe; non ignorare tamen periculum non ſemel ingenii
commutationis cauſam fuiſſe. Concluſit tandem, *occaſionem Halii*
exercitus delendi prætermittendam omnino non eſſe. Quibus rebus
omnibus adductus Cæſar, Tranſylvanorum injurias non negligere
ſtatuit. Ad Suchium igitur mandata perferri jubet, *ut, ſi publicæ*
ſalutis commodo facere poſset, receptis ad ſe Tranſylvanorum, atque
Pannoniorum copiis, itemque quinque cohortibus, quas ab ſe ſubſidio
miſsas in itinere eſse conſtabat, Varadinum contendat: monet tamen,
ne rem ſuſcipiat, quum vel res in dubium devocari, vel oppidanos
liberari obſidione non poſse cognoſceret. Suchius, Cæſaris mandatis
cognitis, negotii perficiendi rationem quærit, Pannonios advocat,
peritos regionum adhibet, ut per eos itinera, quibus ad Varadi-
num contenderet, cognoſcat. Sed quum tanta diligentia ſtatio-
nes diſpoſitas habere, atque vias obſidere Turcas acciperet, ut ne
ſingulari quidem homini aditus eſſet, itinere ſuperſedere ſtatuit.
Hoc eo tempore periclitandum non exiſtimabat, quum quod Cæ-
ſar fortunæ rem committere vetuerat, tum quia ægerrime quinque
hominum millia in caſtris eſſe ſciebat: nam neque Tranſylvani ar-
ma cœperant, neque Pannonii ſupra mille contulerant. Hæc om-

An.1660 nia Viennam per Suchii familiarem, qui celerius per diſpoſitos equos venerat, nunciata ingentem faciunt terrorem. Nonnulli igitur prava quorundam conſilia, quod invidi res magnæ expectationis impediviſſent, deteſtantur. Specie enim Suchii audaciæ non augendæ ampliora ſubſidia ei mittere ita diſtulerant, ut Varadini retinendi facultatem eripuiſſent. Halius poſtquam pervenit, perſpecto oppidi ſitu omnes aditus præſepire, unicuique certas ad oppugnationem partes attribuere, nullum tempus de conatu remittere. Cuſtodes autem quum propter paucitatem infirmi ad reſiſtendum eſſent, ſuburbia incenſa deſerunt. Quæ ubi Halius occupavit, ut eruptiones comprimeret, ibi partem peditum collocat. Jam tormenta contra turres, quæ ſatis nota ratione munitæ baſtiones appellantur, diſpoſuerat. Jam opera contra oppidum proceſſerant, quum perlata ad Halium fama eſt, Suchium ſolvendæ obſidionis cauſa venire. Tum contra exteriorem hoſtem opera inſtituere neceſſarium ducit. Quæ res fuit impedimento, quominus muros milites aggrederentur. Operibus perfectis Halius omnes hortatur, *ut magnam præſtarent audaciam, ſi irrito incepto maxima cum infamia diſcedere nollent*. Sciebat enim magnæ dimicationis, ac ſummi periculi rem eſſe, oppidum expugnare, cujus murorum latitudo tanta erat, ut vix tormentis eis noceri poſſe ſperaret: nam duos muros aliquo intervallo diſtantes terra coagmentata ita complebat, ut unum efficeret opus, quod ad oppidorum defenſionem ſummam habet opportunitatem: ab tormentis enim congeſta terra, ab militum vero vi lapis defendit. Turres recentiori forma certo quoque ſpatio inſtitutæ, adeo ut unaquæque earum inter duas media ſtaret, & illarum tormentis defenderetur, item foſſa in plurium cubitorum altitudinem, latitudinemque perducta, quam aqua ex Chryſio flumine (ad cujus prope ripas oppidum poſitum eſt) derivata complet, Halium de expugnatione deſperare coegiſſent, ſi nulla virium parte ſibi par eſſe præſidium non cognoviſſet. Magnam igitur in ſpem venit ſuam gloriam militum laboribus faciendi, quoniam quo opportuniorem Regis conſiliis urbem expugnaret, eo majus ad ſe decus perventurum confidebat. Præterea hoc oppido recepto, faciliorem ſibi in Pannoniam aditum fore conſtabat. Nam, quum oppidum poſitum ſit, ubi montes medio fere ab utraque parte ſpatio intermittunt, atque planities patet, nullo negotio commeatu intercludendi exercitus, qui poſt terga illud relinquerent, oppidi præſidio facultas eſt. Multis aliis de cauſis negotium conficere Halius ſtatuerat, quarum ea erat præcipua, quod maximo cum dedecore ſe abducturum inde exercitum intelligebat,

quum

Digitized by Google

quum paucos ſe ab muris prohibuiſſe in vulgus efferretur. Diſpoſitis An. 1660.
igitur in turrium, præcipue ejus, quæ Arancia appellatur, perniciem tormentis, conatu non deſtitit, niſi ubi tantum muri everſum eſſe cognovit, ut aditus ad oppidum pateat. Jam ea ex parte in urbem irrumpere ſtatuerant milites, quum foſſam aqua completam ipſis impedimento eſſe cognoverunt. Rationem extra eam derivandi fruſtra quærentes perfuga, qui ratus præſtare ſibi perfidiæ præmia percipere, quam expugnato oppido conſtantiæ pœnas dare, quid facto opus ſit, edocet. De hujus conſilio Halius duas foſſas diverſis locis perduci jubens, huc rem duxit, ut cratibus urbis foſſam contegendi facultas eſſet. Conati ſunt obſeſſi opera diſturbare, ſed tanta diligentia milites adminiſtros tutati ſunt, ut compluribus amiſſis in oppidum rejicerentur. Hunc eventum Turcis animum auxiſſe nonnulli arbitrati ſunt: nam antea propter defenſorum conſtantiam, & virtutem ab ſpe quamprimum oppidi potiundi repulſi inter ſe contra Halium conjurabant, quod ſe ab oppugnatione reducere nollet. Nobis autem conſtat, milites Halio non parituros fuiſſe, niſi ex eodem perfuga cognoviſſent, obſeſſos vix paucos poſſe tolerare dies, quum quod omnium rerum inopia afflictarentur, tum quod res ad defenſorum paucitatem perveniſſet. Turpe ergo rati, rem haud difficilem non conſequi, conſiſtunt, & cuniculos ad eam partem muri, & turrim agentes, quam contra Halium eſſe diximus, tormentario ibi incluſo pulveri ignem inferunt: tum illico emicans flamma, magno fragore convellit lapides, atque in altum cum militum corporibus rapit. Hoc facto velut explorata victoria ad colloquium Halius Bolochium evocat. Qui quum id facere abnuiſſet, legatum mittit, qui per colloquia oppidanorum tentaret animos, atque Bolochio perſuaderet, *ut ad deditionis conditiones recurreret, in quibus ſalutis ſpes conſtaret, quum per vim urbe capta pertinaciæ pœnas daturus eſſet*. At quum Matthias Bolochius reſpondiſſet, *ſe vel per virtutem mori, vel fidem erga ſuum Ducem conſervare ſtatuiſſe*, Halius ad iram excitatus confeſtim legatum militibus tradere jubet, qua arrogantia Varadini Præfectus uſus eſſet, ut eos tantam ulciſci injuriam cogat. Halium opinio non fefellit, quum magna miles exarſiſſet indignatione, quaſi in contemptu viveret, quod pauci labefactis muris impetum ſuſtinere auderent. Ne opportunitatem dimittat Halius, *ut in poſterum parati eſſent* omnes hortatur. Nocte ſcalarum magnum numerum parari jubet, ut, quum aliis partibus intenti ad pugnam eſſent cuſtodes, de improviſo illi, quibus id negotii datum eſſet, murum aſcenderent, & ab tergo pugnantes conciderent.

An.1660 rent. Mane orto jam ſole unumquemque Ducem cum ſuis ſuo loco aggredi muros jubet: magni enim intereſſe arbitrabatur paucos diſtinere cuſtodes. Hæc tamen res eum falſum habuit. Nam, quum ab ea parte, ubi ipſe ſuis aderat, in turrim irrupiſſent, locumque, ne depellerentur, munire inſtituiſſent, tamen tanta vi, ac ira milites manu cum oppidanis facta in eos ſeſe ejecerunt, ut diutius non ſuſtinerent impetum, ſed præcipites ſe fugæ mandarent. Eandem fortunam alii, qui aliis partibus pugnabant, tulerunt. Unum vero, quod memoria dignum videtur, omittere, non eſſe conſilium exiſtimo. Quum illi, quibus ſcalis murum aſcendendi negotium datum erat, eas ad murum admoviſſent, nonnullorum voces, qui caſu eo venerant, audiuntur. *Ad arma. Hic novus inſtat hoſtis*. Ad clamorem parvuli, mulieresque, quæ unæ ab hoſte vacuæ erant venire, lapides, aquam, & quæcunque præbebat locus, mittere, minime lamentabilem ululatum, ſed clamorem alacritatis indicem tollere, hoſteſque terrere. Atque tanta harum alacritas fuit, ut in armis exercitatiſſimis infirmiſſimum ſuperandi genus facultas non fuerit. Hujus rei infamia, atque magna ſuorum jactura (nam amplius hominum millia bina eo die deſiderata fama valuit) tanto dolore afficiuntur Turcæ, ut de perfuga, quaſi ab obſeſſis edoctus ficta pertuliſſet, ſupplicium ſumerent. Hic operę pretium eſt diſcere, raro impunitum ab Deo relinqui tantum ſcelus. Jam unuſquiſque de relinquenda obſidione cogitabat, ſed quoniam alius alii conſpectum fugiebat, ne ignavia ſibi obiiceretur, conſilia conatus perficiendi ſtatim inire nequiverunt: iniviſſent autem, quum tempus interceſſiſſet, quo pudor ille mentibus deceſſiſſet. Nam obſeſſi quum ſpem ſubſidii amiſiſſent, atque ad ultimum ſupplicium progredi ſtultitiæ viſum eſſet, legatos de deditione ad Halium mittunt. Halius ut exiguam obtinendæ rei ſpem habebat, eas, quas petierunt conditiones, dare non abnuit. Ex conditionibus poteſtas cunctis diſcedendi facta. Sic munitiſſimi oppidi exiguis copiis recepti ſeptem, & quadraginta dierum ſpatio gloriam tulit. Oppidani ex hominum animis ſua alacritate, atque conſtantia (omnia eos expertos eſse conſtabat) delere vanæ ſuſpicionis ignominiam non potuerunt; quum, ſi ab Suchio oblatum præſidium non reſpuiſsent, ad extremum ſuccumbere neceſse non habuiſsent. Hac re elatus Halius, ut de ſuis laudibus innatum eſt mortalibus prædicare, uberiora omnia dicit, atque rem geſtam in majus celebrat, *ab hominum millibus tribus magna ex parte Germanis oppidum fuiſſe defenſum* Chiuperlio ſcribit. *Ab Cæſare ne miſſa auxilia eſſent, ſe non dum*

ex-

exploratum habere, conjectura tamen judicare, illius injuſſu eo venire non potuiſſe. Docet, *Szedium Acmetem ex Ragotio victoria parta ingentem eſſe, ut ſua contemnere imperia non dubitaret, ſummumque Magiſtratum ab Rege, quaſi debitum, repetere affectaret: eum, ſi id voluntate non impetret, ad vim deſcenſurum dubitari, quum beneficio Prætorianos obſtringere, & pretio emere ad excitandos motus cœpiſſet. Secreto in tabernaculo concilia facere, &, quacumque incederet, omnes ſecum trahere*. Item petit, *ut quid agendum judicaret præſcribat. Se ipſo inconſulto, nihil ſuſcepturum*. Hoc multis de cauſis ab ipſo ſcriptum conjectamus, quarum ea fuit præcipua, quod, ut callidus erat, omnia ad Mehemetis nutum facere optimum exiſtimabat, ne ei confirmaretur opinio, ipſum affectare Magiſtratum; quod haud dubium Mehemeti viſum eſset, ſi ad Reginæ favorem belli præclara facinora addere ſtudere demonſtraret. His litteris perlectis Chiuperlius ad lætitiam excitatur; nunciumque ipſe ad Regem attulit; tres dies ludis Turcarum more celebrandis tribuit: ſuum conſilium laudibus effert, quod tempore capto rem magnæ contentionis ſine periculo obtinuiſſet. *Magis ad ſe, quam ad Halium laudem perveniſſe* omnibus ſermonibus refert, *quoniam plus temporis, quam neceſſe fuiſſet, eum conſumpſiſſe conſtaret*. His rebus compoſitis litteras Halio remittit, *Tranſylvanis pronunciari juberet, ut, ſi in magnas proiici nollent miſerias, Claudiopolim tradant; nec alia conditione inde ſe abducturum exercitum profiteretur*. Admonet tamen eum, *nihil minarum relinquat, ut eos ad ſuam ſententiam perducat; minime vero oppugnare oppidum inſtituat, ſed populatis agris Temeſuariam ſe recipiat*. Id ea maxime ratione fieri juſſit, quoniam ſi voluntate Tranſylvani urbem traderent, gloriam Halium laturum non eſſe cognoſcebat. Ubi Reningherius ex Acatii legato cognovit, Mehemetem Claudiopolim, ac nummorum aureorum centena millia quinque petere, Chiuperlium adire conſtituit, ut eum moneret, *ne aperte totius Tranſylvaniæ Imperium petere demonſtraret, quum alia ex aliis poſtularet; quoniam tantam injuriam miſerrimis irrogari Cæſar non eſſet paſſurus*. At Chiuperlius *quid negotii ipſi, Cæſarique in Tranſylvania eſſet* rogitavit, *quam Solimanus deviciſſet. Satis jam conſtare, eum bellum ſuſcipere exoptare. At ſe ignorare, quum nihil tam facile eſſet, quam bellum inferre, cur dies prolataret?* His dictis eum ab ſe dimittit. Reningherius ergo legatum Acatii juſſu falſo, Varadini Germanos fuiſſe, Chiuperlio enunciaviſſe ſuſpicatus, eum promiſſis aggreditur. Ex quo cognoſcit, *ſe Mehemeti expoſuiſ-* An. 1660

ſe

An. 1660 *ſe, Acatium ſuam in Regem fidem nunc perſpectam multis rebus eſſe ſibi perſuaſiſſe, propterea aditum poſtulandi habere, ut Germanos non modo cis Tibiſcum depelleret, & Zatmariæ, aliorumque oppidorum, ſed etiam ulterioris Pannoniæ Imperium ipſi tradat. Eam devincere nihil eſſe negotii, ubi auxiliis, quæ ipſi miſſurus eſſet, Szedium ex omnibus fortiſſimum virum præficiat. Acatium duo oppida, quæ opportuniſſima judicaret, traditurum, & perpetuo in amicitia, & fide manſurum polliceri.* Reningherius ea maxime ratione hæc ab legato ficta exiſtimabat, quod tam grave reſponſum is non fuiſſet laturus, qui eum ad bellum incitaviſſet. At prorſus inveriſimile non eſt, Acatii poſtulatis cognitis, indignatione Chiuperlium exarſiſſe, quum quod ejus fides antea ipſi ſuſpecta fuerat, tum quod ejus imperii cupidinem nimis creviſſe cognoſcebat, ubi Tranſylvaniæ imperio non contentus Pannoniæ regnum peteret. Inſatiabile præterea humanum genus eſſe non ignorabat, ſemperque ad altiora tendere, ubi optata adeptum vidiſſet. His de cauſis magnopere ſuſpicabatur, cum Szedio Acatium hoc iniiſſe fœdus, ut hic eo adjutore Pannoniæ regno potiretur, & ille hujus auxiliis ad rem obtinendam uteretur, quam eum ſibi animo propoſuiſſe Halius ſcripſerat. Itaque magna afficitur ſollicitudine, quoniam ſi Szedium indemnatum necari juberet, magnam invidiæ tempeſtatem imminere intelligebat. Turcis enim confirmari poſſe opinionem judicabat, ſibi fortiſſimum quemque virum inviſum eſſe. Huc accedebat, quod non tam facile in hominem, qui quam amiciſſimo utebatur præſidio, dolum procedere poſſe providebat, niſi plures ei pararet inſidiatores. Et tunc rurſus rem in dubium devocari poſſe judicabat, ubi res evulgaretur; quoniam eum ſibi conſilium capturum eſſe cognoſcebat. Poſteaquam plures dies, noctesque hæc ſecum agitavit, ejus avaritiam, perfidiamque apud Regem criminari ſtatuit. Perſuaſurum enim ei ſperabat, maximum imminere periculum, niſi Szedium regnum haud dubie affectantem interfici juberet. Hoc ſimulac ab Rege obtinuit, Halio ſcribit, *in Szedium doli quæreret occaſionem.* Hæ Halio redduntur litteræ, quum parum ab profectione aberat: nam quum neque periculi denunciatione, neque promiſſis Tranſylvanos ad Claudiopolim ſibi tradendam impellere potuiſſet, eos Suchii propinquitate in ſpem auxilii ſe erectos de ſuis poſtulatis abnuere audere ſuſpicatus, tentare extrema ſtatuit. Lambachium igitur equitum Præfectum, quem ab Suchio ad ipſum miſſum, & ab ipſo retentum docuimus cum his mandatis mittit. *Sibi perpetuam cum eo gratiam, Regique cum Cæſare amicitiam futuram, ſi domum ſe recipiat,*

piat: ſed ſi caſtris trans Tibiſcum ipſum ſe continere velle cognoſceret, nullam interpoſiturum ſe moram, quin ad ipſa oppugnanda veniat. Suſpicari enim jure poſſe, ipſum belli inferendi opportunitatem, Turcis in hyberna collocatis, quærere. His poſtulatis cognitis, Suchius, ne ſe imparatum Turcæ nanciſcerentur, oppida adire, novas inſtituere munitiones, Zatmariam ſubito ex caſtris duci frumentum, cujus copia ſuppetebat, jubere, omnia parare, ut Turcis obſiſtat. Multum enim ſuæ virtutis opinionis deperdere cognoſcebat, quum timore adductus loco excederet. Hæc ubi cognovit Halius ſpe ſine vi negotii conficiendi omnino amiſſa, diutius non cunctandum exiſtimat, quin Temeſuariam petat; maxime ſperans, caſum tandem Szedii interficiendi occaſionem daturum. Suchius quoque inita jam hyeme ſuos in hybernis collocare conſtituit. Ab Veſelino ergo, *ad ſe veniat*, petit, *ut communi conſenſu in plura loca hybernorum cauſa exercitum mittant.* Veſelinus veniens, *ſuam, & Pannoniorum omnium excellentem in Cæſarem voluntatem profitetur: banc gratiam ei Pannonios referre velle, quod ipſos ab Turcarum injuria prohibuiſſet, ut hyberna non recuſent.* Addit præterea, *ſibi tandem ab Ragotio datum, ut Germani Onodio recipiantur, neque ſe recuſare, quum ipſi, Cæſarique gratum foret, quominus Zendreum Germani præſidii cauſa obtineant.* Suchius ei nunc immortales gratias agens, *Cæſarem deinde præmia tributurum confirmat.* Item eum orat, *Caſſoviæ ipſe cum coborte recipiatur.* Non abnuit hac lege Veſelinus, ut milites, qui in præſentia oppido præſidio eſſent, non decederent, & cohors Decurionibus pareret. His rebus compoſitis Suchius exercitus partem Eiſteri Calloum, partem Gobio Zatmariam ducendam attribuit, ipſe Onodium cum cohorte proficiſcitur; ibique militum partem relinquens, Zendreum contendit, oppidumque reliquam cohortis partem obtinere jubet. At Pannonii ſive ab Veſelino ſollicitati, quem vel conſilii pœnituiſſe, vel, ut ſuum in Cæſarem ſtudium præclarius videretur, id verbis conceſſiſſe Suchius ſuſpicabatur, quod re ipſa negare vellet, ſive militum verentes injurias, ſive dubitantes, quin hybernorum ſpecie urbe potirentur Germani, mutare conſilium ſtatuunt. Suchius, ut voluntatis commutationem non cognoverat, Zendreo Caſſoviam venit, miraturque ſibi oppidanos clauſiſſe portas. Novi igitur conſilii cauſam quærenti reſponſum eſt, *hoc Pannonios ab majoribus accepiſſe, & legibus ſancitum habere, ut oppidis externos milites non recipiant; nec Veſelino, ſed omnibus hanc abrogandi legem poteſtatem eſſe: omnibus in concilio viſum eſſe, hoc exemplum introduci non ferendum, ut lex, in qua li-*

An. 1660

An.1660 *libertas poſita ſit, tollatur*. Hac ſpe dejectus Suchius impedimenta in ſuburbiis, bellica tormenta proximis vicis locat, ipſe cum militibus, quos cuſtodiæ cauſa circum ſe habet, Agriæ Antiſtitis domum, cui Saſſavium nomen eſt, ſe confert. De omnibus Cæſarem certiorem facit, atque, ut Viennam petendi ſibi poteſtas fiat, petit. Facta poteſtate diſcedit. Ubi pervenit, Veſelinum paucis ante diebus eo perveniſſe cognoſcit: propterea eum convenit, atque cauſam quærens, quare ab ſua amicitia ſe avertiſſet, nihil primo potuit reperire: tandem poſtridie, quum ſe ei ſatisfacere paratum eſſe diceret, ei enunciatum eſſe cognoſcit, ipſum dixiſſe, Veſelinũ mobili ingenio eſſe. Id ab inimicis fictum reſpondet Suchius. Pluribus præſentibus excuſationem accipit Veſelinus, atque ejus rei ſe oblviſci velle confirmat. Mane tamen orationem adverſus Suchium habens, neminem tanta mobilitate ſe gerere potuiſſe apparuit. Inter hæc Tranſylvani Berciaii injuriis permoti concilia remotis locis faciebant. At unuſquiſque ſuſcipere rem dubitabat, niſi maxima authoritate vir initium belli feciſſet. Hæc ubi Joannes Chiminianus, Stephanuſque Lazarius cognoverunt, ille imperii opportunitatem, hic privatas ſibi ab Acatio, & Joanne Berciajo illatas injurias ulciſcendi occaſionem prætermittendam non exiſtimant. Inter ſe cohortati, decernunt, ut Chiminianus delectum habeat, Lazarius aptos ſermones ad multitudinem ſereret, perſuaderetque, ut ad eum legatum, oratum, mittant, *publicam ſuſcipiat cauſam*. Majore enim ſtudio, atque contentione uti debere ad ſe defendendum Tranſylvanos judicat Chiminianus, quum rogatus, quam quum ultro fortunam periclitaretur. Hoc conſilio probato Lazarius ſe in circulos inſerens, communem miſeratur caſum: mortem Ragotii deflet: nunquam eo vivo Acatium, Turcaſque tot, tantaſque irrogaturos fuiſſe injurias commemorat. Avaritiam, crudelitatemque eorum deteſtatur. Propterea magni animi Ducem depoſcendum concludit. His rebus permoti Ciculi ex omnibus primi ipſum Ducem ſequi ſe paratos eſſe profitentur. Tum Lazarius, *Melioribus me*, inquit, *hunc reſervate honorem. Tantum negotii ſuſtinere non audeo. Joannem Chiminianum, qua nobilitate, qua divitiis, qua authoritate poteſtati parem judico. Si hunc probaveritis, nec ego vobis deero. Supplices vero legatos ad eum mitti oportere confirmo, quoniam ut eum alienum ab imperitandi libidine eſſe cognovi, quod ſervitute, quam paſſus eſt, fortunæ non confidendi documentum datum eſt, ita veſtræ libertatis cauſa omnia in dubium devocaturum confido*. Læti Tranſylvani, quod aliqui reperti eſſent, qui patriæ libertatem

tem primam haberent, omnia, quæ ab Chiminiano imperarentur, ſe libenter facturos pollicentur. Legato ad ſe miſſo Chiminianus *nullam communis ſalutis cauſa periculum ſe recuſaturum* confirmat. Utque tria hominum millia coegerat, contra Berciajum proficiſcitur. Qui ubi per exploratores cognovit, qua iter Chiminianus haberet, Joanni fratri armatorum millia terna attribuit, ut iter hoſtium moraretur: *ſe amplioribus coactis copiis ad ipſum confeſtim eſſe venturum. Tum acie dimicare optimum eſſe.* Sed ubi uterque utrique exercitui in conſpectu fuit, prælium incipitur. Id Berciaii vanitate, an Chiminiani audacia factum eſſet, reperiri non potuit. Unum nemini occultum eſt, quod Joannes Berciajus, fuſo ſuo exercitu, ab Chiminiano captus eſt. Fruſtra pluries coactis copiis Acatius cum eo congreſſus eſt: nam Chiminianus tantam ſibi rebus geſtis authoritatem comparaverat, quantam ipſe adverſis rebus amiſerat. Ter igitur vim expertus, tandem ſpem ſalutis in fuga habere coactus, Georgenium, quod Caſtellum non longe aberat, petit. An. 1660

Finis Libri Secundi.

Digitized by Google

DE BELLO TRANSYLVANICO

Liber Tertius.

SATIS eſſe cauſæ, ut crederent, nonnulli arbitrabantur, Ragotii mortem, Varadinique jacturam Tranſylvaniæ res quietas feciſſe, quum aliis oppugnandis oppidis Halius temperaviſſet. Id etſi verum non erat, quod qua de cauſa Halius Tranſylvania exceſſiſſet, ſupra demonſtratum eſt, tamen ne hyemis quidem tempus, nec ſuperioris temporis periculorum memoria tantum apud Tranſylvanos valuerunt, ut novis non ſtuderent rebus, eo magis quod incerto authore fama exiit, Mehemetem Regem, Chiuperliumque regiæ domus incendio periiſſe. Hoc igitur opportune accidiſſe rati, nulla interpoſita dubitatione palam Chiminianum ſequuntur. Et in ſententia permanent etiam, ubi nuncius venit, qui falſum eſſe pertulit, quod de Regis, ac Chiuperlii morte dictum erat: addidit tamen Turcas Dei ira populari, quum plures conſumptæ incendiis urbes eſſent, & Mehemetes Rex, Zaimaque mater exigua in ſpe animam traherent, atque ingens peſtis metus eſſet. His rebus cognitis, *nunquam malorum quietem Turcis venturam* dicunt, *niſi ſuo expiato incommodo. Fortuito plures conflagrare urbes non potuiſſe. Fortuito contagionem evulgare morbos non valere. Fortuito alia non accidiſſe credendum. Gaudendum igitur, quod Deus ab nequiſſimis Turcis pœnas repeteret.* Chiminianum orant, *ut ipſe quoque a Berciajo pœnas expetat.* An.1661

Chi-

An. 1661 Chiminianus ergo his vocibus incitatus Berciajo iter præcludit, ne Devam ſe conferret. Hoc enim ſibi prævertendum exiſtimabat, quia facilius ibi Turcarum auxilia eum ad ſe recipere poſſe cognoſcebat. Longioris fugæ ſpe dejectus Berciajus, edictum Cibinii proponi jubet, *Chiminianum uti deſerant, neu occaſionem Turcis belli dent. Ragotii audaciam magnam intuliſſe patriæ calamitatem, Chiminiani libidinem majus illaturam eſſe detrimentum*. Hoc ubi fruſtra eſſe intellexit, quod omnes ſummo ſtudio Chiminiano favebant, ad compoſitionis conditiones recurrit. De hoc non abnuit Chiminianus; propterea de concilii ſententia Joannem Hallerem Georgenium mittit, qui poſtulata cognoſceret, & ad ſe referret. Huic Acatius *ſe Principatu abire nolle* dicit. *Et ſi Tranſilvani Turcarum iram experiri nollent, Chiminianum interficerent*. His rebus præter opinionem nunciatis timor omnes invadit, quum conſilium eum mutaviſſe crederent, quod Halii affirmatione in ſpem auxilii veniſſet. Multiplicatur terror, quum fama Acatii amicis, ut arbitror, authoribus falſo exiit, Halium adventare. Non inveriſimile id eſſe conjectabant, quod Regem, Reginamque convaluiſſe, & peſti finem factum compererant. Vanus tamen abiit terror, ubi Chiminianus Acatii ad ſe allatas litteras recitat, *ſe Imperium deponere æquiſſimis conditionibus non dubitare*. Argumenti igitur loco ſumunt, Berciajum ſe pacem nolle Halleri renunciaviſſe, ut rogatus æquiores acciperet conditiones. Itaque optimum viſum eſt ad eum Andream Reponem legatum mittere, qui doceret, *libenter Chiminianum, reliquoſque Georgenium ſub ipſius ditione eſſe paſſuros, & certam pecuniam quotannis ipſi, vel uxori daturos, ubi Turcas ad ſuum auxilium non concitaret, & nunquam ſibi imperium tradi cuperet*. His ergo conditionibus fide data, atque accepta, Principem Joannem Chiminianum creant. Cavetur tamen, ne juſta Turcarum imperia contemneret, ne ſocietates, amicitiaſque publice inſtituendi, bellum inferendi, legatos ad Reges mittendi, niſi de concilii ſententia, eſſet ei poteſtas, ne oppida alicui traderet, immo ea ab hoſtium impetu defenderet, ut hæc omnia jurejurando confirmaret. Ragotii enim, Acatiique exemplis documentum nunquam exoluti legum vinculis Principis creandi ſibi datum cognoverant. His conditionibus tanquam remedium malis omnibus reperiiſſent, læti domum diſcedunt: ſed brevi conditionibus opus non eſſe intelligunt, quum Turcas omnino Tranſylvaniæ devincendæ occaſionem quærere animadvertunt. Chiminianus quod Ragotio fidus fuiſſet, quodque magnæ cognationis, ac authoritatis vir eſſet, Turcis erat inviſus. At nunc magis, magiſque

eum

eum ſuſpectum habent, quoniam ex Berciaii litteris illum Cæſari amicum eſſe cognoviſſent. Comes Nicolaus Zoloimius veteris potentiæ vir in Chiuperlium incendendum etiam incumbit, quum oratores, petitum, miſiſſet, *ut ſe Principem Tranſylvanis conſtitueret. Se ampliſſima dona miſſurum, & majus ſtipendium daturum*. Nec dubium erat, quin rem eſſet aſſecutus, (Berciaius enim Mehemeti ſuſpectus erat, quod per ipſum ſtetiſſe videbatur, quominus Claudiopolim Halius recepiſſet) niſi per Szedium adiviſset, cum quo amicitiæ cauſam habebat. Nam ut Halius nondum opportunitatem eum interficiendi nactus erat, potentiam ei addere, Imperium ſuo amico tradendo, dementiæ Chiuperlio viſum eſt. Berciaium ergo defendere ſtatuens, ad Halium ſcribit, *illius ulciſcatur injuriam*. Tranſylvanis renunciari quoque jubet, *ut tandem aliquando pertinaciæ finem faciant, ſi in maximos venire nollent cruciatus*. Sed ubi ſuo dicto eos audientes non eſſe cognovit, majore ſtudio, quam antea, omnia, quæ ad bellum uſui ſunt, parare, ad Scytharum Regem ſcribere, *coactis omnibus, qui aliquem in re militari uſum haberent, quum primum anni tempore poſſet, Temeſuariam peteret*. Hæc ubi Chiminiano nunçiata ſunt, ut bellum parare, niſi de concilii ſententia, non poterat, Biſtriciam omnes convenire legationes jubet. Interea quum Berciaium Turcas ad bellum incitare ſuſpicaretur, vias, quæ Temeſuariam ferunt, certis cuſtodibus obtineri jubet, qui ejus intercipferent litteras. Re vera multi non tranſierunt dies, quin nuncius cum litteris ad ſe perduceretur. Litteras, quibus Chiuperlium Berciajus incendebat, in concilio recitat Chiminianus. Qui ubi omnes indignitate rei permotos vidit, *Quid expectatis*, inquit, *quin de homine tanti facinoris convicto ſupplicium ſumatis? Animo opus eſt. Magis Reipublicæ refert in perditos animadverti, quam optime de ea meritos præmiis affici: illorum enim impunitas omnibus exitio eſt, ingratus animus ſolum dedecori*. Multi hoc probari poſſe conſilium negant, ne Turcis belli detur occaſio. Tum Chiminianus dicit, *ſe ut non dubitare, quin Turcarum furor augeatur, quum indicta cauſa Acatius interficeretur, ita ſe non fugere, nullam poſſe belli cooriri cauſam, quum incautum inſidiatores obtruncent*. Chiminianus quum ſibi reſiſti etiam tum videret, quantum authoritate, precibuſque valet, enititur, ut omnium voluntate ab ſuo inimico pœnas repetat: magni enim intereſſe arbitrabatur, Tranſylvanos obſtringere, ut tanti facinoris conſcientia extrema audere potiùs, quam Turcis ſe ad ſupplicium tradere vellent. Inſidias ergo tendendi negotium Franciſco Covari, Joannique Varato datum eſt. Poteſtas omnia, quæ ad An. 1661

Digitized by Google

An.1661 ad bellum opus eſſent, comparandi Chiminiano itidem fit. Dionyſius Bamphius ad Cæſarem ſubſidii petendi gratia mittitur. Adonium, Valcoumque caſtella, quod adverſum ſe Turcis opportuna erant, approbantibus cunctis incenduntur. Concilio dimiſſo Chiminianus totus mente, animoque in bellum inſiſtit. Omnia paranti Chiuperlii litteræ redduntur, *amicitiam ſibi cum eo eſſe poſſe, ſi in Regis fide ſe permanſurum polliceretur, atque obſidis nomine filium ad ſe mitteret.* Eadem ipſi Cuſſein ab Halio miſſus expoſuit; ſolum addidit, *ſi Temeſuariam ipſe peteret, fore ut coram controverſiæ tollerentur.* Sed Chiminianus ſeu fretus Tranſylvanorum in ſe ſtudio, ſeu Cæſaris auxiliis confiſus, ſeu quod timorem Turcas invaſiſſe conjectaviſſet, quum præter morem legatos ad ſe mitterent, ſeu, quod veriſimilius videtur, periculoſum ſe barbaris committere arbitratus, præcipue quum per Lupuli Moldaviæ Principis legatos cognoviſſet, quid fraudis ferretur, donatum Cuſſeinem dimittit. Renunciari tamen Halio jubet, *ſe majoribus aſtrictum negotiis Temeſuariam venire non poſſe.* Poſtridie ejus diei Acatius Berciajus in itinere necatur. Viro huic non altitudo ingenii, ſolum vaſtus inerat animus. Semper inſatiabilis nimis alta cupiebat. Omnia ipſi honeſta videbantur, modo imperium adipiſceretur; quoniam non modo peſſimo conſilio Ragotium, à quo præcipuo honore habebatur, ad bellum Sarmatis inferendum impulit, verum etiam ad Principatum evectus doli occaſionem in ejus perniciem quærebat. Aptior ad novas inſtituendas amicitias, quam ad eaſdem colendas habitus eſt: nam ut ingenium ad omnia diſſimulanda ei erat, & verbis obſecundando, & libero ore loquendo animos omnium ſibi conciliabat. Eorum ſtudia poſtea, & infidelitate, & mobilitate amittebat. Tempori ſervire optimum ducebat, quum, ut ab Ragotio Tranſylvanos averteret, ſupplicem, & modicum ſe præberet, at, ubi imperium adipiſcebatur, profunda avaritia erat. Omnium tamen ſuorum ſcelerum meritas habuit pœnas. Id unum magnæ fortunæ ipſi fuiſſe non abnuerim, quod omnium ſuorum ærumnis ſuperſtes non fuit: nam de Andreæ fratris perfidia quęſtionem Chiminianus habens, ut damnati in Fogaratii oppidi foro rerum capitalium judices laqueo frangerent gulam imperavit. Res ſane ſine admiratione non prætereunda; quoniam in eo oppido, cui ſumma cum poteſtate præfuerat, rerum humanarum ſpectaculum præbuit. Acatii uxor, ipſo mortuo, precario vivere coacta eſt, quoad quidam miſericordia permotus eam uxorem duxit. Hic operæ pretium eſt aliena calamitate diſcere, nec malis artibus ſibi Imperium parere, nec fraude illud retinere ex uſu

eſſe.

Digitized by Google

eſſe, quod huc dominandi libidinem evadere oportere compertum eſt. Chiminianus tamen utrum majore lætitia de horum ſuppliciis, quam de Cæſaris propoſito accepiſſet, in incerto fuit: nam Bamphii litteris, quem ad eum legatum miſſum docuimus, Cæſarem exercitum ſubſidio ſibi mittere velle cognovit, dummodo Zechelide, Covareque Germanos recipiat, ut initio belli facto, ſi cum Turca Tranſylvanus controverſias componat, illic reliqui Germani receptum habeant. Hanc conditionem non reſpuere in animo ipſe habebat: at quia liber legum vinculis non erat, concilium indicit. Ubi frequens convenit multitudo, Cæſaris poſtulata exponens, magnopere quoſdam vultu ad amenitatem, nonnullos ad mœſtitiam compoſito ſua verba accepiſſe miratur. Ex omnibus cauſam quærens, illos auxiliorum ſpem ad lætitiam excitaviſſe, hos conditionis, ut dictitabant, iniquitatem perturbaviſſe reperit. Dicebant enim, *quid durius ab Turcis per vim accidere poteſt, quam nobis ab Germanis voluntate evenit? Germani ne, an Turcæ magis ſint fugiendi non conſtat, quum utrique non aliud reſpiciant, quam Civitatem ſui ſceleris prædam facere. Hi in Principes ſibi inviſos animadvertendi ſpecie oppida expugnare cupiunt, at illi ſine contentione auxilii ſpecie ea recipere exoptant. Præſtat belli tentare fortunam, & victos, non tamen inultos omnia perpeti, quam impune Germanis omnia permittere*. Hoc conſilium probant cuncti, & in eo permanſiſſent, niſi ante oculos Chiminianus poſuiſſet, *ſe nunc boſtem potentiſſimum babere, cui domeſticis opibus reſiſti non poſſet: propterea quacumque conditione externis auxiliis uti deberent, etſi, quod de Cæſaris conſilio diceretur, exploratum eſſet. Si eos potiri Tranſylvania velle cognoſcerent, ab Turcis auxilia acciri poſſe. Turcas venturos eſſe neminem dubitare, quum ea eſſent conditione Tranſylvani, ut unuſquiſque eos in ſua ditione tenere velit, atque, ne alterius ſtipendiarii ſint, laboret. Majores pro re & tempore conſilium capientes, libertatem nunc Turcarum, nunc Germanorum opibus retinuiſſe, eadem ratione prope amiſſam recuperent ipſi, oportere. Præterea baud dubitandum, Turcas auxiliis permotos in Pannoniam eſse advolaturos. Tum eo belli tempeſtate translata Tranſylvanos pacem babituros*. Conſilium hoc omnes probant, adeo ut, ne res efferatur, caverent. Item nequaquam cunctandum dicunt, quin Cæſari ipſorum renuncietur verbis, *ſeſe imperata facere paratos eſſe, tantique beneficii memoriam apud ſe nunquam immorituram. Covarem ſolum tradere non poſſe, quod Chiminiani uxor, quum nihil citra illud oppidum tutum arbitrata eſſet, eo ſe recepiſset. Aliud oppidum, quod ipſi videretur opportuniſſimum, ſe da-* An. 1661

An. 1661 *turos*. Sed ubi Cæſar, nullam ſubſidii eſſe conditionem, niſi eo tradito oppido, reſpondit, ipſi morem gerere ſtatuunt. His de cauſis tota Germania delectus habetur, qui annonæ præeſſent, deliguntur, imperii exercitus ſumma Comiti Raymundo Montecucculo Mutinenſi traditur, ſummo ſtudio, quæ ad bellum uſui forent, Cuſſeine præſente, parantur. Cuſſein ſimulac Halii mandata Chiminiano expoſuerat, ejus juſsu Viennam de Pannoniorum incurſionibus, & Chiminiani amentia queſtum venit. Nonnullorum, qui diligentiores in omnibus ſcrutandis rebus videri cupiebant, opinio tunc temporis fuit, Cæſarem eo conſilio Tranſylvanis auxilia miſiſſe, ut ipſe quoque reciperet oppida. Quod falſum eſſe mihi conſtat: nam etſi Cæſar opem Tranſylvanis nunquam ferre ſtatuerat, quoniam hanc belli cauſam Turcis eſſe poſſe arbitrabatur, tamen nunc, ut rationes, quas ad Suchium trans Tibiſcum mittendum eum deduxiſſe memoravi, omittam, aliis de cauſis ad hoc conſilium deſcendiſſe comperio, quarum illa fuit juſtiſſima, quod Turcas majore ſtudio, quam ad Chiminianum opprimendum neceſſe eſset, bellum parare audiebat. Non alio ergo id pertinere ſuſpicatur, niſi ut in Pannoniam contendant; præcipue quum eo temeritatis Varadini Præfectum proceſſiſſe non ignoraret, ut jurandi cauſa, omnes, qui loca trans Tibiſcum incolunt, ad ſe vocare non dubitaviſſet, etſi eos ſub Cæſaris Imperio eſſe ſciebat. Præſtare ſero, quam nunquam ſuperbiſſimis occurrere judicabat, maxime quod nunc ſuæ non diſtinerentur vires, quum anno ſuperiore, Carolo Guſtavo Sveciæ Rege mortuo, Sarmatæ pacem habuiſſent. Accedebat, quod in auxiliorum ſpem perveniſſet: nam compluribus legationibus ad Germaniæ Regulos, & ad Alexandrum Pontificem Maximum miſſis, rebus omnibus ſe juvare ipſos velle cognoverat. Alexander præterea ſtipendium omnibus totius Italiæ Clericis imponit, præter illos, qui loca incolunt, quæ ſub Veneti Senatus ditione ſunt, ut pecunia ad bellum Cæſar utatur, litteraſque ad Reges mittit, *non eſſe cunctandum, quin uno animo innatis Chriſtiani nominis hoſtibus obviam eant, ne ſub ipſorum oculis ab eis regna oppugnentur*. Hi quum rem ſe cogitaturos polliciti eſſent, omnes proſpere ceſſurum bellum confidebant. Adjuvabat Cæſaris opinionem ſpes, quam in Sarmatarum, & Moſcorum auxiliis poſuerat, ubi opera Auguſtini Majembergii, cujus mentionem ſupra fecimus, ab armis diſcederent. Sed quibusdam de cauſis, quas hic recenſere ſupervacaneum puto, pace non firmata, bellum excuſantes ei auxilio non fuerunt. Ut omnis expellatur dubitatio optimæ Cæſaris in Tranſylvanos voluntatis, conſiderare juvat, Meti-

ge-

gerem J. C. ad Mehemetem Conſtantinopolim, & ad Halium Franciſcum Fiſcherem ab eo miſſos, qui docerent, *Cæſarem, quum ſine periculo poſſet, pacem cum Turcis ſervare paratum eſſe: proinde, ne qua armorum cauſa ſit, primo induciæ, poſtremo, per legatos utriuſque diviſis finibus, pax fiat.* Metiger etſi pecunia quoſdam aggreſſus erat, quibus adjutoribus rem conſecuturum ſperabat, reſponſum tamen tulit, *Halium jam in Tranſylvaniam perveniſſe arbitrari: æquum non eſſe tot apparatus nunc fruſtra eſſe.* Fiſcheri autem Halius reſpondet, *non ſe, ſed Mehemetem ejus rei poteſtatem habere.* Hoc aſtante meditato in Szedium Acmetem Budæ Præfectum dolo locus fuit: nam Halii tabernaculum contra conſuetudinem comitatu nullo intrantem inſidiatores vulnerant. Ipſe, gladio ex vagina educto, parumper ſe defendit; tandem clariore voce militum, quibus acceptus erat, auxilium implorans, interficitur. Sic fortiſſimus vir, qui ab prima adoleſcentia ſtipendiis faciendis ſe exercuerat, rerum egregie geſtarum pœnas inultus dat: quoniam ab Halio, ne qua ſeditio oriretur, proviſum fuit. Hæc ut Fiſcher Cæſari quam primum nunciaret, quam maximis poteſt itineribus, Viennam contendit. Reperit ibi Cæſarem de Halii profectione accepiſſe, & Montecucculum parum ab profectione abeſſe; tantum de belli rationibus conſilium iniri. Nam nonnulli, *ut recto itinere in Tranſylvaniam exercitus duceretur*, cenſebant, *ne Halius incruento exercitu oppida expugnaret.* Montecucculus vero, *in maximum diſcrimen ſe adducturam exercitum* confirmat, *quum Tranſylvaniam adiret; quoniam, quum longius ab Germania abſit, partim eorum indiligentia, atque avaritia, qui annonæ præſint, partim Pannoniorum mobilitate, & perfidia, quam jam perſpectam haberent, rerum omnium inopia tentari milites poſſent. Ab hac re magis, quam ab hoſte accipi detrimentum omnibus conſtare. Item ſi frumento ex agrorum populationibus rapto alat exercitum, fore ut ſocii, quum non modo nihil præſidii in Germanis eſſe, ſed ſe pro hoſtibus uti videant, ab eis ſe avertant. At, ſi trans Danubium exercitus duceretur, expeditiore re frumentaria flumine avecta uti ſe poſſe. Sic milites præda locupletes alacriores, hoſtes adverſis rebus timidiores fieri. Hac ratione Turcas ex Tranſylvania exercitum eſſe deducturos, ne, ut aliena occupent, de ſuo dimicarent. Tandem præſtare in hoſtium, quam in ſuis finibus bellum gerere, quoniam illic præda, hic pecunia alatur exercitus, oporteat. Hoc igitur*, inquit, *mei conſilii eſt facere. Quod ſi hæc mihi fiat poteſtas a me rationem repoſcite, ſi quid durius acciderit, ut ab illis, qui in Tranſylvaniam profectionis authores ſunt, ratio repoſcenda erit,* An. 1661

O 2 *quum*

An. 1661 *quum res proſpere non cedat*. Hæc ſententia, utpote a viro, qui rei militaris peritiſſimus habebatur, pronunciata, accepta eſt. Cæſar quoque conſilium probat, atque ea, quæ ad oppidorum oppugnationem uſui ſunt, parat. Joannes Riccardus Starembergius ad exercitum trans Tibiſcum, ut imperium obtineat, mittitur, Suchio in Montecucculi exercitu curare juſſo. His expeditis rebus exercitum ad Comaram Montecucculus ducit, navibuſque junctis pontem in Danubio flumine facere inſtituit. Quæ ubi Pannoniis nunciata ſunt, timor eos invaſit. Idcirco ad Cæſarem legatos, oratum, mittunt, *ne fortunam periclitaretur: quoniam ſi Germani acie dimicantes a fortuna deſererentur, in maximum ſe venturos diſcrimen intelligerent. Turcæ ſecundis rebus elato nequaquam, amiſſo exercitu, reſiſti poſſe. Quod ſi exercitum auxilio Tranſylvanis mitteret, fore ut bellum non ſuſciperetur, quum ſalva amicitia ſubvenire unuſquiſque ſuis poſſet.* Hac de re conſultationes habentur. Conſiliarii ergo quum orationis Montecucculi memoriam depoſuiſſent, atque in re militari uſum haberent nullum, in Tranſylvaniam exercitum duci jubent. Itaque ad Montecucculum mittuntur litteræ, *relicto Suchio cum exercitus parte Comaræ, ipſe iter ad Tibiſcum flumen converteret: idque celerius faceret, quum in maximis anguſtiis Tranſylvanorum res eſſet*. Montecucculus, etſi optimum conſilium neceſſario omittendum erat, tamen ſe hujus rei authorem non eſſe, adverſarumque rerum culpam non in ſe, ſed in alios coniiciendam palam profeſſus, juſtis itineribus Tirnaviam pervenit. Ibi exercitus partem opperiens, Chiminiani litteris certior factus eſt, *Halium cum exercitu in Tranſylvania verſari; Scythas, Moldavoſque, omnibus vaſtatis, ſibi ægerrime præſidia oppidis relinquendi, & fuga in caſtellum Hulſtium in Pannonia ſe recipiendi ſpatium dediſſe, & nunc Biborienſem agrum incendere*. Quibus rebus cognitis magna ſollicitudine Montecucculus afficitur, quod ignominiæ loco ſibi ferre videbatur, prope in ejus conſpectu agros populari, mortaleſque, qui ſub Cæſaris ditione ſunt, in ſervitutem abſtrahi. Queritur & imperitorum conſilium, & Pannoniorum mobilitatem, ac perfidiam: qui licet a Cæſare omnibus precibus petierant, ut in Tranſylvaniam exercitum mitteret, nunc, voluntatum commutatione facta, iter per ſuos fines dare nolebant. De his rebus omnibus Cæſarem certiorem facit, oratque, *ne ſe deſidem tempus intra oppida conſumere, & populationum ſpectatorem eſſe patiatur*. Cæſar ut antea Pannoniorum conſilium cognoverat, Comitem Joannem Rotalium confeſtim in Pannoniam miſerat, qui turbatas ſeditione res, quibus rebus poſſet, componeret.

ret. Hic ut Poſonium pervenit, Veſelinum ſeditionis ſermones ſeruiſſe comperiens, eum adit, & monet, *ne ſe tam alieno in patriam, Cæſaremque animo eſſe oſtendat, ut eam in Turcarum ditione eſſe cupiat*. Veſelinus *non niſi optimorum conſiliorum authorem ſe fuiſſe* reſpondet; *nec ad aliud, quam ad frumentum, pecus, & alia conferenda Pannonios hortatum eſſe, ne milites, ut inopiam tolerent, prædæ loco ſuas fortunas habere cogerentur. Hujus rei ipſos teſtes habere; & Deum nunc teſtari, ſibi ſemper primam fuiſſe Cæſaris dignitatem*. Additque *egregiæ in Cæſarem voluntatis documentum ipſi brevi ſe daturum*. Re ipſa, quantum authoritate valuit, ad Pannoniis perſuadendum eniſus eſt, *ut Cæſari cuperent: ſe rem compertā pronunciare, quum Cęſarem non ipſos opprimendi cauſa, ſed Turcis obviam eundi gratia exercitum mittere diceret*. Hæc eadem Rotalius confirmans, huc ducta res eſt, ut omnes Veſelino negotium darent, ut obviam venienti exercitui procedat, operamque det, ne alicujus rei inopia affligtaretur. Ita Montecucculus reliquam exercitus partem brevi ad ſe recipit: omniumque ratione habita, ad viginti veteranorum millia in armis habere reperit. Sed quum poſtridie iter agere decreviſſet, tanta tempeſtas coorta eſt, ut Vaghi fluminis ripas aqua ſuperaret. Sic neceſſario complures dies exercitum in caſtris continuit, ut velut ipſa fortuna omnino eſſe impedimento vellet, quominus Turcas rapinis prohiberet: tandem, ubi primum permiſerunt aquæ, iter agere inſtituit. Intelligens ergo, Cuſſeinem Jeni Præfectum magna vi Hulſtium oppugnare, maximaque indignatione exardere, quod, miſſis in caſtellum legatis, qui milites ad deditionem hortarentur, mœnibus ſe recipere noluiſſent, omnino eo contendere ſtatuit, ne, caſtello expugnato, Chiminianus in eorum manus veniat. Cuſſein ſimulatq; ad ſe Montecucculum venire cognovit, oppugnationem dimittit, ſeque in caſtra confert: quæ res multum Germanorum animis addit, Turciſque timorem auget. Nam quum Zechelidem Chinan, atque Iſmael Budæ Præfectus, qui in locum Szedii Acmetis ſucceſſerat, Megium oppugnare inſtituiſſent, tamen magna cum infamia vano incepto diſcedunt. Majore cum infamia Halius, tametſi exercitus ſumma ſeptuaginta hominum millium erat, & propius Zatmariam venerat, tamen nihil ſuſcipere eſt auſus, quia Eiſterem omnibus rebus, quæ ad defenſionem uſui erant, conſuluiſſe acceperat. Ex quibus rebus cognoſcere licet, uſus belli ignarum exercitum Halio ab Mehemete traditum. Quod quidem magis iis dilucet, qui non ignorant, vix paucos dies munitiſſimis caſtris (tantus omnes occupaverat terror) Halium continere exercitum An. 1661

tum

An. 1661 tum potuiſſe, ubi Montecucculum duorum millium intervallo caſtra poſuiſſe vidit. Montecucculo quamquam ab Tranſylvanis, qui ad ſe quotidie perfugiebant, nunciabatur, Turcas adeo eſſe perterritos, ut ſi caſtra adoriri conſtitueret, explorata victoria videretur, tamen eis fidem facere noluit, immo maximis munitionibus caſtra firmans, apud milites concionatur, *ne animo deficerent, ſi pugnam committendi uſus veniat, neu omnium Chriſtianorum opinionem fallerent. In eorum virtute ſpem omnem ſitam eſſe*. Extremum orationis fuit, *ſe paucis veteranos arrigere conſueſſe, quum quod ipſorum virtus, ac animi magnitudo magni habeatur, tum quod ipſi non ſemel, atque iterum, ſed millies, quantum præſidii in audacia ſit, experti eſſent. Ne igitur quid ſuperioribus victoriis indignum committerent*. Militum alacritas quum ex Turcarum cunctatione creviſſet, non modo æquo loco prælium inire, ſed etiam in pavidorum caſtra ſe irrumpere audere confirmant. Montecucculus autem *ſibi ſatis eſſe* confirmat, *ſi memores priſtinæ virtutis eſſent, ubi ſine dedecore prælio diffugere non poſſent*. His verbis tunc eos a prælio continuit; ſed quum Chiminianus cum quinque hominum millibus in caſtra veniſſet, ſeque excuſaret, quod ampliores non potuiſſet cogere copias, quia Saxones, qui ex tertia Tranſylvaniæ parte ſunt exiſtimandi, metu adducti ſua omnia Halii fidei permiſiſſent, vix retineri potuerunt, quin per ſe in hoſtes impetum facerent. Dolebant enim, quod ipſi rei bene gerendę occaſionem dimiſiſſent, quum adeo Turcas perterritos animadvertiſſent, ut de nocte præmiſſis impedimentis, prima luce ne conclamatis quidem vaſis diſceſſiſſent, & millium paſſuum decem intervallo ab veteribus caſtris loco admodum natura munito caſtra poſuiſent. Itaque omnes Montecucculum orant, *ne hoſtem e manibus dimitti patiatur, ſed prædam, & deleti hoſtis gloriam ferendi ſibi poteſtatem faciat*. At Montecucculus *Cæſaris mandata ad ſe perlata* reſpondet, *ne, quoad poſſet, belli fortunam tentaret, ſatiſque haberet Tranſylvanos ab injuria tutari. Ob eam cauſam Strigonium ſe non expugnaviſſe, & victoriæ occaſionem trans Danubium dimiſiſſe*. Haud dubium re vera habebatur, Montecucculum primo congreſſu deleturum Turcas fuiſſe, modo inclinandam fortunæ rem dediſſet. Ex hac re ſatis cognoſcere libet, nulla ratione ab eis factum eſſe, qui Cæſari perſuaſerunt, ut opportunitatem dimitti juberet, quum in incerto non eſſet, Turcas occaſionem Pannoniæ devincendæ non eſſe omiſſuros. Nonnulli igitur neque immerito, neque irridicule dixerunt, Cæſaris conſiliarios operam ludere animo propoſuiſſe, quum bellum ſumere non optan-

optantes, belli tamen occaſionem, exercitus in Tranſylaniam mittendo, Turcis præbuiſſent, atque maximas res conſequendi facultatem timore belli, quod haud dubium habebatur, dimiſiſſent. Cur ergo Comiti Nicolao Serino, cujus plurima fortiter, atque ſumma audacia facta memorabantur, ſena hominum millia permitti paſſi non ſunt, quando Caniſiam opportuniſſimum oppidum nuper incendio prope conſumptum expugnare in ſe receperat, & propugnaculum nullius uſus ad Muram flumen eundem inſtituere ſiverunt? Quæ res adeo Turcarum Regem contra Cæſarem accendit, ut ipſe in Pannoniam cum exercitu ulciſcendarum injuriarum cauſa veniſſet, niſi Chiuperlius monuiſſet, *ipſius non eſſe dignitatis mediocribus copiis bellum gerere: conſilium optime in inſequentem annum transferret, quo ampliores copias coactas haberet.* Cur Montecucculo, ne opportunitate ad hoſtem opprimendum uteretur, mandatum eſt, quod quidem ad bellum conficiendum momentum habuiſſet, & Suchio, ut ſibi Pannonios adjungens, vaſtitatem Turcarum finibus redderet, quam ipſi Pannoniæ finibus intuliſſent, imperatur? Perſuaſerant ſibi forſan, quum ab oppidorum incendiis, & cæde ſuos Suchius continuiſſet, immo captivos Turcis reddidiſſet, eos ab maleficio temperaturos, quibus unas ſibi ab aliis illatas, non ab ſe aliis irrogatas injurias animo continendi mos eſt? Suchius ergo quum Pannonios, qui ad quinque millium numerum venerant, maxime monuiſſet, ne igne prædam, quam ſecum ducere non poſſent, corrumperent, neu arma abiicientes interficerent, ſed unuſquiſque ſervaret ordines, tamen in itinere tantum præcepta obſervare voluerunt. Nam poſteaquam Vallium pervenerunt, nihil de celeritate, ac virtute remittunt, ut quamprimum receptum caſtellum diripiant. Suchius caſtelli Præfecto nunciari jubet, *ut potius deditione ſibi, omnibuſque juxta conſulat, quam ſua pertinacia omnium ſalutem in dubium devocet*. Hoc conſilium ægre patiuntur Pannonii, utpote qui, ſi per conditiones reciperetur caſtellum, non poſſe ſe ad arbitrium prædam agitare intelligebant. Maxima idcirco lætitia conditiones Præfectum abnuiſſe accipiunt. Præfectus ſimulac poſtridie animadvertit, tantum apud Pannonios ſpem prædæ valere, ut omnia pericula vilia habeant, qua ex re factum, ut prope foſſam nocte ſucceſſiſſent, ne quæcumque iratis, & prædæ avidis collibuerint, patienda ſibi eſſent, ad Suchium familiarem ſuum mittit, qui doceret, *ſe caſtellum Germanis, quorum fidei confideret, tradere paratum eſſe.* Suchius omnes ab injuria ſe prohibiturum pollicetur. Hoc ubi intellexere Pannonii, præſtare ipſis viſum eſt in- An.1661

vitæ

An.1661 vitæ diſcrimen venire, quam prope partam prædam e manibus dimittere. Igitur ut foſſam cratibus contexerant, eam traſcendunt, & ſinguli ab ſingulis ſublevati in mœnia evadunt. Sic caſtellum ingredientes, prout quiſque armatus, vel inermis, mulier, vel puer obvius eis erat, omnes interficiunt. Adeoque contentione, & periculo permoti erant, ut ignem quoque domibus inferrent. Hunc ſic diſtulit ventus, ut præda quoque corrumperetur. Præfectus cum militibus in quandam ſe receperat turrim, ut impetum, quoad vitam paciſcatur, ſuſtineat. Petenti id Suchius dat. Egreſſos tamen nonnullos, fruſtra Suchio ſuam fidem lædi exclamante, ad unum Pannonii interficiunt. Hoc ubi vidit Præfectus, potius per virtutem expugnata turri, quam per fidem impune interfici ſtatuit. At flamma non intermittit: immo ex Templo, quod proximum erat, turri adegit. Tum ex ea ſe præcipitantes Turcæ, quam ab flamma timebant, mortem ſubeunt. His rebus ad iram excitatus Suchius, Præfectos vocans, omnes graviter accuſat, quod tantæ non eſſent authoritatis, ut ſuos in officio continere valeant. Ad hæc ipſi *Pannonios in eam conſuetudinem ita ſe induxiſſe* reſpondent, *ut neque metu, neque beneficiis coerceri poſſint*. Totum diem in armis eſſe oportuit, ut venientibus Buda Turcis auxilio ſuis ſe opponant. Vix multa jam nocte Pannonii (tantum ſpe prædæ longius proceſſerant, exceptis quingentis nobilibus, qui ſemper Suchio paruerunt) redeunt. Inde Ercinum diſceditur: quingenti Pannonii ad omnia exploranda præmittuntur: qui reverſi renunciant *Turcas, ſui adventus fama perlata, ſubito caſtello exceſſiſſe; ex quibus ad quadraginta interfeciſſe. Cæterum oppidanos portis clauſis ſe defendere velle*. Ubi vero eo ventum eſt, Chriſtianos ab Pannoniis interfectos cognitum eſt, qui, ut ſibi parcerent, oratum venerant, Turcas vero in inſulam, quam non procul ab eo loco Danubius efficit, ſe recepiſſe. Hic omnia etiam demeſſa frumenta ſuo more incendunt Pannonii. Caſtellum Adonem nomine adire conſtituerat Suchius; ſed nocte coortus imber eo ire prohibuit. Uzoſum igitur caſtellum, quinque millium circiter intervallo a Buda in ea parte poſitum, qua montes intermittunt, pergunt. Hic ad quinque, Turcarum equitum millia ſeſe oſtendunt: quæ ubi exercitum ad ſe venire conſpexerunt, intra montes ſe recipiunt. Caſtellum direptum etiam incenditur. Hoc facto Suchius Zambachium exercitum ducit, cui caſtello domus conjuncta eſt, muris, turribuſque munita, quo animi gratia Pannoniæ Reges quondam ſe recipiebant. Præmiſſi Pannonii quum portas non eſſe clauſas animadverterent, primo inſidias veriti paululum conſtiterunt, ſed po-

ſtea

ſtea quum per captivos cognoviſſent, omnes ſe fugæ mandaſſe, An.1661.
caſtellum intrant, atque omnia loco prædæ habent. Suchius lentius cum exercitu ſubſequebatur, ne noviſſimum agmen ab aliis ſeclusum quid detrimenti ab Turcis accipiat: qui vero timore adducti nunquam appropinquare eis ſunt auſi. Huc ubi perventum eſt, ægerrime contineri Pannonii potuerunt, quin hordeum, frumentumque corrumpant. Quibus rebus confectis, ſatis ad injurias populationis ulciſcendas exiſtimans, ſe Tottium Suchius confert, hybernaque in citeriore Pannonia conſtituit. Pannonii ſubito ne commeatu quidem ſumpto domum repetunt: nobilibus unis actæ gratiæ, & poteſtas ſe domum recipiendi facta. Dum hæc trans Danubium gerebantur, Halius ut nihil per vim procedere cognoverat, quod ejus conſiliis Montecucculus officeret, Chiuperlio perſuadet, *ut omiſſo conſilio aperta vi Tranſylvaniæ devincendæ, doli rationem quærat. Id non poſſe evenire, niſi Principem aliquem Turcis fidum crearet. Si ex eorum finibus deinde exercitum educere polliceretur, fore ut Tranſylvani Chiminianum deſererent. Tunc Principis voluntate munitiſſima oppida primo recepturos, deinde nullo negotio reliqua expugnaturos, vel ſaltem, re ad controverſiam deducta, minore contentione Chiminianum ſuperaturos. Facile enim eſſe diſcordes cives opprimere*. Fuit hæc Chiuperlio non ingrata ratio, propterea ei facultatem Nicolao Zoloimio Principatum adjudicandi ea conditione tribuit, ut ea, quæ per Szedium promiſiſſet, præſtaret: nam, Szedio mortuo, ejus inſidias non verebatur. Hæc ubi Halius accepit, ſive quod inimicitias cum Zoloimio exerceret, ſive quod eum Regi non opportunum cognoviſſet, Chiuperlio reſcribit, *non ſemel ſe expertos fuiſſe nunquam Tranſylvaniæ maxima authoritate Principes ſibi utiles fuiſſe: rem ſui judicii non eſſe Principatum longe ex Tranſylvanis potentiſſimo adjudicare, quum ipſe idem Turcarum conſiliis impedimento futurus eſſet*. Alia addit, ut ſemper ſe ei auſcultare velle demonſtraret, ne ſuſpicari Chiuperlius poſſet, ſibi fido imperium tradere cupere, ut potentiam amplificaret ſuam. His litteris ut ſibi Chiuperlius perſuaſerat, ſummi conſilii virum Halium eſſe, ſummam ei poteſtatem permittit. Hic oblata facultate ſtatim Michaeli Abbaffo non ejuſdem faſtigii viro, atque Zoloimius, Principatum adjudicat. Quas ei conditiones dediſſet, inveniri non potuit; unum omnibus conſtat, pluries cum eo Halium collocutum eſſe, nunquam præterea avidiſſimos homines ſine pretio hoc aliis concedere conſueviſſe. Hac re compoſita, etſi edictum proponi Halius juſſit, *uti omnes Michaeli Abbaffo pareant*, pauci tamen fuere, qui in ejus poteſtate futuros polliciti ſunt. Saxones

P uni,

An.1661 uni, qui obſides Halio dederant, recuperandorum ſuorum cauſa legatos ad Michaelem gratulatum mittunt. His Halius mandat, *ut ſuis renuncient, ne ſtipendium pendere differant.* Saxones, ne in periculum veniant, ad diem imperata faciunt. His rebus ſublatus Halius, ad Ciculos ſcribit, *ſe confeſtim Tranſylvania exceſſurum, ubi Michaeli obtemperent. Si vero pertinacia non deſiſtant, in ipſorum fines exercitum introducturum, & ferro, & igni excurſiones facturum.* At ubi eos etiam Chiminiano favere cognovit, contra eos profectus agros populatur, omnia incendit, obvios interficit, per vim oppidum Zechelvaſarelium capit; ubi non infantibus, non ætate confectis, non mulieribus parcit. Hæc fama ad reliquos perlata ad Halium legatos mittere coegit, qui ſe imperata facturos pollicerentur. Halius eos in deditionem accipiens, milites, quos oppidis reciperent, mittit. Ad iram excitatus, quod unus Eſciechii oppidi Præfectus tum loci natura, tum militum virtute, atque oppidanorum in Chiminianum ſtudio fretus de deditione legatos non miſiſſet, hominum millia quindecim Budæ Præfecto, ut eo contendat, attribuit, ipſe Zechelvaſarelii manet. Milites tamen, ſimulque oppidani ſe non deſerunt, ſed impetus tanto animo ſuſtinent, ut Budæ Præfectus niſi ab perfuga edoctus, qua ex parte pedites ad eos adoriendum mittere poſſet, oppidum non cœpiſſet: nam tum improviſa re perterriti defenſores, ne fugæ ſpes ſibi quoque præcideretur, ſe in montes recipiunt. Sic incruento exercitu oppidum Turcæ expugnant, priuſquam ab Chiminiano auxilium ferri poſſet. Chiminianus in itinere oppidum expugnatum audiens, ad Segethuſam oppidum contendendi conſilium capit: magnopere enim ſperabat, quoniam improviſus accederet, conſilio magis, quam vi ejus ſe potiturum. Sed quum quidam ſui milites ad hoſtes tranſeuntes de hac re eos certiores feciſſent, infecta re ad Montecucculum redit. Qui magno dolore afficiebatur, quod & laboribus, & rerum omnium inopia in omnes ingruerent morbi, quum per eos dies non modo per ignota capita, ſed per clara vagati eſſent, omneſque Joannis Riccardi Starembergii, Alexandrique Schiferis, quorum plurima belli facinora memorabantur, mortem eſſent commiſerti. Ob hanc cauſam non modo opportunitate, quam majorem fortuna dare nequibat, ad Budæ Præfectum ab Halio ſecluſum opprimendum uti non poterat, ſed ne ab injuria quidem, ut Cæſar mandaverat, Tranſylvanos prohibere valebat. Ad Cæſarem ergo ſcribit, *æquum non eſſe, milites ſuorum laborum hoc percipere præmium, ut fame conficiantur: ſe, quod indiligentiam, ac profundam quorundam avaritiam cognoviſſet,* bu-

hujus conſilii authorem eſse noluiſse. Quid igitur facto opus ſit, confeſtim conſtitueret. His litteris permotus Cæſar, ad eos, qui rei frumentariæ præerant, ſeverius ſcribens effecit, uti, magno ſtudio conquiſitis undique jumentis, frumentum in caſtra ducendum curarent. Hoc modo ex inopia exercitus refectus graviore etiam anni tempore circumacto convaluit. Itaque turpe ſibi Montecucculus ducens, prope ſub ejus oculis Fogaratium ab Turcis expugnari, quod futurum ſuſpicabatur, etiamſi perpetuis paludibus munitum oppidum Germani cuſtodirent, quod muri, turreſque vetuſtate etiam, non tormentis modo contra eas diſpoſitis collaberentur, eo exercitum ducere ſtatuit. Mane quum parum a profectione abeſſet, Turcas ter magna ſuorum cæde repulſos de expugnatione deſperaviſſe, Temeſuariamque petiiſſe comperit. Hoc nuncio accepto, ipſe quoque, ne laboribus exercitus conficeretur, in hybernis milites collocare ſtatuens, relicto in unoquoque oppido firmiſſimo præſidio, Tochæum juſtis itineribus contendit. Ibique ponte Tibiſcum exercitum traducens, Zebelinum pervenit. Quum paucos ibi dies moratus eſſet, Cæſaris litteræ ei redduntur, *Caſsoviam exercitum duceret, ibique Veſelini adventum expectaret, qui oppida ad hyemandum militibus eſset conceſſurus.* His litteris acceptis, navibus junctis in Patrochio flumine pontem efficiendum curans, quam breviſſimo itinere Caſſoviam pervenit. Multis de cauſis Cæſari ad hoc conſilium deſcendere viſum eſt, quarum illæ fuerunt præcipuæ, ut Pannoniam, Tranſylvaniamque propinquitate tegeret, neu quotidianis itineribus exercitum conficeret. Atque hoc conſilium cœperat, etſi in compoſitionis ſpem pervenerat, quod Turcas, ut hoc anno extrema non tentaviſſent, ita inſequente fortunam fortius non periclitaturos ſperabat, quum opinione fœderis, quod inter Alexandrum P. M., Cæſarem, Philippum Hiſpaniæ, Ludovicum Galliæ Reges, Venetumque Senatum iniri dicebatur, eos terrere poſſe confideret. Hanc rem nonnulli prope effectam habebant: nam Alexandri precibus adducti, Ludovicus Antonio Barberino Cardinali, Philippus Aloyſio Ponceleonio, Senatus Venetus Petro Baſadonæ, Cæſar vero Marchioni Matthæo poteſtatem æquis conditionibus fœderis firmandi permiſerant. Nullo tamen ſtudio id agi cognitum eſt, quum Ludovicus abditos ſuos ſenſus Obbevillio committens, & animum Barberini offendiſſet, & reliquis aliam mentem ipſi eſſe ſupicionem dediſſet. Hiſpani præcipue quia in belli timorem pervenerant, Cæſarem per legatos, ut pacem cum Turcis ſervaret, hortabantur; quod quum ipſi belli timore ampliora auxilia, An.1661

An. 1661 ut neceſſitudo poſtularet, mittere non valerent, utrum proſpere bellum eſſet ceſſurum, in incerto eſſet. Huic opinioni ſuffragabatur etiam, quod diſſenſionis cauſa coorta erat. Obbevillius enim non recte Cæſarem ſe Alſatiæ Ducem inſcribere, quum ea ſub Ludovici ditione ſit, dicere, aliaque Hiſpano objicere. Tandem hæ res Flavii Chiſii Cardinalis Alexandri Pontificis Maximi ex fratre nepotis authoritate componuntur, quod res maximas controverſiis, quarum judicium opportunius in aliud tempus eſſent collaturi, impedire turpe eſſet. Propterea Franciſcus Barberinus Cardinalis in hunc modum locutus eſt. *Si unquam fuit tempus, quo Regum auxilium Chriſtiana Reſpublica implorare coacta eſt, hoc quidem certe unum eſſe vos non ignorare confirmo. Tempus ſane difficillimum, quod nunquam alias in majore diſcrimine fuit, quum tantum virium, audaciæque ſuis innatis hoſtibus acceſſerit, ut ad omnibus imperandum ſe parare non dubitent. Hoc nec mihi in mentem venit, quin maximo dolore afficiar, nec vobis exponere poſſum, quin lamentis, lacrymiſque prope muliebriter me dedam. Nec immerito; quum majorem orbis terrarum partem quondam Crucem coluiſſe, nunc Turcarum ſuperſtitione imbutam eſſe conſtet. Neque doloris cauſæ hic finis eſt; quoniam illi iidem Chriſtiani, qui quondam barbaros docuerunt, ipſos non recte facere, quum ſe bello laceſſerent, nunc contumeliis, injuriiſque affecti eorum furorem mollire exoptantes, ferociores efficiunt. Ubi nam ſunt Caroli Magni? Ubi Caroli Martelli? Ubi Goffredi? Ubi ſexcenti alii, quorum conſilio, & virtute in tantam claritudinem Chriſtiana Reſpublica pervenit, & quandoque ex periculo erepta eſt. Jam vetuſtate exemplorum hæc vix creduntur. Jam de injuriis propulſandis non cogitare conſuetudine turpe non ducitur. Jam ut reperiantur, qui pedes ponant illorum in veſtigiis, magis optatum, quam ſperatum eſt; niſi dicere vellem, nunc primum ſpei momentum apparere, quum Regum juſſu hujus rei cauſa huc vos conveniſſe videam, atque eorum virtus, conſilium, pietas, præterea neceſſitas ad id hortari omnes videantur. Nam quæ ad bellum ſuſcipiendum fortiſſimos viros incitare ſolent cauſæ, eas omnes ad id eos deducturas confido. Quis enim unquam adeo mitis, vel, ut verius dicam, ignavus fuit, ut pro ſua, ac ſociorum ſalute, pro injuriis ulciſcendis, pro Imperii, gloriæque cupidine bellum neceſſarium non duxit? De gloriæ, Imperiique ſtudio vel nihil, vel pauca ad extremum dicam, quia fruſtra hoc uterer incitamento, quando & numero, & pondere majora afferam argumenta. Optimo igitur conſilio prudentis eſſe non ſolum præſentia reſpicere, ſed etiam præſentire futura commemorabo. Quid? ſi vos, quia ab incendio abeſ-*

abeſſe putatis, in periculum non venturos eſſe confidatis, veſtram opinionem vos fallere dicam, oportet. An ſoli neſcitis incendium reſtinguere, niſi initio, difficile, ne dicam impoſſibile eſſe? An ſoli ignoratis, omnia continentia, ubi conflagraverit aliquid, conſumi oportere? Scire juvat plus ab Arabia, Scythiaque, ubi incendium cœpit, Græciam abeſſe, quam ab Græcia, Tranſylvania, Cretaque nos ſumus. Niſi celeriter tantæ cupiditati occurratur, facilius nos expugnare ipſis erit, quum tantum potentiæ, authoritatiſque nunc ſibi comparaverunt, quam initio tot, tantaſque bellicoſiſſimas gentes perdomere fuit, quum paucis dignis potius, ut latronum, quam militum appellarentur nomine, neque pecunia, neque frumentum, neque arma ſuppetebant. Eo Turcarum conſilia pertinent, ut nullum uſquam orbis terrarum, niſi ſuum imperium ſit. In hanc rem ſemper eorum trahuntur mentes. Huc cogitationes, dicta, factaque omnia dirigunt. Nihil, modo imperii fines proferant, turpe ducunt. Qui fidē fefellerunt, & opportune magis, quam juſte bellum intulerunt, iis divini prope honores decernuntur. Enitemini ergo, ne tunc ſociorum cauſam ſuſcipere cupiatis, quum neque ipſis, neque reliquis (quod ominari horreo) remedium ſit. Quid, quum caſum nequicquam tunc erunt commiſerturi, nunc certiore ſpe rem non aggrediuntur? Quis eos prohibet viros eſſe, quum non metus, non nimiæ Turcarum opes, non ipſorum infirmitas impedimenti loco ſit? Solum, quod forſan exigua ſpe pro ſua ſalute ad extremum facturi erūt, id repræſentare neceſſe habent, ſi gloriam & vitati periculi, & parti Imperii ferre exoptaverint. Pœnitebit certe eos meam non accepiſſe ſententiam, ut Græcos aliorum Chriſtianorum injurias neglexiſſe pœnituit. Neſcio unde fiat, ut non recte Chriſtiani Regis facto alii Chriſtiani Reges tantum permoveantur, & maximarum ab Turcis illatarum injuriarum obliviſcantur. Cur ſociorum gloriæ ita invident, ut Imperii fines conſtituere iis velint, qui contemnendi potius eſſent, & timendos Turcas, qui cœlum ſuum finire imperium arbitrantur, colunt? Cur unuſquiſque reliquos gloria antecedere cupit, & alius, ut ab alio petendæ pacis initium oriatur, expectat, Turcis vero, ad eos ſupplices legatos mittendo, authoritatem attribuere non dubitant? Nota non eſt, an verius nihil eos permovet illorum ſuperbia, quum non tanquam Reges, ſed uti ſtipendiarios omnes habeant? Quouſque eos ferociores efficere ſtatuerunt, quum nunquam eos Turcis intuliſſe bellum gloriari poſſunt, quin potius donis, aliiſque rebus pacem redimendam curent? Miror, tantæ arrogantiæ memoriam depoſuiſſe Hiſpanos, etſi adhuc cladis veſtigia domi cernere licet. Miror, Gallos tot, tantoſque inſudatos labores contra barbaros, qui in faucibus urgebant, animo non continere. Miror, omnes nihil Turcarum

avi-

An. 1661 *aviditate permoveri, etſi eo tempore Venetos, Cæſaremque bello laceſſunt, quo in maximum venire periculum poſſent. Et hujus rei, ut alia omittam, teſtimonium eſt, quod unus Venetus Senatus priſtinæ Italorum virtutis memor ſua conſtantia, & virtute exemplum præbuit, facile eſſe eos delere hoſtes, qui veterum victoriarum opinione ſe invincibiles eſſe gloriabantur. Non ne pluribus navalibus præliis eos fuderunt Veneti, fuſoſque perſecuti ſunt? Non ne maris poſſeſſione eos pellere & auſi ſunt, & valuerunt? Non ne & Conſtantinopolim prope obſidere, & Cretam defendere animum ipſis fuiſſe apparuit, & futurum ſperatur? Nulla res aptior omnium judicio ad expellendam dubitationem omnem videtur, quam exempla, præcipue recentia. Ob hanc cauſam libenti animo prætermitto, Turcarum diſcordiam, Prætorianorum ignaviam, Præfectorum omnium uſus belli imperitiam Chriſtianos potius ad victoriam, quam ad bellum hortari. Proinde agitedum enitamini, ut miſeris Chriſtianis ſubveniatur. Date operam, ut Reges eos beneficio obſtringant. Unis Turcis hoc conſilium ingratum, reliquis & jucundiſſimum, & gratiſſimum erit. Omnes illud laudibus concelebrabunt. Deus ipſe præter victoriam, gloriamque, quam erit hic daturus, memor veſtri facti poſt mortem erit. Nolite committere quæſo, ut belli gloria penes innatos Chriſtianorum hoſtes ſit tanto religionis detrimento, & Chriſtianorum dedecore. Alexandri P. M. potius exemplum imitemini, omnibus precibus oro, qui quamquam ſenio confectus, labori tamen non parcere decrevit, dummodo barbarorum infringatur audacia.* Vera etſi potius, quam dictu ſpecioſa hæc omnia cognoſcebant legati, tamen, quia ad præſcriptum agere cogebantur, ſpecioſis illatis cauſis nihil abnuentes, vel pollicentes, dies prolatare cœperunt. Quæ ubi cognovit Matthæus, ne ſe nequicquam Romam veniſſe dici poſſet, petit, ut ſubito Alexander, Cæſar, ac Venetus Senatus fœdere ſe conjungant. Nam in ſocietatem cito Ludovicus, Philippuſque venturi eſſent, ne ab aliis in Chriſtianam Rempublicam ſtudio ſuperari viderentur. Hoc facillimum factu fuiſſet, niſi Matthæus Aloyſii conviciis perterritus, quod nulla ratione ab illis ſuum ſepararet conſilium, qui partim potentiæ opinione, partim amplioribus auxiliis maximum Turcis inferre terrorem poſſent, a ſua ſententia, ſimulque Roma diſceſſiſſet. Ubi hæc Cæſari nunciata ſunt, longe aliud ſibi capiendum conſilium exiſtimat, utpote qui majore ex parte auxiliis confiſus bellum ſuſcipere non dubitabat, nunc hac ſpe lapſus pacem cum Turcis facere optimum judicat. Ejus rei cauſa Montecucculo mandat, ne Chiminiano auxilia mittat, neu excurſionibus Tur-

cas

caſ laceſſat, etſi Joannes Sagredus Veneti Senatus legatus ſummo cum Tranſylvaniæ, Pannoniæque periculo id futurum dicebat, quum immaniſſimos hoſtes nullo officio, ſed metu ab maleficio temperaturos conſtaret. Pacis ſpe quoque permotus, Tranſylvanorum legatis, qui oratum venerant, *ut præſidia ex oppidis deduci jubeat, ne Turcæ Germanos expellendi ſpecie eorum potirentur*, ſe libenter id facturum reſpondet, quum Mehemetes nihil ſe contra Tranſylvanos, Pannonioſque conſilii initurum juraret. Per eoſdem dies Chiminiani legatus Viennam pervenit, qui ut ab Montecucculo tria equitum millia impetrare nequiverat, Cæſarem oratum venit, *ne hoc petenti Chiminiano denegaret. Nunc Abbaſſum expellere nihil negotii eſſe, quum, ubi Tranſylvania Halius exceſſiſſet, omnes ad Chiminianum tranſiviſſent.* Cæſar quum amplius Turcas non laceſſendos ſtatuiſſet, renunciari legato jubet, *rem magni diſcriminis, & laboris eſſe aſpera hyeme milites in expeditionem mittere: æquo animo conſilium in aliud differret tempus, dum alias nanciſceretur occaſiones, & quid Turcæ conſilii iniiſſent cognoſci poſſet*. In hoc quidem perſeveratum eſſet, niſi nuncius de Mehemetis Chiuperlii morte allatus injuriæ ulciſcendæ, ac Abbaſſi expellendi deſiderium feciſſet: quoniam magnam habebat ſpem Cæſar, Turcas vel per inteſtina arma adverſus ſe bellum trahere non poſſe, vel aliquem ad ſummum magiſtratum evocatum iri, qui ſeu ingenii placiditate, ſeu rerum militarium imperitia, ſeu timore, ne magiſtratus initio res aliquem reciperet caſum, bello non ſtuderet. Conſtabat enim Regi ingenium ad Imperii molem ſuſtinendam parum aptum eſſe, propterea conſiliorum ſummam ad Zaimam matrem redituram ſperabat. Nemo ergo ſibi perſuadere poterat, muliebri ingenio viro, atque mulieri jam ſeditionis præmiis aſſuefactos, & ſævitia, atque calliditate Chiuperlii in officio retentos Turcas ab ſeditionibus continendi poteſtatem fore. Conjectabant idcirco Germani non ſecus, quam flumen, ubi ſepta perfregerit, rapidiſſimum, ita mortales, timore remoto, quo antea coercebantur, licentiores. Itaque ad Montecucculum ſcriptum eſt, *ſtatim tria equitum millia Chiminiano mittat*. Hoc ſubſidii ad eum ad dignitatem reſtituendum ſufficere hoc tempore viſum eſt, quod non amplius Mehemetis Chiuperlii virtus, ejuſque optimum conſilium ipſi impedimento erat. Nunc, quoniam huc ventum eſt, nec alio loco de tanto viro dicere oportet, quam pauciſſimis de cultu, moribus, ac ejus natura diſſerere non ſupervacaneum duxi. Mehemeti Chiuperlii nomen ex obſcuro Illyrici caſtello, ubi natus, educatuſque fuit, inditum eſt: incertum ab patre Peruſino, an Gallo, nobili An. 1661

an

An.1661 an nauta prognatus: nam utrumque eſt ab authoribus traditum. Adoleſcentiam primam operibus ruſticis intentus tranſegit. Simulatque poſtea ſtipendiis faciendis ſe exercuit, qua animi magnitudine, ac virtute, qua conſilio Ducem tanta amicitia ſibi conjunxit, ut, confecto bello, Conſtantinopolim eum duceret; Amuratemque, qui tunc temporis imperabat, doceret, nunquam tam maturæ virtutis, tantæque expectationis juvenem fuiſſe. Hoc modo præclara ejus facinora memorans, ſuamque gloriam cum eo participans, ut in Regis gratiam Chiuperlius veniret, effecit. Chiuperlius etiam ſuam operam Uglano Eunuchorum Regię domus Prefecto (majorem enim gratiæ cauſam apud Amuratem Regem voluptatibus deditum nemo habere poterat, quum hic libidinum miniſter aſſumptus eſſet) pollicitus, primo in ejus amicitiam fuit receptus, deinde tantum ſe ei inſinuavit, ut ſicut unius Uglani gratia apud Amuratem, ita unius Chiuperlii favor apud Uglanum valeret. Ab hoc arcana omnia eliciens, & artes, quibus cariſſimus Regi fieret, edoctus, brevi tantam authoritatem ſibi comparavit, ut aulicorum omnium oculos in ſe averteret, & ſic invidiæ tempeſtas, ut fit, ſequeretur: quam tamen partim Uglani authoritate, partim ſuo conſilio, partim rerum geſtarum decore vicit. Res ſane difficillima, quum gloria tantum abeſt, ut invidiæ flammam extinguat, ut potius materiam incendio ſuggerat. Fortuna etiam, quæ omnia ejus conſilia probare ſtatuerat, effecit, ut Fatimæ cujuſdam, quæ erat Zaimæ ancilla, amore captus, invito Selimo magnæ inter Turcas authoritatis viro, qui rivalis erat, eam uxorem duceret, & ſic majoris favoris initium fieret. Nam Uglani, atque Validæ Amuratis matris opera Zaima uxoris loco ab Amurate habita eſt. Quæ ubi plurimi ſuam gratiam apud Regem eſſe intellexit, Fatimæ ſuæ ancillæ id dedit, ut Mehemetis ejus viri patrocinium ſuſciperet. Sic hujus precibus ab Rege obtinuit Chiuperlius, ut Beryto præficeretur. Ex qua præfectura partim ſuis artibus, partim illorum omnium favore, quorum maxima erat apud Regem authoritas, alios ſibi peperit magiſtratus. Tandem, mortuo Amurate, Hibraimus frater regnare cœpit: qui etiam Validæ opera Zaimam eodem loco, quo Amurates, habuit. Tanta Validæ acta prope ætate fœminæ dominationis cupido inerat, ut, quum Zaimam ſibi fidelem cognoviſſet, ejus authoritatem ſemper creſcere optaret. Zaima etſi ex Hibraimo filium Mehemetem ſuſceperat, tamen, quia amor multitudine diſtrahebatur, tantum apud Regem non potuit, ut Chiuperlium ab Selimi inimicitia ex Fatimæ nuptiis concepta defenderet. Selimus enim ad ſummum Magiſtratum

tum

tum eveƈtus, eum in vincula coniici juſſerat. Hibraimus vero quum An.1661
eſſet inviſus omnibus, Valida mater conſilium ad ejus necem ſeditioſos hortandi capit. Ad ſe enim Imperii ſummam redituram ſibi perſuaſerat, ſi Mehemetes Zaimæ filius Rex crearetur. Compoſitis jam rebus, dies ab eo, quem ipſi Muſthium appellant, Hibraimo dicta eſt, ut niſi criminibus, quæ imperii tempore aliá ſuper alia erat auſus, ſe expurgaret, mortis pœnam ſequeretur. Matris igitur ambitione mortuo Hibraimo, (ſi matris nomine illa ſit appellanda, quæ imperii ſtudio tantum ſcelus non modo concipere, ſed admittere quoque auſa eſt) Mehemetes Rex ſalutatur. Valida in procuratione Regni propter Regis ætatem fit, cavetur. Quæ tamen, ut ſupra dictum eſt, morte incredibilis in ſuos ſævitiæ, atque imperii libidinis pœnas dedit. Eandem pœnam reliqui, quorum magna pars in ſuperiore quoque conjuratione fuerat, pependerunt. Chiuperlius poſtea ad ſummum magiſtratum ab Zaima evocatur, qui tum Reginæ favore, tum Validæ exitus exemplo permotus morte illorum, quos novis rebus ſtudere, & ſuæ authoritati invidere intelligebat, comprimere motus cœpit. Fama tunc temporis valuit, ad ſex hominum millia eum interfeciſſe. Inexorabili ingenio, ac furibundus vir ſupplicia in ſeditioſos, fortiſſimoſque juxta viros, qui in affeƈtati muneris ſuſpicionem veniſſent, componebat. Sic illis, quorum virtus magni apud Turcas habebatur, interfeƈtis, ut nec ipſe, nec Rex fortunæ commutationem vereretur, effecit: nam nec ſeditionibus proficere contra Regem faƈtioſi poterant, quum callidiſſimus vir ejus ultor eſſet, nec Regi tantum animi erat, ut quid gravius in ſuum ſervatorem decerneret, quin potius tantum Chiuperlii gratiæ tribueret, ut quotidie ægritudinis tempore ejus domum veniens, eum patrem appellaret. Ita, quod ante id tempus acciderat nulli, multos annos magiſtratui præfuit, & amplius fuiſſet præfuturus, niſi ſexto, & quinquageſimo ætatis anno finem vitæ morbi vis feciſſet. Non eiſdem omnibus artibus magiſtratum ſummum ſibi peperit, atque partum adminiſtravit. Nam ubi tum lenitate, ac manſuetudine, nunc ſeveritate, & crudelitate, ubi primo omnium animos ſibi conciliando imperabat, poſtremo timorem omnibus inferendo Rempublicam adminiſtrabat: ſemper tamen calliditatem ſummam, ac diligentiam, prout quæque res eam requirere videbatur, adhibuit. Id ducebat honeſtum, quod ſibi conducere cognoſcebat. Ejus rei cauſa pacem violare in turpiſſimis non habebat rebus, ut fortes viros, contra quos apertam vim non proficere expertus erat, periculis, & dolo objeƈtaret, ut Acmetes filius, aliis mortuis, ad honorem evocaretur: ut fuit: nam

Q pau-

An. 1661 paucis repugnantibus Acmetes ad dignitatem evehitur, etſi, patre invito, Joachimam Regis ſororem ſibi junxit. Laudis enim bellicę opinione, & eorum favore, qui plurimum apud Regem poterant, conſultum exiſtimabat filio Chiuperlius, licet juvenem triginta annos natum, & filium quaſi ex teſtamento in locum patris ſuccedere Turcæ vetere eorum inſtituto periculoſiſſimum ducebant. At quum ad has res nimia hominis potentia Regis affinitate aucta acceſſiſſet, merito, quin ſibi Rex timeret, Chiuperlius dubitabat. Sed contra, atque a majoribus Turcæ acceperant, ut ſummo magiſtratui Acmetes præficeretur, Zaima adducta fœminarum omnium conſuetudine eniſa eſt, quibus generi nunquam ſatis dignitate auctiores videntur. Hocmodo, quod filio ad rem aſſequendam impedimento futurum Chiuperlius ſuſpicatus erat, illud ei omnino honorem peperit. Quorundam enim ſententia fuit, adeo de ſua in Chiuperlium benevolentia Halii gratia Zaimam diminuiſſe, ut, niſi novo vinculo ejus voluntatem Acmetes redemiſſet, collata in adoleſcentiam culpa ei Halium prætuliſſet. Quod fore antea ſuſpicatus Chiuperlius, Fatimam uxorem, quam cariſſimam ſemper Zaima habuerat, ad eam miſerat, ut abditos ſenſus eliceret. At Fatimę multa ſenſim explorare cupienti aliud reſponſum datum non eſt, quam Halium tot, tantiſque egregiis belli facinoribus, aliiſque artibus ſua gratia dignum eſſe. Hac quidem re ad alia indicia accedente, non dubitandum ſibi ſtatuerat Chiuperlius, quin Zaimæ confidere non poſset; propterea inter alias res Regi ſe exigua in ſpe animam trahentem viſitanti dixit, *ne mulierum uteretur conſiliis: alia, quæ ad Rempublicam adminiſtrandam neceſſaria cognoviſſet, Acmetem filium ipſi traditurum*, quum ipſe vi morbi vocem exprimere non poſse ſimularet. Acmeti mandaverat, ne, quum ipſi imperium permitteretur, per ſocordiam conficiendi belli opportunitatem dimitteret, quum ex otio ſeditiones oriri conſueſsent. Monuit tamen, ut ipſe in exercitu eſset, ne Zaimæ animum offenderet, ſi Halio imperium per injuriam eripere videretur. Periculoſum eſse, Halium imperii ſummam obtinere, docuit, quoniam rebus præclare geſtis ejus authoritas creſceret, rebus adverſis non minueretur, quod in juvenili animo nihil conſilii eſse Turcæ credentes, totius rei invidiam ab ſe ne in juvenem averterent. Ex his utrumq; caſum ſummo cum ſui capitis periculo fore Acmetes cognoſcens, conſilium ad exercitum contendendi primo capit, deinde periculoſum primo imperii anno omnia fortunæ committere ducens, pacis conditionibus Cæſarem ludificare, & interea in omnia ad bellum neceſsaria paranda inſiſtere decernit, ut inſequenti anno in-

zed by Goo

incautos Pannonios, Germanoſque maximo apparatu aggrediens, incruento exercitu victoria potiatur. Ut facilius hanc mentem ſibi eſse Cæſar crederet, Halio ſcribit, *quoniam belli tempus non eſſet, exercitus partem, quum primum per anni tempus poſſet, minoribus itineribus Conſtantinopolim mittat, partem ſibi ad tegendos fines relinquat*. Sic iis rebus, quas pater providerat, ſe prævertiſse lætatur, eo magis, quod ex gratulationibus plebis animos ſibi conciliaſse intelligit, quum alienum a bello animum ſe habere ea arbitraretur. Itaque conſilium non mutat, etſi devincendę Tranſylvanię opportunitatem, Chiminiano mortuo, prætermitti cognoſcebat. Nam Chiminianus ubi tria Germanorum equitum millia quinque millibus, quæ habebat in armis, adjunxit, Megium, quod ibi Abbaffum infirmo præſidio eſse intellexerat, petit. At Abbaffus certior de ejus conſilio factus per Joannem Bęttelenium, qui in Chiminiani exercitu erat, Segethuſam confeſtim ſe recipit, ut oppidi munitionibus reſiſtere hoſti poſſit, quoad Turcarum convenirent auxilia. Profectione ab Chiminiano cognita, deſes tempus non terit, quin eo exercitum duceret. Quo ſimulac pervenit, duriſſimo hyemis tempore oppidum circumvallare inſtituit. Erat rei bene gerendæ occaſio, quod anguſte re frumentaria obſeſſi uterentur, niſi compoſitionis ſpe ſe fruſtrari paſsus eſset. Bettelenius enim, aliique, qui Abbaffo ſtudebant, *præſtare petenti Abbaffo pacem dare, quam fortunæ omnia committere* dicebant, *quæ quos afferret caſus, incertum eſſet. Se ſibi legationem ſuſcepturos, ut rei ſine vulnere compoſitæ gloriam ferrent*. His ignarus ludificationis præſtat fidem Chiminianus. Miſſis igitur, remiſſiſque legatis, dum Abbaffus modo has, modo illas moræ cauſas facit, tempuſque extrahitur, adventare Cutſchiucius Varadini Præfectus cum mediocribus copiis nunciatur. Sed tantam ſuarum rerum Chiminianus fiduciam habet, ut luxu fluentes Turcas hyemem, itineriſque laborem pati non poſse crederet. Licet primum conſpicabatur agmen, tamen pabulatores eſse ratus, ſe ad nullum caſum comparat, immo majorem equitatus partem pabulatum mittit. Hoc ſtatim a Bettelenio Cutſchiucio nunciatur. Qui opportunitatem nunquam corrumpere paratus, ſuos cohortatur, *ut priſtinæ virtutis memores nihil ſuæ fortitudinis opinione indignum committerent. Nihil eſſe, quod de victoria dubitent, quum imparatos, atque ab aliis ſecluſos adorirentur. Æquo animo accelerarent iter, ut quam minimum poſsent ſpatii ad ſe ex timore recipiendum hoſtibus darent*. His dictis, Turcæ maturant iter, adeo ut Chiminiano, qui in pago non longe ab oppido erat, ad ſuos cohortandum, ad aciem inſtituendum, & ad omnia, pręter quam An.1662

An. 1662 ad ſe in equum inferendum, tempus defuerit. Utque is, qui nihil providerat, incertus quid ageret, in fuga ne, an in armis præſidium poneret, tandem fortunam periclitari paratus, ut vel victoriam adeptus in Imperio ætatem ageret, vel adverſa pugna facta cum dignitate vitam amitteret, Germanos ſeſe expedire jubet. Sed ut apud ſuos tanta erat negligentia orta, ut non ſtratos, infrænatoſque haberent equos, omnia trepidanter, ut in extrema ſpe ſalutis ſolet, adminiſtrantur. Vix ergo arma cœperant, quum in eos ſe eiiciunt Turcæ. Tranſylvanorum maxima pars, Germanorum pauci fuga ſalutem ſibi pariunt; quoniam ſive laboribus confecti Turcæ, ſive quod fugientes ſylvis, montibuſque tegi arbitrati eſſent, eos non ſunt conſectati. Reliqui ad duo millia, qui mortem potius ſubire, dummodo fortiſſimorum virorum opera edant, quam timoris ſuſpicionem dantes periculum effugere exoptarunt, ad unum interficiuntur. Chiminianus, ut ſuos confirmaret, in media mole pugnæ verſatur, at ubi tandem rem in extremo ſitam vidit, calcaribus ſubditis fuga ad ſalutem contendere decernit. Sed ſive caſu equo decidiſſet, ſuorumque fugientium multitudine opprimeretur, ſive conſulto ab aliquo vulneratus interficeretur, (quod, utpote vulgo circumferebatur, non inveriſimile videtur, præcipue quum ab ſuis proditum ſemper fuiſſe conſtaret) magna adhibita diligentia inter cadavera reperiri non potuit. Vir, qui ut ab omnibus magni conſilii, ac calliditatis, ita rerum militarium imperitus, incertus, ac nimis in exequendis conſiliis piger habitus eſt. Mihi autem nec callidum, nec conſilii virum fuiſſe conſtat, qui ſe pacis ſpe ludificari non animadvertit. Tanta victoria Michael, Cutſchiuciuſque mirum in modum lætitia afficiuntur. Uberiorem, plenioremque prædicant. Hujus rei opinione, & Bettelenii opera, ut fama valuit, Georgenium recipiunt. Bettelenius adeo de proditione lætabatur, *ut acceptam pacem ſibi referendam* diceret. *Se hoc conſilio, non in Chiminianum odio, vel imperii cupidine rem ſuſcepiſſe, quum pro patriæ ſalute omnia honeſta videantur*. Georgenium frequentes legationes, quod commune Tranſylvaniæ concilium Abbaſſus indixerat, veniunt. Omneſque legatum ad Cæſarem mitti oportere confirmant. Et Stephanus Daniel aptus viſus eſt, qui Cæſarem de Chiminiani morte doceret, ſimulque oraret, ut præſidia ex oppidis educat. Daniel ut Viennam pervenit, Abdurahanum ab Halio legatum de pace ad Cæſarem miſſum reperit. Quumque ei reſponſum eſſet, *a pace nunquam Cæſarem abhorrere, ubi æquas proponeret conditiones*, in ſpem negotii conficiendi venit. Propterea miratur, ſe ſubito dimiſ-

miſſum, ita ut nihil ad ſuos perferre poſſet: quod non parum Abbaſſo diſplicuit. Conjectans ergo, Cæſarem cum eo agere noluiſſe, quod ſe Tranſylvaniæ Principem non eſſe exiſtimaret, quum non omnium ſuffragiis, ſed Turcarum juſſu Principatum iniiſſet, propterea, ne fruſtra victoriam ex Chiminiano peperiſſe dici poſſet, non cunctandum ſtatuit, quin per vim, vel voluntate, quæ poſſet, oppida recipiat. Hujus rei cauſa non dum exacta hyeme Semoſovarium petit: cujus oppidi munitiones, ac præſidii animos quum pluries nequicquam tentaſſet, nullamque negotii conficiendi propinquam ſpem haberet, oppugnationem relinquit. Inde Fogaratium exercitum ducit, poſtquam precibus ab Cutſchiucio, ut eodem veniret, obtinuit; quoniam oppidum natura loci, & manu munitum oppidanorum opera, qui ſuis rebus faverent, recepturum confidebat. Hac ſpe plenos quum appropinquare oppidani cognoviſſent, Gregorium Bettelenium, qui oppido præerat, frequentes conveniunt, orantque, *ne vim experiri velit, cui ſine periculo oppido excedere liceat: ſe Michaelem Abbaſſum optime de omnibus meritum Principem urbe prohiberi pati non poſſe: ſi ſibi mos non geratur, ſe ſibi conſilium capturos.* Quorum vi etiam, non oratione ſolum perterritus Bettelenius, (armis enim ei minitabantur) cum militibus, qui ibi cuſtodiæ cauſa erant, Zechelidem diſcedit. Paucos ibi dies moratus Abbaſſus, ut ex labore exercitum reficeret, ad Claudiopolim iter dirigit. Nihil enim dubitabat, quin rem aſſequeretur, quum oppidani miſſis occulte legatis, ſe imperata facturos pollicebantur. At ſi horum non procederent promiſſa, tamen rem aſſecuturum ſperabat; quoniam, utpote eo murorum, atque turrium genere, quod vetus diſciplina poſtulabat, oppidum muniebatur, plurimum tormentis proficere poſſe ſibi perſuaſerat. Foſſa non nimis lata, non aqua completa, uſum ad defenſionem habebat nullum. Opinio Abbaſſum non fefelliſſet, niſi mille Germani, qui oppidum cuſtodiebant, hortatu Davidis Retani Veneti oppidi Præfecti, cujus conſtantiam, bellique peritiam omnia laudabunt ſæcula, nec laborem, nec periculum ſe recuſaturos confirmaviſſent. Retanus ſive de legatione ab oppidanis ad Abbaſſum miſſa cognoviſſet, ſive eum Bettelenii caſus admonuiſſet, nocte occupatis patentioribus oppidi locis omnes armis exuit, illoſque, quos aliqua apud oppidanos authoritate, alieno in ſe animo, atque rerum novarum avidos eſſe intelligebat, ne multitudinem adverſus ſe concitarent, ex oppido expellit. Hi ſtatim ſe ad Abbaſſum conferunt, qui magno dolore afficitur, quod, ſeditionis nervis ejectis, ſpe ſine contentione oppidi recipiendi deiicieba- An. 1662

An. 1662 batur. Animo tamen non deficit, ſed Joannem Bettelenium cum 3 millibus equitum binis præmittit, qui Retanum per amicitiam moneret, *ne ſuam, ac omnium ſalutem in dubium devocare velit. Potius præmia, quibus ipſum eſſet remuneraturus, cum laboribus, quos ferre obſidionis tempore neceſſe haberet, atque cum cruciatibus, in quos venturus expugnato oppido eſſet, conferret*. Quum reſponſa fortiſſimo viro digna ab Retano data eſſent, tanta iracundia Michael, Cutſchiuciuſque exardent, ut, ſimulatque pervenerunt, oppidum circumvallare inſtituerent. Opere perfecto ſtatim tormenta tribus in partibus contra muros diſponunt; quibus nullo negotio everſis, aditum ad urbem ſibi paraviſſe credebant. At tranſverſam foſſam intra murum perductam, vallum, aliaque opera inſtituta ſibi eſſe impedimento intelligunt. Ex hac re Retani virtutem, diligentiamque, ac militum patientiam cognoſcunt, quum quietis facultatem iis eſſe non poſſe judicarent, qui tempus, quod ab labore intermittebatur, eruptionibus faciendis, aliiſque obeundis muniis tribuebant. Hac de cauſa re infecta diſcedere cogitabant, maxime quod rerum omnium inopia exercitus premeretur. Sed paucis poſt diebus rei gerendæ fiducia innata eſt, quod Nicolaus Zoloimius, quem Principatum ab Turcis petiiſſe demonſtravimus, Turcarum voluntates redempturum ſperans, frumento exercitum juvat. Eos præterea docet, Montecucculum ſuis ſubſidio venire non poſſe, quum eum ex ſuis finibus Pannonii amoviſſent. Multum vero eorum animis addidit, Selimi Agriæ Præfecti litteras cum hujus oratione convenire. Ex quibus item de Pannoniorum ſeditionibus cognoverant. Selimus enim de rebus omnibus ab Andrea Nejereghio, ut infimi generis, ita expertæ temeritatis ſene certior fiebat. Qui ſuperiore tempore ab Turcis captus prædæ nomine fratri, & eo mortuo ad ipſum hæreditate obvenerat; tandem dimiſſus aditum ad eum habens, *ſe miſerorum ſuſcepiſſe cauſam*, ſcribit: *orare, ut Turcarum opibus ipſe, Pannoniique omnes juvari poſſent*. Hic, quum reſcripſiſſet Selimus, *ſe, quantum authoritate valeret, ad Pannoniis ſubveniendam eniſurum*, tantam ſibi ſumit audaciam, ut non occulte, ut antea, ſeditionis mentionem ad vulgus ferret, ſed palam malediceret Germanis. *Certis enim authoribus ſe comperiſſe* dicebat, *iis in animo eſſe, Pannoniis adimere libertatem. Non adhuc eorum cupiditas expleta eſt*, inquit, *etſi nobis templa ablata ſint, niſi mortis quoque pœnam ſubeant ii, qui Romanum Pontificem Dei in Terris vices gerere non confirment. Et pati poteſtis Pannonii, ut in dies hi tantas injurias cumulent? An parum vobis id videtur? An ſatis vo-*

bis

Digitized by Google

bis imperio natis eſt formas hominum habere, & vocem exprimere poſſe? Pudeat vos nullam libertatis memorem vocem exprimere. Pudeat, nullum inire conſilium manu id retinendi, quod majores manu partum reliquere. Ego, quum ſenectus, & mea fortuna operam patriæ præſtare probibeant, qua una poſſum oratione, vos ad libertatem bortando, eam vindicabo. Magno cum aſſenſu ab omnibus audiebatur Nejereghius, atque ut ſeditioſiſſime in dies dicebat, ita quam maxime eum rerum novarum avidi, hæreticique laudibus ferebant. Hi quod religionis, illi quod libertatis vindex futurus videretur. Igitur ſupra infimi hominis modum elatus, ſecum trahebat multitudinem. Non minor Comiti Emerico Balaſſæ infido juxta, ac mobili viro agreſtium approbatio fuit. Hic per ſimulationem privati negotii eo contendens, ubi exercitus erat, agreſtes adverſus Germanos ita concitavit, ut nihil Deo gratius, quam Germanos, velut pro victimis, immolare exiſtimarent: nam, ubi in ſingularem, aut paucos incidebant, magnis cruciatibus eos interficiebant. Ubi cognovit Montecucculus, milites tot incommoda in dies accipientes neque morbi, neque Pannoniorum vim ſuſtinere poſſe, quod neque per vim, (nam alienum animadverſionis tempus eſſe non ignorabat) neque precibus obtinere poſſet, ut hyberna non recuſarent, ad Cæſarem ſcribit, *ſe ex una re dolorem non capere, quod tot malorum, in qua inopia, & anni tempore bene de ipſo meriti milites projecti eſſent, author non fuiſſet. Perpetuum Pannoniorum adverſus Germanos odium eſſe; nec ſe propinquam ſpem ipſorum voluntatum commutationis habere, quum ab Turcis, aliiſque ad furorem impellerentur. Miſerrimis ergo quamprimum proſpiceret, orare.* Eodem die, quo has miſerat litteras, Comitem Joannem Rotalium ab Cæſare miſſum cognoſcit, quem, utpote Pannoniis acceptus erat, eos ad ſanitatem reducturum confidebat. Rotalius, ut quam ocyſſime militum incommodis medeatur, ubi conſilia cum Strigonienſium Antiſtite, ac Veſelino in itinere communicavit, ſtatim maximis itineribus ad Montecucculum pervenit. Conſilium ergo habent, ut, quod initium ſedandi tumultus capere expediret, decernerent. Montecucculus *non eſſe tempus* dicere, *cruciatibus ſeditionis principum rem componendi; quoniam, quum ipſis confirmaretur opinio, Cæſarem ſervorum loco Pannonios habere velle, extrema eſſent auſuri. Potius precibus adniteretur, ut eis perſuaderet, Cæſari longe aliam mentem eſſe, quam perditiſſimi homines prædicarent. Oſtentari magis ab eis, quam veras eſſe cauſas, quum, ut ab injuriis Turcarum eos probibeat, neque ærario, neque ſuorum ſanguini, neque ſuis laboribus* An.1662

par-

An.1662 *parcere conſtituiſſet. Hac una ratione, ac divina ope tam obſtinatos animos aliquid pro ſano facturos eſſe.* Poſtero die Caſſoviam perveniſſe Veſelinum Rotalio nunciatur, idcirco ad eodem contendendum moram interponit nullam. Ibi Civitatum legationes conveniſſe reperit. Ubi eis initio orationis ſuum in Pannonios ſtudium, ac Cæſaris in eoſdem merita expoſuit, *non alio conſilio eo veniſſe* addit, *quam ut militibus, Pannoniiſque juxta Cæſari caris proſpiceret. Ex hac re cognoſci poſſe, errare, atque mentiri eos, qui eum per vim rem aſſequi velle dictitarent. Orare, ne eam maculam Pannoniis vellent, ut videantur ingrati.* Sed quoniam de libertate nimium ſolliciti erant Pannonii, de omnium fide dubitant, perinde ac omnes contra ſe conſilia iniiſſe manifeſtum haberent. Atque in eadem ſententia de recuſandis hybernis permanent. Non deerant, qui Veſelinum non conſilii ignarum dicerent; nobis, quod non conſtat, pro certo ponendum non videtur. Certum tamen eſt, non ſine primorum patrocinio tantos ſibi eos potuiſſe ſumere ſpiritus, ut quidam juxta Andream Neiereghium ſeditioſus, cujus temeritatem potius, quam nomen non ignoro, ira plenus diceret. *Tantum ne veſtræ tribuitis calliditati, Germani, ut quod manifeſtiſſimum habemus, occultari poſſe ſperetis? An ſatis non eſt, nos uſque adhuc conſiliorum non ignaros, armis, quibus libertas tegitur, jus noſtrum proſecutos non eſſe? Parum ne eſt, nos tot, tantaſque injurias inultos tuliſſe? An Germanis noſtrum arari agrum, eiſdemque nos pecoris pabulo ſtudere putatis? Ad ſtuprum ne filias, & ad ſervitutem liberos nos educaviſſe, & educaturos ſperatis? Certe huc rem adduci, ut, quodcunque ſævis hominibus placeat, perpeti neceſſe ſit, neque ego, neque alii, qui arma habent, paſſuri ſunt. Nondum miniſtrorum Cæſaris cupiditas expleta eſt, etſi militum ſtipendia fraudant, ut rapinis illi vivere neceſſe habeant, niſi nobis ſervitutem injungentes, magis privato compendio ſerviant.* Alia addidit, quæ referre hic piget. Extremum tamen orationis fuit, *ſe hanc inveteraſcere conſuetudinem nolle, ut Pannonia ad hyemandum externis attribuatur.* Hoc ad unum cuncti, qui aderant, probant, atque in eo perſeverant, etſi ea maxime ratione, ne impune Turcæ uti excurſionibus poſſent, Germanos ibi præſidio eſſe optare debuerant. Conatus eſt aliis rationibus eos ad ſanitatem Rotalius reducere, ſed tandem rem ſæpius nequicquam tentatam omittendam ſtatuit, & de rei frumentariæ proſpiciendo cogitare. Ob eam cauſam in Sarmatiam mittit, qui frumentum pretio pararent, ne in poſterum inopia militum diminueret vires. Quumque poſtea magis, magiſque in dies Pannoniorum animos ad ulciſcendum

dum

dum ardere cognoſceret, quod neque palantes in agris Germanos interficiendi, neque Montecucculo portas claudendi eis audacia deeſſet, de omnibus Cæſarem certiorem facit. Montecucculus quoque permotus injuria, quod humilis, atque ignobilis Zebenii oppidi Decuriones excludendi ſui cauſa portas clauſiſſent, Cæſari eadem enunciat. Qui ei reſcribit, *exercitum Danubium tranſduceret*, *& in citeriore Pannonia illum collocaret*. Juſſum ſubito efficiens Montecucculus, ubi pervenit, exercitum recenſendo tertiam periiſſe partem reperit. Pannonii, qui loca citra Danubium incolunt, ſunt reliquis humaniores, fereque omnes orthodoxam profitentur religionem. Hi primo quamvis crebris ſollicitabantur litteris, tamen non tam inimico animo in Germanos erant. Sed quum deinde Cæſar commune totius Pannoniæ indixiſſet concilium, in ſuo conſpectu ſeditionibus locum non fore ſperans, remedium in peſtem converſum eſt. Nam non ſecus, quam morbos vulgare contagio ſolet, ita ſeditioſi nacti colloquiorum poteſtatem quieti ſtudentes corruperunt. Ubi Cæſar Poſonium venit, eo præſente in concilio ab nonnullis dicitur, *Cæſarem tantum Pannoniorum fidei, ac conſilio confidere, ut appariturum ſperaret, fruſtra itineris laborem non ſuſcepiſſe: ejus præterea mentem nihil, præter ea, quæ ad ipſorum ſalutem pertinerent, videre*. Ab legatis Strigonienſium Archiepiſcopo negotium datum eſt, ut pro tot, tantiſque beneficiis gratias Cæſari ageret, adderetque, *ſe gratiam relaturos ſperare*. Cæſar, ut omnium ſibi conciliaret animos, itidem eis gratias pro optimo ipſorum in ſe ſtudio agit, *atq; nunquam de Pannoniorum fide dubitaviſſe* confirmat, *quoniam, ut nihil ipſorum ſalute carius habuerit, ita quidquam ſuæ laudi ab ipſis præferri non poſſe ſibi perſuaſum habere, ne Dei, hominumque ope indigni videantur*. Alia præterea, quæ memoriæ prodenda non videntur, dicta ſunt. Ita mutuis officiis is conſumitur dies. Haud dubie facilius rem aſſequi, non dum matura re, potuiſſet Cæſar, quod ſeditioſi nondum reliquos ambiendo, eos in ſuam ſententiam perduxerant. Itaque quo majus intercedebat ſpatium, eo omnium æqualior fiebat audacia. Poſtero die quum in eundem locum conveniſſent, hæretici ab Cæſare petunt, *ut ſibi templa tribus ante annis adempta reddat*. Cęſar *de his rebus agendi tempus eſſe* negat, *quum Turcæ in faucibus urgeant*. At illi *de belli ratione agi non poſſe* dicunt, *niſi, quæ petiiſſent, ſe adeptos eſſe prius cognoviſſent*; & in hoc perſeverant. Horum temeritatem deteſtantur omnes, qui conſilii participes non ſunt. Utque in duas diſceſſerant partes, Catholici Cæſarem orare, *ne metus opinionem præbeat*; hæretici pronunciare, *ſe*

An.1662

An. 1662 *triduo proximo diſceſſuros*, *niſi eandem patriæ formam nunc eſſe cognoſcant*, *atque tribus ante annis fuiſſet*, alii vero occulte hæreticos hortari, *ne negotio deſiſtant*, non quod penes eos victoriam eſſe placeret, ſed quia, ſi perpetuo hæ tenerent contentiones, re infecta Cæſarem diſceſſurum confidebant. Interim ſuorum conſilium Cæſar habet, utrum invitis hæreticis decerni expediret, quod ex uſu Pannoniæ eſſe cognoviſſet. Rem enim aſſecuturum ſperabat, quum ſupra ducenti catholici, & minus ſexaginta hæretici ſuffragium ferrent. Exquiſitis ſententiis, omnibus placere compertum eſt, ne hæreticis invitis quidquam, quoad poſſent, ſtatuerent: facile enim ab eis defectionis initium fieri poſſe, quum maximam ſibi irrogatam injuriam arbitrarentur. Hac de cauſa agit mitius cum eis Cæſar, ſi fortaſſe eorum mentes ſanare poſſet. Sed ea res fruſtra fuit: nam mandatis Civitatum ad unumquemque perlatis, *ſe omnino poſtridie diſceſſuros*, *niſi ſibi ſatisfiat*, pronunciant, atque hoc ad diem faciunt; &, quod veriſimile in tanta perfidia credo; omnes pro viribus quædam fingendo, quæ certis authoribus comperiſſe, vel ex Cæſare audiviſſe dixerunt, Civitates ut ab ejus amicitia averterent, eniſi ſunt. Cæſar diſceſſu eorum catholicos ſibi morem geſturos arbitratus, quæ agenda communis ſalutis cauſa cenſeret, exponit. *Hi imperata ſe facturos* dicunt, *quum ſatis apparuerit*, *ipſum quidquam de ſuis legibus diminuere nolle*. *Hoc nunquam ſibi dilucere poſſe*, *niſi Germanos Pannoniæ finibus excedere jubeat*; *quum legibus ſancitum haberent*, *Regi*, *niſi de concilii ſententia*, *externos in ſuos fines introducendi facultatem non eſſe*. His auditis ſtupor Cæſarem, omneſque qui aderant, admiratione tantæ temeritatis tenuit. Perſuadere enim ſibi potuerat nemo, ne imperatoriam quidem majeſtatem eos in officio continere valere, atque nec imminens belli periculum eoſdem impellere potuiſſe, ut controverſiarum oblviſcerentur; præcipue quum Cæſarem in conſilio ineundo occupatum viderent, quemadmodum ſuis, ac ſuorum opibus ipſos ab injuria defendat. Concilium dimittens Cæſar, ſuos omnes conſultandi cauſa ad ſe vocat. Omnes (ut in tali re ſolet) ubi omnibus precibus Pannoniorum mobilitatem, ac perfidiam ſunt execrati, potius reliquum temporis in eo, ſi fortaſſe, quid ipſis conſilii ſit, cognoſcere poſſint, quam in remedio maximo malo reperiendo conſumunt. Tandem perfidiam, audaciamque potius precibus leniendam, quam animadverſione exagitandam cenſent. At quum pluries & ſingillatim & palam in concilio Cæſar Pannonios monuiſſet, *ne ſe imparatos deprehendere magno cum periculo patiantur*, & tamen in incepto perſtarent, perpulerunt eum, ut partem

tem

tem exercitus illico, partem brevi educi juberet. Hac ſatisfactione An.1662
accepta, quid Cæſari viſum fuit, decernere non reſpuunt. Quod
eo facilius fecerunt, quo difficilius exequi poſse propter hæretico-
rum perfidiam non ignorabant. Hoc ex eo apparuit, quod eos ab
Cæſare petere non puduit, *ut palam ſe ipſorum jura violaſſe profi-
teatur, & nunquam ſe, niſi de concilii ſententia, Germanos in Pan-
nonia verſari paſſurum polliceretur, inque eam rem ſuam interponeret
fidem*. Adeo enim aſperiores, non mitiores iis rebus impetratis fa-
cti ſunt, ut tanta inſolentia placidiſſimum quoque infimi hominis
ingenium, non modo Regem accendiſset. Homines tamen, qui na-
tura mobiles ſunt, & omnem ætatem in ſeditionibus agunt, primo
hæreticorum, deinde aliorum exemplo, qui impune tantæ præſti-
tæ audaciæ gloriam tulerunt, veluti aſsuefacti, ingens flagitium
non fieri exiſtimabant, quum Regi imperare, non parere vellent.
Hujus concilii eventu documentum potius in aliud tempus rem dif-
ferendi Regibus datum eſt, quum neque vi, neque metu, neque
precibus continere ſuos in officio poſse conſtat, quam eos in-
opportunis remediis ferociores efficere. Optimum tamen o-
mnibus viſum eſset, ſi Cæſaris Conſiliarii hyberna in Pannonia,
nonniſi maxima urgente neceſſitate, conſtituere ſtatuiſsent; quo-
niam quum imminens hyeme periculum fuiſset, vel, aliis ſuperanti-
bus malis, ſeſe ab hujus rei cura avertiſsent Pannonii, vel, impo-
ſita neceſſitate, ſatius Germanorum latrocinia, quam Turcarum
incendia, & cædes pati duxiſsent. Sed quum procul ab finibus hye-
marent Turcæ, proclive plebi fuit ſeditioſis primo præbere au-
res, poſtremo in animum omnino inducere, Germanos multipli-
care fama bella, ut ſe defendendi ſpecie munitiſſima occuparent
loca. Ex his rebus providens Cæſar, quem eventum ſuis rebus ſpera-
re poſset, quum Pannonios magis, quam Turcas timere cogeretur,
atque nec propinqua ſpes eſset ad ſe Chriſtianorum Regum auxilia
recipiendi, quoniam Romæ nullo ſtudio de his rebus colloquia haberi
cognoſcebat, legatum de compoſitione ad Mehemetem Joannem Phi-
lippum Pereſium J.C. mittere ſtatuit. Hunc negotium perfecturum
ſperabat, quum Turcas opinione fœderis, & fama compoſitæ in Panno-
nia rei a propoſito deſiſtere poſſe confidebat. His compoſitis rebus, le-
gatus ex Tranſylvania venit, qui *Halium Clauſemburgum expugnare,
& Turcarum Regi imperio addere velle* docuit, *quia per Abbaſſum
ſtare ille arbitretur, quominus oppidum non loci natura, non manu mu-
nitum expugnetur: orare Cæſarem, ne hanc occaſionem Turcæ præ-
beat, ſed Retano imperet, ut oppidum Tranſylvanorum eſſe pa-
tiatur*. Addidit præterea, *eo loco rem eſſe, ut, ſi præſidia ex Tran-*

An. 1662 *ſylvaniæ oppidis deduci jubeat, pacem habeat.* Ad hæc Cæſar; *ſe dementiæ accuſari debere,* reſpondet, *ſi, quum conditionibus poſſet, bello pacem ſibi parere vellet. At quum ſe docuiſſet uſus, plus Turcarum infidelitatem, inſidiaſque, quam vim timere oportere, idcirco, ne illorum fraudi contra ſe locus ſit, eniſurum. Si legatus,* inquit, *quem Claudiopolim miſero, rediens non ſimulare pacem Turcas retulerit, haud dubie, ut Germani omnes confeſtim Tranſylvania excedant, imperabo.* His dictis, totus in legatum tantæ rei non imparem deligendum inſiſtit. Forte tunc temporis Franciſcus Sangiorgius Vacciæ Antiſtes Ciculus apud Cæſarem erat. Huic ut innatum erat, res pleniores, ac uberiores prædicare, & familiaritates eorum, qui plurimum poterant, oſtentare, non ſolum apud Abbaſſum authoritatem ſe habere dicebat, ſed Cutſchiucio, Halioque carum eſſe jactabat. Hunc Cæſar aptum eſſe arbitratur, quod ea ab ipſo jactari potius, quam vera eſſe ignorabat. Et licet ejus fidelitatem, dexteritatemque, quæ in primis legationis munus requirit, minime expertus erat, tamen, quum ipſum non fugeret, quandoque legatos eis acceptos, ad quos miſſi ſunt, ea adeptos eſſe, quæ alii licet majoris conſilii viri impetrare nequiviſſent, eum ad Abbaſſum mittit. Nec aliam facultatem, quam poſtulata cognoſcendi, & ad ſe referendi ei permittit. Sangiorgius ſuſcepto munere, magna Tranſylvanorum lætitiâ ad caſtra Claudiopolim pervenit: nam, ut Abbaſſum magna compoſitionis cupiditas tenebat, ad viam, quæ Vienna Claudiopolim ferebat, proſpectans prope ſtabat, an legatus veniret; ſerum ejus adventum exiſtimans, qui moram optatæ faciebat paci. Timebat enim ne Turcæ in Tranſylvania verſantes, auxilii ſpecie omnibus adimerent libertatem. Sangiorgius *ubi Cæſarem paci ſtudere* expoſuit, *more ſuo libera mandata de ſumma rerum eum ſibi conſtituiſſe* jactat. Quum diſputatione ad primam vigiliam perducta res eſſet, eum Abbaſſus orat, *Retano imperet, ne poſtridie oppido excedere differret.* Ille majore impudentia, qua legationem ſuſceperat, Retano Cæſaris verbis pronunciat, *prima uti luce Abbaſſo oppidum tradat.* Hujus mandati miraculum veluti obſtupefactos Retanum, alioſque Præfectos diu tenet. Paucis enim ante diebus litteræ ipſis redditæ fuerant, quibus Schedinavius eos ad defenſionem hortabatur, quod brevi auxilia eſſent ventura. Itaque, quæ commutationis voluntatis cauſa fuiſſet, non conſtabat, præcipue quum ex aliis Schedinavii litteris ipſum triduo affuturum cognoviſſent. His igitur difficultatibus Retanus circumventus, rem ad concilium defert. Major pars *periculoſum juxta, ac turpe eſſe*

dicit,

dicit, *Cæſaris juſſis non obtemperare. Satis, ſuperque fortunam periclitatos, atque extrema auſos eſſe; nequicquam nunc fortiſſimos milites morti obiicere non eſſe conſilium: melius eſſe illos ſervare, ut utilem operam alibi, quam hic inanem Cæſari præſtent.* Contra Retanus *neque detrimentoſum, neque periculoſum eſſe*, confirmabat; *quod tanta gloria inceperint, illud perficere. Nam nec periculum imminere poteſt*, inquit, *quum munitiones intra oppidum excitatæ nos tutos reddant, & hoſtes ita incautos longinqua oppugnatio fecerit, ut prope omnem remiſerint contentionem? At, ſi quis famem pertimeſcat, plurium dierum adhuc ſuppetere frumentum ſciat. Quum non modo quiſque dies, ſed momentum aliquid novi afferre poſſit, nonne interim auxilia conventura ſperare licet? An, adhibita diligentia, occultato ab oppidanis frumento nos uſuros eſſe confidere non libet? Poſtremo quomodo noſtra conſtantia Cæſaris animum offendere poteſt, quum Abbaſſum ad nos decipiendos mandata ſimulaviſſe timere juvet? Agitedum perſtate in incepto: majorem animum præbete. Ne timete, ut nec violentiæ, nec dolo contra nos locum eſſe, ſed potius illa noſtrum animum, ac ſpem auxiſſe omnes intelligant.* Conſtantiam, virtutemque hominis maximam laudant, qui Italici generis aderant. Hic, quoniam locus admonet, Joannis Aloyſii Zannii Bononienſis verba, utpote memoria, & Italo digna, prætereunda non exiſtimo. Hic poſtquam omnium, & ſingulorum egregia facinora, quæ ad alia ibi addiderant, memoravit, laudibuſque celebravit, *ſi vos a majoribus veſtris*, inquit, *ita non inſtituti eſtis, ut me inſtitutum eſſe ſcio, quod facilis omnium rerum jactura ſit, ubi gloria, atque decus ſuperfuerint illis, per me licet, ut potius aliarum rerum, quam laudis rationem habeatis. Sed ſi, ut ego, ita & vos a majoribus accepiſtis, cur etiam vitæ gloriam præferre non optatis? Hic dies, quis ex omnibus dignior ſit, ut viri, atque militis nomine appelletur, certe judicabit. Me vivo nunquam futurum ſpero, ut ante parta tot laboribus, periculiſque laus inani fortunarum metu amittatur. Omnia igne corrumpere optimum cenſeo, ne earum ſervandarum charitate de deditione cogitem.* His verbis ſive re ad æmulationem deducta, ſive ut ſe quoque timoris ſuſpicionem vitare potuiſſe appareret, tanta alacritas non modo partæ gloriæ retinendæ, ſed illius amplificandæ omnibus innata eſt, ut prima luce eruptionem facere ſtatuerent. Hanc alacritatem Retani quoque diligentia adauxit: nam ſub ſolis occaſum indicio aliquorum, ut coniicio, effoſſis quorundam domibus frumenti eſt copiam nactus. Hac re amplior animus erat, quum ſalutem, ac gloriam in ſua virtute, non in auxilii ſpe, An. 1662

An.1662 ſpe, quod rerum omnium afflictabantur inopia, conſiſtere viderent. Magna igitur ſpe, ac lætitia, adventante luce, ex oppido ſe eiiciunt. Nec magni laboris, nec magnæ contentionis res fuit, ut caſtra ab omni parte neglecta erant, opera diſturbare, repugnantes interficere alios, alios vulnerare, & incolumibus omnibus ſe in oppidum tria militaria ſigna referentes recipere. Hac re Abbaſſus, Cutſchiuciuſque ira complentur: Cutſchiucius maxime ſive ſpeculandi cauſa Sangiorgium veniſſe exiſtimaret, ſive quod nimis imperio delectaretur, Sangiorgium in catenas conjectum Temeſuariam ad Halium mittit, ut violatæ legationis injuriam ulciſci Cæſar cupiens, rem ad arma deducat. Hoc ubi Schedinavius intellexit, qui ad diem, ut exitum legationis expectaret, non venerat, cum ſex hominum millibus ad Claudiopolim caſtra movet. Et quoniam celeritati ſtudebat, breviore itinere, etſi anguſto, difficilique, quod loca montoſa excipiebant, ire cœpit. Agreſtes vero anguſtias præoccupaviſſe per exploratores certior factus, & perpaucos plurimos itinere prohibere poſſe non ignorans, iter ab his locis avertit. Quæ fuit cauſa, quare ſerius Retani opinione perveniret. Quum bidui iter abeſſet, quam latiſſime poteſt agmen ſtatuit, ut ampliorum copiarum ſpeciem præbeat. Simulque inflatius de virtute, ac numero ſuorum prædicare cœpit, *ſe viginti hominum millia, nec uſu rei militaris, nec virtutis opinione ſpernenda in armis habere*. Hoc ſtatim Tranſylvani ad Abbaſſum perferunt. Ob hanc rem conſultationes in caſtris habitæ. Tandem ut loco manerent, convenit, quum quia munitiones adverſus exteriorem hoſtem perfectæ eſſent, tum quod vix credibile eſſet, tam exiguo temporis ſpatio hominum millia viginti cogere Schedinavium potuiſſe. His conſtitutis rebus corpora curant milites, & ad pugnam, atque ad quemcumque caſum ſe parant. Mutant tamen ſubito conſilium, quum poſtridie exploratores *ingentem adventare exercitum, ſeque multitudinem ex caſtrorum tractu cognoviſſe* renunciant. His nunciatis rebus, tantus terror eorum animos occupavit, ut confeſtim, oppugnatione dimiſſa, ſimilem fugæ profectionem efficerent, ne inviti prælio rem committere cogerentur. Schedinavius ſine contentione ſub meridiem in oppidum ingreditur, munitiones inſtitutas admiratur, cunctos pro merito laudat, quod ad omnia munia ſubeunda ſuffeciſſent. Cæſarem de incredibili omnium virtute facit certiorem. Qui duplici ſtipendio gregarios donat, Præfectos ad ſuperiores ordines pro merito traducit. Retano pro tot laboribus agit gratias, atque tantæ virtutis nunquam ſe fore immemorem addit, cohortique eum præficit. At ei fructu

ſui

ſui laboris, & Cæſaris beneficiis frui non licuit, quum morbo ex tanto labore implicitum ſpiritus defeciſſet. An.1662 Vir ſane, qui non parum Italicæ virtutis gloriam apud exteras auxit nationes, & haud dubie pro morte, quam pro religione ſubivit, æternus eſt factus. Abbaſſum, Cutſchiuciumque, cognita ludificatione, tantus pudor tenuit, ut multitudinis conſpectum fugerent, nec ſe liberos ab irriſione fore intelligerent, niſi aliis rebus non minus fortiter, quam feliciter geſtis tanta aboliretur ignominia. Ab ratione vero hujus rei perficiendæ quærenda nuncius continuit, qui Acmetis mandata pertulit, *ne, induciis factis, Germanis nocerent*. Hoc idem Pereſius ad Schedinavium ſcribit, dum Conſtantinopoli Temeſuariam ad Halium Acmetis juſſu petebat, ut, induciis interim manentibus, illi communes utriuſque haberentur fines, quos utrique decernerent. Quod ubi Viennam nunciatur, veluti re omnino compoſita, ad lætitiam excitantur omnes. Cæſar (tanta eum pacis cupiditas tenebat) etſi injuſſu ſuo Pereſius ad Halium contenderat, tamen factum non improbat. Et quoniam propter ſcientiam linguæ, qua utuntur Turcæ, atque dexteritatem idoneum Meninnium quendam arbitratur, eum Temeſuariam mittit, ut Pereſio operam præſtaret. Meninnius ubi pervenit Halium cum Pereſio agere nolle reperit, hac illata cauſa, quod de concilianda pace libera non attuliſſet mandata. Sed aliquo intermiſſo temporis ſpatio Cuſſeinem legatum Viennam mittit, qui *ſummam Mehemetis Regis, ac Acmetis voluntatem eſſe doceret, ut ad otium res deducatur: ſe eorum juſſu Cæſarem oratum veniſſe, ut vel Pereſio licentiam certis conditionibus pacem firmandi permitteret, vel alium cum mandatis mitteret*. Hac legatione confirmati Cæſaris Conſiliarii, pacem prope factam habentes de celeritate remittendum exiſtimabant, ut pro tempore melius conſilium capiant. Agitur in concilio, utrum Pereſio, an alii facultatem permitterent. Poſtremo multis diebus per diſputationem conſumptis, ut Joannes Goeſius quamprimum Temeſuariam petat, ſtatuitur. Ab hoc quoque mora ad diſcedendum interponitur. Adeo fortuna, vel Germani hoſtium conſilia adjuvabant, ut ſine ſuſpicione rem in longiorem diem conferre valerent. Multis de cauſis, Turcas paci ſtudere Germani putabant, quarum ea erat præcipua, quod Acmetes ab Reningherio, ut fidem daret, petiiſſet, quia conditionibus contentus erat. Non cogitabant, Acmetem tum fidem accipere velle demonſtraviſſe; ubi hanc poteſtatem Reningherio ab Cæſare non eſſe factam compererat, ut hac re penitus belli timorem ſufferret; ut accidit. Nam Cæſar ita fidem Turcis præſtitit, ut non modo

æquo

An. 1662 æquo animo de parandis iis, quæ ad bellum uſui forent, atque de auxiliis accerſendis remitteret, ſed etiam quatuor veteranorum cohortes Philippo Hiſpaniæ Regi auxilio contra Luſitanos mitteret, quæ ejus exercitus robur erant. Gaudebant omnes, quod eo tempore, quo res Chriſtianorum propter diſſenſiones in anguſtiis erat, eam mentem barbaris Deus dediſſet: non enim niſi duriſſimus expectari poterat eventus, quum aliæ ex aliis belli cauſæ orirentur. Carolus Britanniæ Rex, ſeditionibus extinctis, Londini concilium indixerat, ut omnes in ſua verba ad ſacramentum adigeret. Ob hanc cauſam undique gaviſum frequentes Regum conveniunt legati. Philippus Hiſpaniæ Rex Bettevillam, Ludovicus Rex Gallorum Comitem Eſteradeſium legatos mittunt. Horum familiares quum Sveciæ Regis legato urbem primo ingredienti obviam honoris cauſa proceſſiſſent, prope ejus currum ſuccedere conantur. Studium conficiendi negotii rem ad æmulationem deducit, adeo ut ab contumeliis ad vim, atque ad arma verſi, alii ſocios cogerent, ſuos, ut ſe fortiter gererent, hortarentur, pars gladiis rem gererent, nonnulli Regis fidem implorarent, unuſquiſque, quantum virtute valebat, ut rem obtineret, niteretur. Atrox igitur aderat certamen, quod, quum in omnium conſpectu res gereretur, nec turpiter, nec ſtrenue factum celari poterat. Tamen plebis ope, ſive quia apud eam largiter poſſent Hiſpani, ſive quia innato odio adverſus Gallos concitabatur, illi per vim rem conſequuntur. Nonnulli ex Gallis, in iis auriga, interfecti, complures vulnerati. Omnes concidiſſent, niſi fugæ facultatem Rex eis tribuiſſet. Inulti tamen non abierunt, quum ex Hiſpanis duo interficerentur, aliique vulnerarentur. Ubi hæc Ludovico nunciata ſunt, tantum ei infamiæ ſarciendæ ſtudium innatum eſt, ut rem ad arma deducere exoptaret. Dimiſſo igitur domum Philippi legato, litteras ad Ebroduni Antiſtitem ſuum legatum Madritum miſit, ut Regem doceat, *ſummum ſuum eſſe dolorem ob tot, tantaſque ſibi illatas injurias: ſummamque ſe cupidinem belli ſuſcipiendi tenere, ut infamiæ vitaret notam, & intelligere omnes valerent, quid conſilio poſſit. Hæc tamen mandata dediſſe, ut ſi ſibi ſatisfieri cognoſcat, quidquam novi non aggrediatur*. His acceptis mandatis Antiſtes Philippum convenit. Quem quum apud ſe conſpexiſſet Philippus, loqui conantem prohibens, *quid ſecum agere vellet non ignorare* dicit. *Genero renunciaret, ſeſe paratum eſſe, æquis conditionibus ipſi ſatisfacere. Nam ſi juvenis*, inquit, *rem ad arma deducere maxime ſtudeat, ſenis ab hac re animus alienus ſit, oportet. Quum igitur experientia, quæ incommoda, quantaque mala ex bello oriantur,* co-

cognoviſſem, *exemplo Regi juveni*, *neceſſarioque eſſe*, *eumque docere ſtatui*, *quoad fieri poſſit*, *nunquam alicui Chriſtianorum ſanguine abûtendum eſſe*. Hæc, ut memoria digna, ſine laude a nobis prætereunda viſa non ſunt. Bettevillam ergo accerſens Philippus, factum improbavit, & de ſuorum conſilio, ut ſimile in reliquum tempus accidere nequiret, nunquam eum locum ſuum petere legatum jubet, quo Ludovici legatum conventurum eſſe cognoſceret. His compoſitis rebus, unuſquiſque in communis hoſtis perniciem bellum communi conſenſu gerendum eſſe judicabat, ſed cito tanta deiiciuntur ſpe omnes, quum nova belli cauſa, quę nõ modo Italiam, ſed Europam ſollicitam diu habuit, coorta eſſet. Ludovicus magno repulſæ dolore adductus, quam omnium rerum ab Alexandro Pontifice Maximo ferre dicebat, legatum Ducem Crechium Romam mittit, eo conſilio, ut nonnulli conjectabant, ut ad diſſenſionem rem deduceret vir, qui elato animo erat, ſi ad nutum quid factum non eſſet. Hic ut Romam venit, Alexandri conſanguineos, ut moris eſt, ſe aditurum negat: tandem Ludovici juſſu eos convenire coactus, gratiam ea re ab Alexandro inire cupiebat. Res quum ex ſententia non ceſſiſſet, quod ſibi gratia relata non ſit, queſtus eſſe dicitur. Hoc protinus ab uno ex eis, qui ſermoni interfuerant, Mario Chiſio Alexandri fratri enunciatur. Qui hominis ſuperbia permotus, *id ſibi mirum non videri* dicit, *quum eum arrogantiſſime ſemper ſe geſſiſſe non ignoraret*. Hoc quoque ad Crechium perfertur; quæ fuit cauſa, quare uterque utrique invideret, ac malediceret. Hoc rerum ſtatu quidam Galli noctu urbem pervagantes, in Cyrneos milites incidunt, a quibus interrogati, qui nam eſſent, ut maximam arrogantiam ſibi ſumpſerant, maximam ſibi illatam contumeliam rati, eam armis ulciſcendi conſilium capiunt. Se defendunt Cyrnei, tandem territi, quod fortiter ſe gerere Gallos videbant, quodque quantus eorum numerus eſſet æſtimare non poterant, negotio deficiunt, ac fugæ ſe mandant. Rem ubi fama divulgavit, omnium conviciis Cyrnei exagitati corripiebantur. Idcirco occaſionem, qua metus, infamiæque delerent notam, quærentibus opportune accidere viſum eſt, quod Galli etiam interdiu eos contumelioſis vocibus proſequerentur: nam elati ſtudio Cyrnei diſtrictis gladiis in eos impetum faciunt. Negotio non deſunt Galli, impetum excipiunt, in eos ſe eiiciunt, ultimaque audere conantur. At Cyrnei odio, & ira pugnantes ſuorum frequentibus confirmantur auxiliis. Et quia hoc fortiter facto hominum opinionem tenere poſſe arbitrantur, nulla res ad eorum virtutem deeſt. Hoc ubi cognoverunt Galli, unam ſalutis An.1662

An.1662 ſpem in fuga conſiſtere intelligentes, Crechii domum ſe recipiunt: tanti enim Regis dignitate eum locum ſibi tutum fore judicabant. At quæ res recenti ira excæcatos mortales ab ultione continere valet? Cyrnei enim manu facta cum aliis, qui communem ulciſci cupiebant injuriam, compoſitis ordinibus eo contendentes, nullum ſpatium eis relinquunt, ut ſeſe ex timore colligerent. Ad tumultum, etſi rem, multoque minus cauſam perſpexerat, convenit Crechius. Sed quum ex feneſtra ſedandi motus cauſa ſe oſtendiſſet, parumque abſuiſſet, quin vulneraretur, ſuam ſalutem, ac Regis dignitatem iratis militibus, ac fortunæ committere turpe exiſtimans, in abditam ædium partem ſe confert. Crechii tamen ſervi, familiareſque omnes arma capiunt, ac portam magno conatu defendunt. Cyrnei contra conari, maxima vi uti, nihil intentatum relinquere, ut in domum irrumpant. Tandem loco confiſi a porta eos ſubmovent Galli. Tum veluti explorata victoria, quod maximam temeritatem, audaciamque præbuiſſent, ſuſceptam rem dimittunt Cyrnei. Forte dum præſidium repetunt, in currum, quo Crechii uxor vehebatur, incidunt: quæ utpote rerum, quæ acciderant, omnino ignara nullo præſidio ibat. Tum hac oblata occaſione, Cyrnei ut omne auderent nefas, currum tanto impetu de improviſo adoriuntur, ut partim rei novitate, partim indignitate permotæ unum remedium in mentem veniret, ſi Rainaldi Eſtenſis Cardinalis domum ſe reciperet; propterea eo, quam poſſet effuſiſſimis habenis, aurigam contendere jubet. Conſilium tamen ſuis incruentis perficere non potuit, etſi non longe aberat domus. Sedato interim tumultu, magno armatorum præſidio, ac Rainaldi authoritate incolumis domum repetere potuit. Quibus rebus tanta ira exarſit is, quem per ſe elato animo eſſe conſtabat, ut nihil non auſus eſſet, ſi ſuſceptum perficiendi ei facultas fuiſſet. Subito igitur homines cogere, atque eis arma attribuere, præſidium domi, ſtationem ante portam ponere, amicorum conſilium advocare, ut de rerum eventu conſulat. Ulteriuſque ventum foret, ni amici perſuaſiſſent, *ut in longiorem diem conſilia transferret: tum aliorum juſſu ne, an caſu id accidiſſet, appariturum. Et licet ſuſpicandum eſſet, Mario Chiſio, ac Laurentio Imperiali Cardinali, atq; urbis Prætore inconſultis eo temeritatis gregarios non potuiſſe procedere, tamen, quum non raro, quæ vera primo aſpectu viſa eſſent, ea poſtea falſa comperta ſint, rem ſuæ prudentiæ non eſſe, non exploratis omnibus rem ſuſcipere, quum temporis ſpatio intermiſſo omnia eſſet perſpecturus.* Hoc conſilio adductus Crechius, ultione ſuperſedit. Sed ubi milites omnes, qui conſilii principes fuerant

Digitized by Google

rant, perfugiſſe, reliquos ſerius in vincula conjectos comperit, ut volentibus fugæ poteſtas non defuiſſet, non dubitandū ſibi ſtatuit, quin tantum animadverſionis ſpeciem dare conſilium eſſet. Alexandri familiares, conſanguineique, atq; Imperialis concilia frequentes habēt; & quoniam ſe inconſultis rem eveniſſe profitebantur, nihil de Crechio ſatisfaciendo cogitabant. Flavius Chiſius Cardinalis, impetrata ab Alexandro poteſtate, Crechium conveniens, *ne quod caſu accidiſſet, id graviter ferret*, orat. *Non eſſe tam prudentem mortalem, quin ſæpe fallatur, neque poſſe tantum de rerum eventu præſentire, quin aliquid inopinatum eveniat. Non eſſe homini omnia deprecandi facultatem, ut fortuna, quæ in omnibus dominari velit, aliquos non afferat caſus. Se non ignorare, quod fortiſſimi viri publicas ulciſci injurias ſit. At etiam conſtare omnibus, prudentis eſſe rem æſtimare, priuſquam eo procederetur, unde nullo decore revocari poſſet. Non eſſe hanc virtutem tam propius vitio, quam illam, quum altera facilius ſuarum rerum ſtudio in ſævitiam degenerare ſoleat, altera vero non niſi moderatio, ac manſuetudo videri poſſit. Sineret ergo Alexandrum reorum pœna ipſius dignitati conſulere*. Idem perſuadere conatur Chriſtina Alexandra Sveciæ Regina, quæ illata cauſa, quod Crechii uxor non optima utebatur valetudine, eum convenit. Sed omnia fruſtra fuere; quoniam paucos commoratus dies, nullum ſibi præſidium Romæ eſſe profeſſus, quum inimicitias cum eis gereret, qui eo tempore imperii ſummam obtinebant, non magnis itineribus in Hetruriam contendit, atque Sanquirici conſedit, quia id oppidum non incommodam habet ſtationem. Totus tamen mente, animoque incumbebat, qua ratione ulciſci poſſet, atque Ludovicum incenderet. Ludovicus ubi tantam accepit rem, fortuito omnia accidiſſe ratus, nihil ſibi ſuſcipiendum cogitabat. Sed ſimulac aliquibus poſt diebus non abeſſe ſuſpicionem nunciatur, quia ex compoſito in Crechii injuria ipſe deſpectus eſſet, tanta Regem juvenem iracundia invadit, ut major dici, aut excogitari non poſſet. Itaque nullum ſibi tempus ad rem cognoſcendum relinquens, Cœlium Piccolomineum Alexandri legatum ſuis finibus excedere cogit. Alexander, quum nunquam primo ſibi perſuadere potuiſſet, Crechii audaciam diſcordiarum ſemen futuram, nihil initio, quum facile poterat, de incendio reſtinguendo cogitat. Litteris enim ad Ludovicum, Crechiumque miſſis, rem compoſiturum confidebat. Ad Ludovicum igitur ſcribens, Crechii factum, ſuperbiamque deteſtatur, *quod quum de ſontibus quæſtio haberetur, & Cyrneorum cohors miſſionis pœnam tuliſſet, ille urbe eo conſilio exceſſiſset, ut, quantum in ſe eſset,* An. 1662

An.1662 *ipſius obſidendo aures, Chriſtianum Regem in Pontificem Maximum incenderet. Ejus temeritatis teſtimonium eſse, quod litteris ſuis accitus, non modo redire, ſed ne reſcribere quidem voluiſset.* Eadem Chriſtinæ Alexandræ litterarum ſententia fuit, ſolum addidit, *ſi Crechium Romam redire juberet, fore ut magnæ controverſiæ non ſine maximo ipſius decore tollerentur, quum ſumma in ipſum Alexandri voluntas eſſet.* Chriſtinam Alexandram ut authoritatem apud Ludovicum habere conſtabat, magna ſpes cunctos tenet, partim ejus precibus, partim Ludovici pietate nunquam armorum fore cauſam. Ubi vero tota Gallia delectus haberi, & omnia, quæ ad bellum uſui eſſent, parari intellexerunt, tantus inceſſit timor, ut jam adventare Gallos arbitrarentur. Ingentem terrorem etiam nuncius fecit, quod ſumma ope ad Philippo perſuadendum idem niteretur, ut exercitui per ſuos fines iter daret. Momentum tamen ſpei apparebat, quod occultum nemini erat, ſummam eſſe, & fuiſſe quum omnium Auſtriaci generis, tum maxime Philippi in Romanum Pontificem voluntatem, egregiam fidem, atque maximum ſtudium, quum, ut ei auſcultarent, provinciarum jacturas facere non dubitaviſſent: proinde nunquam illum Ludovico petenti id daturum eſſe nonnulli ſperabant, præcipue quum nihil certi Ludovici legato reſpondiſſe nunciaretur. Conatus eſt aliis rationibus Alexander ad ſtudium ſui Crechium perducere, ſed ſemper fruſtra: nam Roſpiglioſus, ac Cæſar Raſponus ad eum miſſi, ubi reverſi ſunt, ardere ipſum contumelia accepta renunciant, adeo ut ſicut magna lætitia, quod Imperialis magiſtratu abiiſſet, affectus eſſet, ita maxima ira exarderet, quod Picenum ei tanquam in præmium decretum fuiſſet. Ideoque diutius non expectandum ſtatuit, ſed juſtis itineribus Lucam proficiſcitur, inde paucos poſt dies Liburnum, ubi navem conſcendens, paucis poſt diebus Galliam attingit. Diſcedens has dediſſe conditiones dicitur. Si pacem cum Ludovico Alexander velit, eam ineundam eſſe rationem, qua tuto in reliquum tempus Regum legati Romæ eſſe poſſint. Hujus rei aliam non poſſe eſſe conditionem, quam ſi ſine Cardinalium ſuffragio quid gravius in legatos ſtatuendi Alexandro poteſtas non ſit. Præſidia ſextili ab hinc menſe Romæ diſpoſita deducantur. Marius frater exulatum ſe Senas recipiat. Flavius nepos Ludovicum coram conveniat, atque cum eo de ſua, ac ſuorum ſalute agat. Imperialis dignitatem deponere cogatur. Omnia hæc, ut memoriæ mandentur, in marmore inſcribantur. Qui Gallicis faviſſent rebus, ii in antiquum gratiæ, dignitatiſque locum reſtituantur. Clomacum Eſtenſibus, Caſtrum Farneſiis reddatur. Harum conditio-

ditionum iniquitate perſpecta, non mediocris omnium perturbatio facta eſt. Alexander ex omnibus maxime permovetur, adeo ut indicto Cardinalium concilio orationem adverſus tantam audaciam habuiſſe diceretur. *Se nec belli cauſam cuiquam tribui paſſum eſſe, nec fœdus unquam rumpere cupiviſſe. Ubi deinde Crechii audacia, atque Cyrneorum amentia res turbaviſſet, etſi nihil ad ſe pertineret facinus, omnia expertum eſſe, nihil intentatum reliquiſſe, ut ad otium res deduceretur: ſummo ſtudio pacem petiiſſe: de hac re legatos, ac litteras ad Crechium, Ludovicumque miſiſſe. Nunc quoniam omnia periclitatus eſſet, nihil, quod ſua non patiatur dignitas, eſſe commiſſurum. Se divinam imploraviſſe opem; haud dubium eſſe, Deum ſuam defenſurum cauſam. Omnia perpeti, etiam mortem ſubire paratum eſſe, quum aliam ſuo muneri ſatisfaciendi rationem non eſſe videat. Hæc eo majore lætitia devoraturum eſſe incommoda, quo majorem dolorem Ludovici conſilium eſſet ſibi allaturum, quum bellum Geneva Romam transferat, Catholicoſque in eorum Patris injuria deſpiciat. Id certe eveniſſe, quod non ipſe, non alii, non hæretici ipſi expectare, aut ſperare potuiſſent. Orare Deum, ut ejus voluntatis commutatio fiat, quum nonniſi iniquo animo ferre poſſet, ut Crechio Ludovici obſidenti aures ea fides fiat, quæ Vantelletio facta non fuit: qui ejus etiam legatus quum contumeliis, injuriiſque uſque ad vincula, & verbera ab Chriſtiani nominis hoſte, ab ignaviſſimo Turca affectus eſſet, tamen de hac re ne queſtus quidem fuit. In Pontificem Maximum ſolum invehi, in Chriſtianos inſontes animadvertere Ludovicum cupere.* Poſtquam finem dicendi fecit, ab nonnullis Cardinalibus confirmatur, ne animo deficiat, neu iniquiſſimis conditionibus aures præbeat. Aliquibus tamen poſt diebus, patri alliciendum ſemper filium eſſe conſiderans, ſuas vices Flavio nepoti in Galliam proficiſcenti demandare, Imperialique decretam provinciam adimere contentum eſſe dicit. Quis his conditionibus Regi non ſatisfactum perſuadere ſibi poterat? hac ſpe tamen omnes dejecti ſunt, ubi declarari oportere Ludovicus confirmat, Imperialem exulatum Januam miſſum eſſe; quod fieri ab ſe poſſe Alexander omnino negavit, quum tanto viro optime de ſe, & Chriſtiana Republica merito injuſte notam hanc nollet inurere. Quum in his anguſtiis res eſſet, ac belli timor quum Ludovici affirmatione, tum apparatibus in dies augeretur, Alexander in eadem pacis ſententia permanebat. Nactus ergo occaſionem, quod Ludovicus ab Carolo Britanniæ Rege Dunquerquam urbem redemiſſet, atque hæreticorum templa evertiſſet, Ædeſque Sacras, ubi catholico ritu ad aras fieret, excitaſſet, ei gratias agere, An.1662

re,

An.1662 re, ac æterna laude ob tot, tantaque in religionem merita dignum eſſe ſuis litteris pronunciare conſtituit. Re vera magnam ſibi peperit gloriam Ludovicus ea re, quæ ſpecimen omnibus quum animi altitudinis, tum pietatis tunc dedit, quam poſtea mirati ſunt. Litteras tamen vix ſummis Aloyſii Grimani precibus perlegit. Quod ſimulatque cognovit Alexander, Cardinales monendi conſilium capit (tanta ipſi moderatio inerat) ut publico Sacri Senatus conſilio de pace colenda Ludovicum hortarentur. Litteræ igitur in hanc ſententiam miſſæ ſunt, *ne ſe tam difficilem prębendo, ab ſuis majoribus, quorum plurima ſint in Romanum Pontificem merita, degeneraret. Omnia fortuito accidiſſe conſtare: tanti ſceleris autbores pœnas dediſſe. Imperialem conſilii alienum fuiſſe, neque non minus prudentem, ac magni conſilii, quam expertæ probitatis virum id audere potuiſſe. Conſideraret, ipſius non eſſe dignitatis, tantum ſuæ tribuere opinioni, ut ab inſontibus pœnas repetere velit. Se omnes etiam pro eo omnibus precibus deprecari, quod ſibi perſuaſiſſent, pro ipſius clementia dignos eſſe, ut ſuæ audiantur preces*. At hæc quoque res, ut aliæ prius, fruſtra fuit. Nam aſpere in Alexandrum Sacro Senatui reſcripſit. Quæ litteræ metum Romæ fecere; multo vero majorem terrorem triſtis nuncius præbuit, quod Januenſes Ludovico ſtuderent, quum ejus exercitui per ſuos fines iter dediſſent. De Hiſpanis enim ſubdubitabat Ludovicus, quod Luſitanici belli ſimulatione peditatus auxilia ex Germania accerſebant, quodque tota Italia delectus habebant. Re vera Philippo bellum in Italia geri non placebat, licet Ludovico deprecatori, ut per Inſubriam iter agat exercitus, conceſſurum confirmaverat. Ubi igitur per Allobrogum, ac Ligurum fines ſena peditum millia, ac equitum millia bina pervenerunt, Ranutius Farneſius Parmæ Dux eos oppidis recipit, ac rebus omnibus juvat. Petentibus vero Gallis, ut Mutina quoque copiæ reciperentur, Franciſci Eſtenſis uxor, quæ, viro mortuo, propter ætatem filii in Principatus procuratione erat, vim verita, ſi ultro id eis non daret, ut pauci mœnibus reciperentur, conceſſit. Hæc non ita ſtudioſe, atque vir Gallicis favebat rebus. Alexandro etſi rebus omnibus bellum haud dubium haberi videbatur, ſibi tamen perſuadere non poterat, Ludovicum ſuorum majorum exempla non eſſe æmulaturum. Illi enim alias magna cum laude auxilia Romam miſerant, alias bellum pro Romano Pontifice ſuſceperant, alias illatum ei defenderant, ſemperque eum ab injuria prohibuerant. Eandem reliqui opinionem habebant; propterea non immerito Turena longe clariſſimus ex omnibus Gallis Dux Ludovico, an alacri,

for-

fortique animo eſſet bellum geſturus, quum imperii ſummam ipſi permiſerit, interroganti, reſpondiſſe dicitur, *neque ſe, neque alios in animum inducere poſſe filium optime ſemper de patre meritum, nunc contra eundem arma ferri pati poſſe. Quod ſi vero id vellet, imperium minime ſibi eſſe permiſſurum*. Erat Turena hæreticorum erroribus imbutus, atque nihil gratius ipſi eſſe poterat, quam in Romanum Pontificem iram evomere, qui tandem, Emanuele Theodoſio Bulleonio adjuvante, Catholicam veritatem amplexus eſt. Maxima ex omnibus Alexandri perturbatio facta eſt, ubi liber in Gallia editus eſt, qui Ludovicum adverſus Pontificem Maximum bellum gerere, & ærario parcere poſſe demonſtrabat, quum Sacrarum Ædium bona publicaret. Magnopere enim, ne levi ex cauſa, ut aliquando evenit, religioni detrimentum irrogaretur, timebat. Perturbatio tamen in lætitiam vertit, quum conſilium Ludovicum improbaviſſe, ac authorem conquiri juſſiſſe, ut pœnas ab eo repeteret, nunciatum fuit. At neque vafrorum hominum vana ſuſpicio abſuit, quin de Regis conſilio id perditus homo auſus eſſet, ut, ſi ab eo non alienos cognoviſſet Gallorum animos, illud exequeretur. Ludovicus præterea ut ſuſpicionem vitaret, majore, quam antea, ſtudio Pontificis Maximi mandata exequenda curat, ut ii, qui Janſenii errores in perniciem certi, indubitatique Romanorum Pontificum omnium judicii ſequebantur, pœnas luerent. Item librum, qui inter alia, mundum ab æterno fuiſſe demonſtrabat, palam carnificis manu comburi jubet, ſeverioreſque pœnas hæreticis iis, qui Præadamitæ dicebantur, conſtituit. Quibus rebus confiſo Alexandro priſtina confirmatur opinio, nunquam Ludovicum bellum ſibi inferre in animo habuiſſe. Velutque jam pace firmata, non modo delectus, qui in urbe habebantur, intermitti jubet, verum etiam copiarum partem dimittit, quamquam nunc earum uſus erat, quod Galli in Italia verſabantur. Alexander igitur, ubi ſe illius belli cura exoneratum vidit, totus mente, animoque in Cæſari ſubveniendum inſiſtere cupit. Dum hæc Romæ geruntur, Reningherius quum nihil de apparatibus Acmetem remittere cognoſceret, ad Cæſarem ſcribit, *Acmetem bellum Pannoniis inferre velle, nec alio conſilio delectus haberi, atque pontes in Danubio fieri*. Litteris etſi Conſiliarii fidem omnino non fecerant, quod apparatus in Venetorum perniciem pertinere exiſtimabant, tamen Cæſari conſilium dant, ut Joanni Philippo Scenbornio Maguntinorum Archiepiſcopo ſcriberet, *Turcarum conſilia haud dubia nunc eſſe. Jam pontes prope inſtituiſſe, quo expeditius iter faciant. Diſſenſionum tam ne-* An. 1662

ceſ-

An.1662 *ceſsario tempore oblivisceretur, & id ſibi petenti daret, ut commune totius Germaniæ concilium Ratisbonæ indiceret. Niſi quid auxilii in Germanis ſit, Pannoniis ſuccumbendum eſse.* Litteris permotus Scenbornius edictum proponi jubet, qua die Regulorum, Civitatumque legationes Ratisbonæ eſſe vellet. Ipſe Maguntia Herbipolim diſcedit, ut ſtatuto tempore ante alios Ratisbonam perveniat. Cæſar vero ut rem in anguſtiis eſſe demonſtraret, ſupplementi nomine in veteranorum cohortes modo conſcriptos diſtribuit, atque delectum edicit.

Finis Libri Tertii.

DE

Digitized by Google

An.1663

DE BELLO PANNONICO

Liber Primus.

USQUE adhuc bellum per intermiſſiones geſtum eſt, quia Turcæ vel majoribus aſtricti rebus, vel nondum omnibus comparatis, ſemper bellum ſumere velle negabant, etſi ſpecioſa illata cauſa oppida obſidebant, expugnabantque. Nunc vero velut eos tot dilationum pœnituiſſet, eo magis uno tenore rem gerere cupiebant, quo facilius negotium confecturos ſperabant. Sic tanto apparatu bellum cœptum, ut ne hyemis quidem tempori parcerent. Jam Acmetes nihil ſimulabat, ut antea, ſed facta verbis magnificis adaugebat, ut hoſtem perterritum ageret. Omnibus vaſtitatem illaturum minabatur; Cæſarique rupti fœderis pœnitendum eſſe dicebat. Cæſarem ergo etſi etiamtum pacis ſpes tenebat, tamen quum quotidie de majoribus Turcarum apparatibus acciperet, Guidonem Ubaldum Tunnium Salisburgenſium Archiepiſcopum Ratisbonam legatum mittendi conſilium capit. Hunc Civitatibus, ac Germaniæ Regulis acceptum, & Regulum ipſum, quum dexteritate, tum in ſe fide aptum ad munus fore conjectabat. Qui regio prope cultu tribus ante menſibus, quam reliqui convenirent legati, (tanta Cæſari, Chriſtianiſq; omnibus ſuam præſtandi operam ipſi cupiditas inerat) Ratisbonam contendit. Eodem brevi Scenbornius Maguntinorum Antiſtes, nonnullique alii veniunt. Hac oblata facultate Tunnius,

An. 1663 *ne deſides tempus conſumerent*, omnes orat: *poſſe priuſquam convenirent legationes de rerum eventu conſultari. Rem magni momenti, magnam requirere diligentiam.* His rebus permoti, ut conſultationes haberentur, reliqui conſenſere. Scenbornius primus rogatus ſententiam, *ſibi ſemper placuiſſe* demonſtrat, *bellum a Pannonia arceri, ne, ſi res aliquem reciperet caſum, cito in Germaniam Turcæ eſſent advolaturi. Se ſummos Duces, alioſque magnos viros memorantes audiviſſe, præſtare in alienis, quam ſuis finibus bellum geri. etiamſi plus pecuniæ profundere oporteret: nam, quum æſtimatio fiat, majorem pecuniæ vim ex præda eſſent redacturi. Præterea ſi exercitum in alienis finibus deleri contigerit, non prædam agitandi, non urbes expugnandi, quæ longe abſint, Turcis facultatem eſſe futuram, & ſine publico diſcrimine tempus ad parandum de integro bellum interceſſurum. His rebus omnibus, & aliis de cauſis, quoniam pacem habere non poſſent, & bellum domi conflari nollent, auxilia, quæ Cæſari eſſent decreturi, Venetis mitterent, antequam in Pannoniam Turcæ pervenerint: ut ab ea parte urgentibus Venetis, Turcæ potius pro ſua ſalute, quam de orbis terrarum imperio pugnare cogerentur. Duodecim veteranorum millia ad conſilium hoc perficiendum ſufficere: alia ratione vix millia hominum quinquaginta ſatis eſſe.* Non aſpernanda ſententia omnibus viſa eſt. Solum, quod nonnulli bellum neceſſario ſumere exoptabant, iniquo animo pecuniam in ope Venetis ferenda profundebant, quando in pacis ſpe eſſe videbantur. Ob hanc cauſam res ad Cæſarem delata eſt. Qui non omnino pacis ſpe lapſus, ſubſidia Venetis mittendo, certam belli occaſionem dare nolens, conſilium non probat. Cæterum reſponſum ad Tunnium ſero perlatum eſt, quod Cæſar in exequiis Gulielmi Leopoldi patrui, & Ferdinandi Caroli conſanguinei curandis occupatus, juſtoque dolore affectus, quod ad temporis calamitates egregiorum virorum mors acceſſiſſet, conſilium ſtatim inire nequivit. Hoc reſponſo perlato, ut jam legationes convenerant, Scenbornius *quare concilium convocaviſſet* exponit. *Turcas cum exercitu ſupra caput eſſe, nec procul abeſſe, niſi conſilia antevenirent, quin ii Pannonia devicta in Germaniam contendant. Haberent tanti periculi rationem, atque illud darent conſilium, quod ipſi ſuæ ſalutis cauſa fieri optimum judicarent. Auxilia Pannoniis, Cæſarique decernendo, non tam eis, quam ſibimetipſis conſulerent, quum & ipſos in periculum venire neceſſe eſſet, quando illi ſuccubuiſſent. Orare igitur, ne privata gratia apud ipſos plus valeat, quam publicum bonum.* Ubi ab omnibus reſponſum eſt, *brevi & ipſos, & omnes judicaturos*

turos ſe ſperare, nihil ſibi ad prudentiam, ac ad ſtudium in publicam cauſam deeſſe, certiore ſpe Guido Ubaldus Tunnius in eandem ſententiam, atque Scenbornius, loquitur, & *Cæſaris in omnes non minus optimam voluntatem, quam tenuitatem demonſtrat. Eum tot bellis confectum eſſe. Ejus opes comminutas. Niſi quid auxilii in ipſis ſit, Pannonios ab injuria tutandi non eſſe poteſtatem. Obſecrare, ne obliviſcantur, Pannoniorum, atque Germanorum unam eſſe cauſam; idcirco illorum periculum pro ſuo defendendum eſſe videri*. His dictis unuſquiſque ſigillatim *& Pannoniorum periculum ſe non neglecturum, & Cæſari morem geſturum* profitetur. *Perſpici nihilominus oportere, utrum eadem mens aliis ſit*. Poſtero die *conſilium ineundum eſſe* Scenbornius dicit, *primo quemadmodũ Turcarum cupiditati occurratur, deinde quo pacto pax ordinum in Germania ſit, poſtremo ut, quod ſuperioribus conciliis definitum non ſit, nunc definiatur. De his omnibus agendum eſſe. Cæterum ante omnia de belli ratione cogitandum, quoniam, quum maximum impendat periculum, nulla ratione illius rei conſilium in longiorem diem conferatur. Poſſe de aliis rebus commodiſſime colloquia haberi, poſtquam, omnibus ad bellum comparatis, ab timore vacui ſint*. Probant hoc alii, alii improbant. *De ratione enim tum belli agere inutile eſſe* dicebant, *quum quod nullum capi poſſet conſilium, ubi, quæ Pannoniorum mens, quæ Cæſaris vires eſſent, ignorarent, tum quod, iniquas ne, an æquas conditiones Goeſio Halius tuliſſet, non cognoviſſent. Non de bello inferendo, ſed de illato defendendo agi. Quomodo ergo, ubi hoſtium conſilia, apparatus, rationeſque non exploraviſſent, decernere quid poſſent? Tempore rationes, conſiliaque ab hoſtibus mutari. Cur inanem luderent operam, illud conſilium capiendo, quod explicare non poſſent? Aut quid tempus nihil diſceptantes tererent, quum magnæ interim poſſent tolli controverſiæ? Omnibus conſtare, ubi unum Germanorum omnium conſilium, rebus compoſitis, effectum ſit, majore vi, & certiore ſpe duci bellum poſſe. Nonnullos, quod indebite vexentur, ac grave tributum pendant, queri; debere idcirco prius civibus, quam externis conſuli. Id & naturam omnibus præſcripſiſſe, & fieri omnino ſe velle. Se miſerrimis civibus, non Tranſylvanis, Pannoniiſque ſubvenire obſtrictos eſſe. His auxilio eſſe, & non eſſe poſſent; at illorum injurias omnino curare neceſſe haberent. Summæ dementiæ eſſe ita aliorum charitate permoveri, ut ſe perditum eant. Suſpicandum eſſe, Cæſarem, ubi rem, quæ ad ſe pertinet, conſecutus ſit, nihil de aliis rebus, in quibus Germaniæ quies conſtat, cogitaturum. Satis eſſe, ſi Pannoniis auxilia mittantur, quandocumque de ea* An. 1663

An.1663 *re agatur. At periculum eſse, ne id fieri tenuitate poſſit.* Alii autem, qui Cæſari erant amici, quique imminenti periculo permoti opem Pannoniis ferre cupiebant, ſimul hoc audierunt, elati ſtudio eis reſiſtunt. *Eo ne cavillationes pertinebant? Huc trahendo tempus reſpiciebatis, ut, ſi pax fieret, exiſtimationem omnium teneatis, dicendo, vos ſuis temporibus auxilia fuiſse miſsuros, ſi vero bellum trahi oporteat, inopiam excuſantes ſubvenire ei recuſetis? Deus, ut illud poſtremo diceretis, ex quo veſtra potuit cognoſci voluntas, effecit. O optimum conſilium! gloriamini, niſi pudeat, quod vobis patria libertatem debeat, quod vos eam metu liberaveritis, quod vobis ejus defendendæ cura fuiſset, quum nihil aliud in re ſit, quam per vos non ſtare, quominus communis hoſtis victorias ea deſes ſpectet, ac quodammodo Pannoniorum cæde gaudeat. Nihil ne Germaniæ, Pannonios ab injuria tutari, intereſt? Omittimus, quod ad gloriam Germani nominis pertineat, nos ſolos maxime ex omnibus Chriſtianis communi hoſti officiendi conſilia inire: nam fruſtra vos gloriæ ſtudio ad bellum incitare cupimus, quos ne neceſſitas quidem, non libertatis, non religionis periculum excitat. Statuite, quid vobis videtur. Decernite, quæ propoſita ſunt. Componite alias controverſias, ſi modo hæc non fruſtra futura ſint, ſi modo veſtri conſilii fructu frui poſſe ſperaveritis. Hoc ubi per orbem terrarum evulgatum ſit conſilium, quis dubitabit, apud Turcas gaudium, apud Chriſtianos ingentem facturum luctum, quum res, quæ commodius in aliud tempus transferrentur, vos curare, earum vero obliviſci animadvertant, quibus quam ocyſſime occurrendum eſſet. Quis credet, vivere in pectoribus veſtris ſtudium Patriæ, ſtudium religionis, & non potius merito ſibi perſuaſerint, vos Turcis cupere, ac Chriſtianæ Reipublicæ excidio gaudere? Nunc veſtrum ingenium demonſtrate, ſi infamiam vitare cupiatis. Nunc auxilia decernite, ſi utilia eſſe exoptetis. Nequaquam erit receptura vires Chriſtiana res, ubi Turcæ rebus geſtis ferociores erunt. Hoc momentum temporis, ſi illico poſthabitis omnibus rem ſuſcipiatis, certe judicabit, utrum laude, an ignominia digni ſitis.* His, & aliis jactatis, Civitatum legatos in incepto perſtare puduit. Sed ubi paucis poſt diebus de re agi cœptum eſt, orant, atque obſecrant, *ut ſui miſererentur, & de omnibus eodem tempore agerent. Non eſſe impedimenti loco de aliis negotiis cogitare, quominus trahendi belli ratio quæratur. Tum agitedum,* dicunt Regulorum legati, *perſeverate in incepto. Evertite Rempublicam; prodite patriam; tradite liberos, conjugeſque Turcis ad ſupplicium; deſerite religionem. Tum contenti eritis. Tum felices vixeritis. O pertinaciam! Omnia*

per-

permiſceri malitis, quam ab ſententia diſcedere. Quem unquam prudentem virum tam inconſiderate ſe gerere vidiſtis, ut plura negotia ſimul perficere vellet? An neſcitis, humanum ingenium, ubi pluribus intentum fuerit, minus ad ſingula eſſe? His rebus dicendis dies conſumptus eſt. Tandem quum dies, menſeſque tranſirent, ac belli ſuſpicio creſceret, conſilium capit Tunnius orare eos, qui majori authoritate erant, ut rem repręſentarent. Hi, ubi tempus ex ſententia venit, *hoſtium conſilia explorata* ſibi eſſe confirmant. *Eos nunquam intentius bellum apparaviſſe. Ne Turcarum verbis fidem præſtarent, ſed potius ſpectarent ingenium: decernerent auxilia, ut reliquo hyemis tempore parari bellum poſſet.* At Civitatum legati, quibus rebus poſſunt, rem diſtrahere parati, *in præſentia rem ſuſcipi poſſe* negant, *propterea quod nondum reliquarum Civitatum conveniſſent legationes. Earum expectarent adventum. Illas in itinere eſſe, ac brevi affuturas.* At Regulorum legati *ipſarum culpæ illud eſſe tribuendum* confirmabant, *quum ad diem non veniſſent. Satis, ſuperque prolatatos eſſe dies ſummo cum patriæ periculo: proinde puderet tandem eos eſſe impedimento, quominus ſe ad defenſionem compararent.* Brevis inde altercatio ex animorum contentione exarſit. Tandem Civitatum legati, ut in quartum diem res conferretur, quo reliqui eſſent conventuri, pervicerunt. Hac re compoſita ubi dies venit, Scenbornius dicit, *quoniam jam, ut de bello conſultaretur, conveniſſet, proinde ſi Pannoniis ſuccurrendum eſſe videatur, utrum rei pecuniariæ, an militum ſubſidia mitterent, & quantum pecuniæ, vel armatorum conferrent, decernerent.* Ubi hæc audita ſunt novitate rei Tunnius, quique Cæſari favent, permoventur. *Nunquam armatorum, ſed ſemper rei pecuniariæ ſubſidia Cæſari Germanos miſiſſe* dicebant. *Quid igitur ſibi vellent de ea re diſceptando? Idem eſse, opem non ferre, ac rei militaris imperitos mittere. Non ſolum timendum eſse modo conſcriptos nullo uſui futuros, verum etiam nocituros. Solum Cæſarem militum copiam habere. Cæſarem rei militaris peritum exercitum nullo negotio cogere poſse. Reliquis vix pluribus annis uſus militaris imperitos contrahendi facultatem eſse. Debere ſuſpicari, eos ignominiæ timore ea auxilia conferre, quæ re ipſa inutilia ſint. Si communis cauſæ ſtudium apud eos poſset, pecuniam eſsent Cæſari daturi, quæ una ad bellum trahendum eum deficit.* His invicem ſermonibus plures traducuntur dies. Hic, ut hujus rei cauſa innoteſcat, aliqua ſupra repetere juvat. Germaniæ Reguli nimia Ferdinandi ejus nominis ſecundi potentia admoniti, nimium erant de libertate ſolliciti: timebant enim, ne, ſi Auſtriaci generis potentia creſceret, reſiſti ei poſſet, An.1663

adeout

An. 1663 adeout de ſuo jure non dimicarent. Sciebant, Philippum Hiſpaniæ Regem pecunia, armis opulentem, Cæſarem viris opulentiſſimum eſſe. Non fugiebat eos, inter ipſos nunquam diſſenſionis cauſam eſſe coortam, ſed alterum alteri cupere: ideoque verebantur ne ſocietate armorum juncti, ut voluntate concordes erant, Galliam, reliquamque Germaniæ partem in eorum ditionem redigere velint. Huc reſpicientes conditionibus pacis Monaſterii firmatæ cavendum curaverant, ne Cæſar Hiſpano auxilio eſſe poſſit, ut deſtitutus Philippus ex æquo cum Gallis pugnaret, Cæſarique, ſi uſus veniret, deeſſet. Eadem de cauſa quum Leopoldum in Romanorum Imperatorem elegere, eum tot legum vinculis conſtrinxere, ut quodammodo eis parere, non imperare videretur. Invidorum Regulorum opinioni Ludovici Galliæ Regis conſilium ſuffragabatur: nam licet nonnulli per ſe rationem inire, qua ſe tutos redderent, turpe non ducebant, tamen ab eo ſollicitati fœdus cum illo facere non dubitarunt, ut Leopoldo belli metum iniicientes, eum leges ſervare cogerent. Fœderati igitur etiam nunc Ludovici hortatu, ut circumferebatur, non pecuniam, ſed viros conferre cupiebant. Nam eo conſilio duas res uno tempore conſecuturos confidebant, quod ſui uſum militiæ percipientes uſui maximo ſibi eſſe poſſent, quum bella inciderint, & quod, Cæſari pecunia non ſuppetente, neque milites conſcribendi, neque ingentes exercitus alendi ei facultas eſſet, quibus poſtea ſe terrere poſſet. Terrebat præterea eos, Cæſarem, ubi victoriam adeptus eſſet, ſummo cum ipſorum periculo ea uſurum. Non ita; quum ipſi ſuas poſſent revocare copias. Ipſorum igitur conſilii erat neque Cæſarem potentia auctiorem, neque infirmiorem velle: nam altero caſu ab eo, altero ab externis ſibi timendum judicabant, quum illius opibus tegi non poſſent. Omnibus his de cauſis ita in incepto perſtiterunt, ut nec precibus, nec rationibus permoveri potuerunt, quin aliud inirent conſilium. Quæ res, & multo magis diſſenſio, ac invidia, ut in fine omnibus dilucebit, Turcis ſalutem attulit. Horum voluntatem non occultam habens Tunnius, poſtridie quum omnes ſententiæ Cæſari ſuccurrendum dixiſſent, atque timeret, ne, ſi illico de ratione auxiliorum conſuleretur, eorum ſententia obtineret, qui milites in Pannoniam mittendos cenſebant, omnes orandi conſilium capit, ut, prius quam aliud ſtatueretur, Cæſarem de re docere poſſit. Sperabat enim, quum Cæſar ſibi pecunia opus eſſe ſcriberet, eum ab ipſis illud impetraturum. Probat rem Scenbornius, *ac, cognita per Cæſarem neceſſitate, melius decerni poſſe* dicit, *utrum mediocres, an ampliores copiæ mittendæ eſſent*. Non

inop-

Google

inopportune hoc Civitatum legatis accidiſſe viſum eſt, quod ſpatium temporis nacti, donec Cæſar litteras remitteret, de rebus, quæ ad ſe pertinerent, agere volebant. Hic operę pretium eſt Guidonem Ubaldum Tunnium ſingulos præhenſantem videre, *ne demonſtrarent, ipſos belli oblivìſci velle, quando, ut aliæ res conficerentur, tenderent. Quid opus eſt,* inquit, *de tam neceſſariis rebus remittere, quum Cæſar ſtatim eſt litteras miſſurus. Agitedum demonſtrate, in aliam rem non trahi veſtram mentem, quam in juſtum bellum, & pia arma.* His, & ſimilibus verbis diem ex die ducens, quod animo propoſuerat, adeptus eſt. Magni enim hoc intereſſe arbitrabatur, ne aliqua diſſenſionis cauſa coorta, dum de aliis rebus ageretur, tam neceſſariæ rei eſſet impedimento. Sero tamen ſcripſit Cæſar, quo conſilio neſcio, *nunquam Turcas majore contentione, quæ ad bellum opus ſint, paraviſse, præterea pontes in Danubio facere. Haberent periculi rationem. Jam conſtare, eos fidem fallere in turpiſſimis non habere rebus. Quid igitur eis crederent? Se propter ærarii inopiam pecuniæ egere. Æmularentur majorum exempla, qui magna pro re, & tempore rei pecuniariæ ſubſidia miſiſſent. Præterea, pecuniam conferendo, majorem gratiam & ab ſe, quia ſibi petenti id tribuerent, & ab Chriſtianis omnibus eſſent ituri, quia utiliorem operam eis præſtarent.* Litteris perlectis, major pars Cæſari ſatisfacere cupiebat, ſive quod cum animo reputabant, præſtare unius auſpicio, quam plurium bellum geri, ſive quod rem in celeritate poſitam videntes, minime opportunum judicabant tempus in delectibus habendis, ac in itinere ab remotiſſimis Germaniæ partibus in Pannoniam agendo conſumere, ſive quod ab cura conſcribendorum militum ſe exonerari cupiebant. Quod ſimulatque cognoverunt fœderati, omnibus reſiſtere, nulla ratione fieri dicere, & ſe minime conſilium probaturos affirmare. Hæ diſſenſiones quum diu tenuiſſent, nullius ſententia accepta eſt, maxime quod nonnulli ex legatis libera mandata de ſumma rerum expectare ſimulantes, dies prolatabant, ut interim de pace nuncius veniens de ſtipendio ſe eximeret. Tandem quum vere etiam inito haudquaquam Turcas de apparatibus remittere viderent, atque Goeſius exiguam ſe pacis ſpem habere ſcripſiſſet, permoti etiam exemplo Philippi Gulielmi Bavarię Ducis, qui equites ducentos, ac pedites mille, ac aliorum, qui ingentem pecuniæ vim ad bellum polliciti erant, conſenſere, ut fœderatis milites, reliquis pecuniam conferre liceret. Fœderati ultro octo armatorum millia polliciti ſunt. Utinam vero ita ad præſtandum prompti fuiſſent, atque ad promittendum parati fuerunt: nam nunquam tam in anguſto Chri- An. 1663

ſtia-

An. 1663 ſtianorum res fuiſſet. Magna ſolum diſſenſio extitit, quam pecuniæ ſummam reliqui darent. Petebat Cæſaris verbis Tunnius, *ut periculi magnitudinem, hoſtium opes, & Cæſaris tenuitatem reſpicerent. Cæſarem in defendenda Pannonia Germaniæ arce, quidquid pecuniæ habuiſſet, profudiſſe, proinde ſuperiorum, ac inſequentium annorum impenſarum rationem haberent*. At legatorum alii ſuas civitates exinanitas dolentes, *pergratum Cæſari ſe facturos* dicebant, *quum præſens reſpicerent periculum*, pars Tunnio, Cæſarique morem gerere in ſpeciem non abnuebant, re autem ipſa, quod conferre pollicebantur, ægerrime ſatis erat ad menſe exercitum alendum. Poſtremo & precibus, & imminente periculo permotis omnibus, ſumma pecuniæ convenit; quæ quum eſſet pro neceſſitate exigua, majorem in reliquum tempus, ſi res poſtularet, dare profeſſi ſunt. Demonſtratum eſt, Cæſarem Goeſio Temeſuariam petendi, pacemque firmandi facultatem permiſiſſe. Hic ubi ad Halium pervenit, non ſtatim de mandatis agere inſtituit, ſive, ne ſuo maximo ſtudio Cæſarem ſummopere pacem cupere, demonſtraret, quam rem Turcam ferociorem efficere poſſe non ignorabat, ſive ut tempus intercederet, quo omnia ab Pereſio cognoſcere poſſet. Magni enim intereſſe arbitrabatur, quæ Halii mens, qui mores eſſent, quique apud eum authoritatem haberent, explorare, ut per eos adiens, conſequi rem poſſet. Earum rerum cauſa ubi primo Halium convenit, ne verbum quidem de pace faciens, privati officii mandata explet. Aliquibus poſt diebus Halius ad ſe eum vocans, quærit, quare, quum pacis mandata attuliſſet, rem diutius duceret. Goeſius *ipſius dignitati ſe tribuiſſe* dicit, *ut hujus rei prius ab ipſo mentio inferatur. Poſſe nunc, ſi videretur, de pace colloquia haberi*. Probat rem Halius, atque quum eſſet pluribus in utramque partem diſputatum, tandem convenit, ut Cæſar de Tranſylvania præſidia deducat, ut propugnaculum ab Nicolao Serino non procul ab Caniſia ad Muram flumen inſtitutum everti jubeat, ut Haidones perpetuo ſub Turcarum Regis ditione eſſe patiatur. Æquiſſimæ omnibus, qui ſermoni interfuere, æquiſſimæ Pereſio, Goeſioque, æquiſſimæ etiam Germanis conditiones viſæ ſunt, ubi eas ex Goeſii litteris cognovere. Poſtridie tamen Halium Goeſius interrogat, *quos nam Haidones eſſe arbitraretur? melius ſibi videri, ipſius voluntatem, prius quam fides detur, accipiaturque, manifeſtam habere, quam poſtea, ne controverſia in ea interpretanda orta armorum cauſa ſit*. Tum Halius, *Nunquam me meus fefellit animus*, inquit, *Cæſarem omnia magis velle, quam pacem, maxime quod ex compoſito te dies prolatare perſpexi. Cur igitur itineris laborem ſuſce-*

ſuſcepiſti? An mei fallendi cauſa? Non certe eveniet. Non ferme committam, ut in vulgus efferri poſſit, Chriſtianos mihi verba dare potuiſſe. Certiorem protinus Mehemetem de ludificatione faciam, ut ſubito conſilium ſibi capere valeat. Ad ea Goeſius reſpondet, *neque ſibi, neque Chriſtianis aliis id moris eſſe, ut dolo proficere exoptent. Se pacis firmandæ cauſa veniſſe, eamque firmaturum ſperare, ſi Turcæ de eo non abnuant. Proinde vellet hoc, vel ne, illico ſignificaret, ut omnia ad bellum comparare Germani poſſent.* Reſponſo permotus Halius, *Haidones omnes ſub Turcarum Regis ditione eſſe* dicit. *Quid igitur cavillaretur?* Negat hoc Goeſius, *Haidoneſque Biborienſem, ac Zatmarienſem pagos incolere* confirmat. *Hos nequaquam ex conditionibus ſuo Imperio adjuncturum eſſe Mehemetem* dicit Halius. Hac de cauſa certiore pacis ſpe domum ſe recipit Goeſius. Nocte vero multa cum animo ſuo reputat. Jam Turcas Varadinum munitiſſimum oppidum recepiſſe. Illud parum ab Zatmaria, Calloo, Tochæoque abeſſe. Ea oppida, utpote parum munita, nihil eſſe negotii Turcis tempore capto expugnare. Debere huic rei omnino prævertere. Id optime futurum, ſi Zechelidem paludibus, ac manu munitum oppidum Tranſylvanis non reddiderit. Illud nuper receptarum urbium, Pannoniæque arcem contra Turcas futurum. Facile ex oppido præſidium non deduci Halium permiſſurum, quum in Bihorienſi pago ſitum illud cognoſceret. His omnibus rebus adductus Goeſius, ubi primum perficiendi negotii cauſa colloquia habita ſunt, *ex Tranſylvaniæ, non Pannoniæ urbibus præſidia educturum Cæſarem* confirmat: *proinde Zechelidem non levi præſidio obtineri juſſiſſe, quod in Bihorienſi agro ſit poſita*. In Tranſylvaniæ finibus poſitam affirmat Halius; inque eo perſeverat. Tendente igitur Goeſio, ne ex eo oppido Germani educantur, ſed ut illud in ditione habere Cæſari liceat, magna exardet ira Halius, atque vi urbem eam, aliaſque capturum minatur, quoniam ruptoris fœderis Deus ultor futurus eſſet. Goeſius *& Deum ſuam cauſam defenſurum, & Cæſarem haudquaquam animo defecturum* dicit. *Turcas violaviſſe pacem, quum contra, atque conveniſſet, Jenum, Varadinum obſediſſent, recepiſſentque, ac finitima loca in Croatia munitionibus firmaviſſent. Quid igitur mirum, ſi Serinus, ut Turcas ab excurſionibus prohiberet, propugnaculum ad Muram excitaviſſet, & ipſe Cæſaris verbis peteret, ne Pannoniæ oppida Tranſylvanis det?* Goeſii oratione, & multo magis rationibus ita perturbatur Halius, ut eo die ne vocem quidem exprimere vellet. Sciebat enim & vera eſſe, quæ commemoraverat Goeſius, & nemini occulta, ita ut inficias ire An.1663

Digitized by Google

An. 1663 ſine pudore non poſſe cognoſceret. Poſtera dies, quum aliud diſſenſionis initium factum non eſſet, de ea re diſceptando conſumpta eſt. Poſtulat Goeſius, ut Tranſylvaniæ forma eadem ſit, atque ante bellum fuiſſet, neu Principatu aliquem expellere Turcarum Rex poſſit, neu alium accerſere valeat, ſed Tranſylvanorum ſuffragio adlegi patiatur. *Nimiam ſibi ſumpſiſſe ipſum audaciam* reſpondet Halius, *quod alia ex aliis peteret. Se nimis Tranſylvanis eſſe conceſſurum judicare, ſi ipſorum ſuffragio creari Principem ſineret, ubi Rex aliquem Principatu abire non cogeret.* Demonſtrat Goeſius, *hac conditione neque Tranſylvanos, neque Cæſarem contentum eſſe poſſe; potius eos ignominioſæ paci bellum eſſe prælaturos. Proinde pacem, an bellum agitari mallet eligeret.* Bellum ſuſcipere non audere ſimulat Halius, ut, in eo manente Goeſio, non convenirent conditiones. Nimis enim imperio delectabatur, & rem proſpere ceſſuram confidens, ſuo auſpicio bellum geri cupiebat, ut, authoritate rebus geſtis amplificata, ſummum magiſtratum adipiſcendi facultatem nanciſcatur. Idcirco plures tranſierant dies, nec de pace agebatur. Poſtremo quum Halio in mentem veniſſet, alienum ſuis rationibus eſſe, demonſtrare, ſe pacem nolle, ne Acmetes, conſilio cognito, vel ad exercitum veniret, vel Goeſium ad ſe vocaret, has dare conditiones ſtatuit. Georgii Ragotii, ac Joannis Chiminiani filiis nunquam Cæſar opem ferret. Propugnaculum ab Serino ad Muram flumen inſtitutum everteret. Præſidia ex Tranſylvaniæ oppidis deduceret. Quæ ſi feciſſet, Mehemetem Regem eandem eſſe Tranſylvaniæ formam, atque antea fuiſſet, paſſurum, ex Tranſylvaniæ finibus exercitum eductūrum, neque Cæſaris hoſtibus opem laturum, neque ejus ſocios, amicoſque vexaturum. Ars illa fuit, ut, quum Zechelidem Tranſylvaniæ oppidum ipſe diceret, atque Germani negarent, hanc belli inferendi occaſionem futuram ſperaret. Voto ejus fortuna ſubſcribit: nam Gabor quidam ab Abbaſſo Temeſuariam legatus venit, qui, utpote Tranſylvanus, Tranſylvaniæ rerum peritus ſuam defenderet cauſam. Hic ubi, Zechelidem quis obtineret, non dum ſtare, reliqua vero conveniſſe intellexit, *ne ſibi ab Goeſio verba ingeri ſinat*, Halium monet. *Illum fallendi ipſius cauſa Temeſuariam veniſſe. Ejus rei teſtimonium eſſe, quod Zecbelidem ſub Pannoniæ Regis ditione eſſe confirmaret, quum ſemper ſub Tranſylvaniæ Principis imperio fuiſse nemini occultum eſset. Mirari, quod, qui de hac re ambigat, repertus ſit. At ſe Goeſii, Germanorumque naturam multis jam rebus perſpectam habere, eos ſemper per dolum dignitate auctiores eſse velle.* Hæc opportune Gaborem meminiſſe Halius ratus, omnia etiam pleniora Acmeti

meti

meti enunciat, ut nota ei cauſa eſſet, quare ſuſpectum Goeſium habens fidem dare in præſentia nollet. Hortatur eum præterea ad bellum, quia, ubi feliciter illud ceſſiſſet, magnam gloriam eſſet laturus. Halio enim, ut Mehemetis Chiuperlii præceptorum ignarus erat, an Acmetes bellum vellet, non conſtabat. Acmetes ſimulac ea cognovit, Reningherium increpat, *quod, quum æquis conditionibus Cæſarem contentum eſſe profeſſus eſſet, nunc æquiſſimas ab Halio latas abnuiſſet. Se illis conditionibus pacem facere paratum eſſe. Hoc Cæſari renunciaret, ut, ſi illico eas non acciperet, bellum parare poſſet.* Hæc ſtatim ad Cæſarem perferenda curat Reningherius, ſimulque eum docet, *ſe ſemper Acmetis, ac Turcarum reliquorum promiſſis parum confidiſſe, maxime nunc, quod omnibus provinciis delectum haberi, arma, omniaque ad bellum neceſſaria parari videret. Se ſuſpicari, eum omnia ſimulare, ut initio veris, quo improviſior accederet, eo minore contentione Pannoniam perdomeret.* His rebus cognitis, Cæſar omnia ad concilium defert. Nunquam ita conſenſere Conſiliarii, ut omnium una eſſet ſententia, Turcas non eſſe hoc tempore bellum illaturos, quo Chriſtiani Reges a bello vacui arma Cæſari jungere poſſent. In incepto ergo uti maneret, Goeſio mandatur, & reddendi Zechelidis oppidi conſilium ad extremum reſervaret. Ad hoc conſilium eo facilius deſcenderunt, quo in certiorem pacis ſpem pervenerant, quia Goeſii litteris cognoverunt, *ipſum, poſtquam ad Cæſaris præſcriptum in ſententia de non reddendo Zechelide oppido Tranſylvanis perſtitiſſet, atque Halius pacis eam conditionem eſſe negaret, proponendi conſilium cœpiſſe, ut munitiones everterentur, ne alteri adverſus alterum eſſent opportunæ. Ita Halium conſilium probaviſſe, & ſe paratum eſſe ad Acmetem ſcribere confirmaviſſe, ut æquam Cæſari petenti pacem daret.* Hæc fuiſſet Halii mens, an ſimulaſſet, in incerto eſt. Unum vero non ambigitur, prorſus inveriſimile non eſſe, eum mutaviſſe conſilium, quod, quum Acmetem Conſtantinopoli Belgradum diſceſſiſſe cognoviſſet, argumenti loco ſumpſit, ſuo ductu bellum non geri. Adjuvat hanc opinionem, quum quod ipſe Goeſium hortatus eſt, ut Belgradum petat, quo Acmetem eſſe venturum ſciebat, tum quod ipſe magnis itineribus Sophiam ei occurrens, in concilio ne liberam quidem vocem mittere auſus eſt. Acuit Acmetis ſtudium Halii ſilentium, quod habebat, etiam dum ejus ſciſcitabatur ſententia, adeo ut cauſam ex ipſo quæreret. Halius tamen reſpondet, *ſe nullius conſilii authorem eſſe velle, ne ab ſe adverſi eventus ratio repoſcenda ſit.* Alia dicere non valuit, quod inſolitus torpor membra An.1663

An. 1663 tenebat. Quod ſimulatque cognovit Acmetes, eum plus animo præſentire ſuſpicatus, ejus abditos ſenſus elicere magnopere exoptans, ut libere ſententiam diceret, petit. At ille in eadem triſtitia permanet. Tum Acmetes, *quoniam meis precibus*, inquit, *locus a te nondatur, certe, mandatis pareas, oportet. Regis gloria, ac Reipublicæ charitas poſcit, ut unuſquiſque libere, audacterque de ea dicat. Neque civis optimus, neque homo eſse videtur, qui patriam ſuo conſilio, ne dicam fortiter factis, juvare non vult. Proinde elige, utrum in numero civium, an hoſtium eſse velis. Ain', numquid publicæ ſalutis ſtudium, an privata gratia tacere te cogit? ut ſi optimum dederis conſilium, te audiendo, uno animo, una mente vivere poſſimus.* Tum Halius vix præ lacrymis valens, *ſibi æquas videri pacis conditiones* dicit, *ubi Cæſar deduci de Tranſylvania Germanos, everti propugnaculum ab Serino ad Muram excitatum juſserit. Sibi periculoſum videri, eo tempore fortunam periclitari, quo Chriſtiani Reges, quum in periculi ſocietate eſse arbitrentur, in belli ſocietatem venire poſsent. Nimiam omnibus videri cupiditatem, quum Venetos, ſimulque Germanos perdomere ſibi in animo eſse demonſtraret. Hoc ſanum conſilium non eſse ex eo potiſſimum ſe intelligere, quod nunquam majores, quorum maximam fuiſse quum prudentiam, tum virtutem conſtet, eo uſi eſsent. Non ſemel expertum eſse, de ſuo dimicaviſse eos, qui æqua parte non fuiſsent contenti. Satis, ſuperque eſse, ſi ſine ignominia ſuſceptum conficeretur bellum. Quo igitur conſilio nova aggrederetur?* Hæc res magnam difficultatem ad conſilium ineundum Acmeti affert, quoniam ne militiæ dedecora eo majore periculo ſibi objectarentur, periculum eſſe ſciebat, quo pertinacius juvenis clarioris Ducis, ac ſenis conſilium ſpreviſſe diceretur. Igitur dies, noctesque dubitatione æſtuanti occurrit, eum illo conſilio bellum, quod prius ſuaſerat, nunc diſſuadere, quod ſuo auſpicio bellum adminiſtratum iri non ſperaret. Hoc etſi pro certo habebat, tamen ut omnis expelleretur dubitatio, ex eo quærere ſtatuit, quare prius ſe ad bellum hortatus eſset. At ille *mutari conſilium oportere* reſpondet, *ubi non eaſdem eſse cauſas conſtaret, quæ ad illud deſcendere coegiſsent. Se ſemper bellum juſtum eſse exiſtimaviſse, quibus neceſsarium, & neceſsarium, quibus ignominioſam tantum firmare pacem liceret. Goeſium primo ſua mora, deinde cavillationibus ſuſpicionem ſibi dediſse, Cæſarem a pace abhorrere, poſtremo iniquitate conditionum, quod Zecbelidem reddere Tranſylvanis nollet, ſe perpuliſse, ut manu obtinendum cenſeret, quod pace non poſset. At nunc Tranſylvanorum oppidum eſse permittenti quare pacem non daret?* Hoc accepto

reſ-

Digitized by Google

reſponſo, diverſus agitatur Acmetes, propterea quod tum magis in incerto erat, quare Halius ſententiam mutaviſſet. Plures alios dies ibi moratus eſt, quum hac de cauſa, tum quod copiarum adventûm, quæ minoribus itineribus ſubſequebantur, expectabat. Quæ ubi pervenere magis incertus Belgradum diſcedit. Nam tam pacem firmare, quam bellum Pannoniis inferre paratus erat, prout rem adhortari cognoſceret. Hoc unum animo propoſuerat, ut, ſi pacem cum Cæſare faceret, iter per Pannoniam ſine maleficio faciendi poteſtatem impetraret, ut arma in Dalmatiam contra Venetos vertere poſſet. Sic tot apparatus non male collocatos ſummo cum ſuo periculo judicabat. In itinere ſecum volvit, utrum præſtaret ſuas oſtentare vires, ut territus Goeſius iniquiores pacis conditiones acciperet, an cum eo humanius ageret, ne honeſta deſperata pace, ut majore conatu bellum ſuſciperent Germani, hortaretur. Quum ergo plures res in mentem veniſſent, facilius iniquiores conditiones perterritos imminente periculo, quam ab timore vacuos accepturos conjectans, Belgradum tali magnificentiæ apparatu ingredi ſtatuit, ut pro parta victoria triumphaturus, non, quemadmodum eam adipiſceretur, rationem initurus eſſe videretur. Præibant & corporis forma, & elegantia veſtium ex omnibus lecti ad quadringenti pedites; quorum alii non modulate, ſed altius obſtrepentes incondita canebant carmina, pars præeunte execrabile carmen ſacerdote ab Deo victoriam de Chriſtianis precabantur. Subſequebantur ſexaginta inſignes equi egregiis ephippiis, aureiſque frænis præfulgentes. Unuſquiſque ab duobus ſervis manu ducebatur; qui omnes rubri coloris veſtibus induti, formoſam ſpeciem dabant. Poſt hos Acmetes ipſe alba veſte auro intexta, alba tiara ornatus, albo inſidens equo lentius progrediebatur. Proximus ibat Hibraimus, qui ducentis equitibus, quos cuſtodię cauſa circum Acmetem habebat, prçerat. Hi gladiis diſtrictis ejus latera ſepiebant. Totidem equites poſt hos turmatim veniebant, quibus omnibus Mehemetes Aleppi Præfectus præerat: deinde quadrijugis curribus, octuaginta numero, octuaginta bellica tormenta vehebantur. Ante unumquemque currum decem bellicorum tormentorum magiſtri incedebant. Mox quinque equitum millia longo agmine progredientia non injucundam præbebant ſpeciem: poſtremo jumentorum, atque carrorum vis magna cum impedimentis ducebatur. Omnes vero prætorianorum millia ſena claudebant. Acmeti venienti civitatis Magiſtratus, Præfectique omnes obviam gratulantes procedunt. Hoc idem faciunt oppidani, qui omnes, veluti parta victoria, Acmetem laudibus efferunt, ac læ- An. 1663

titiæ

An. 1663 titiæ ſigna mittunt. Milites, qui oppido præſidio erant, in duas partes diſtribuerat Præfectus. Per medium eorum omnes tranſeuntes, gaudium mutuis gratulationibus augent. Jam gloriam, jam victoriam, jam ante omnia prædam avidus miles providebat. Omnia æqua, & plana ſibi fore ominabatur. In tanta diei celebritate lætis vocibus cœlum impletur: proſpectus fumo ex tormentarii pulveris flamma, quæ ex tormentis emicat, adimitur: murmur, ac hilaris confuſio omnes tenet. Stuporem, qui Goeſium, reliquoſque Cæſaris adminiſtros tenuit, ubi ex apparatu ſpe pacis ſe dejectos eſſe cognoverunt, ſatis explicare non valeo; id unum non ambigitur, quod reliquum diei, & integram noctem & cibi, & ſomni immemores traduxere. At ne aliis quidem nox quieta fuit, quod ſive oppidani, ſive milites ex oppido ſe eiicientes, in caſtra perveniunt, quæ non procul aberant. Ibi inſignes, generoſoſque conſpiciunt equos; decora, ac gemmata arma contemplantur; armorum, ac veſtium varietatem mirantur; tabernaculorum pretioſum ornatum, telorum, ac commeatus omnis generis apparatum, caſtrorum tractum, ac munitiones conſpicantur. Milites eos, cum quibus hoſpitium ipſis intercedebat, per omnia præſidia circumducunt; ac periti linguæ cum commilitonibus cujuſcumque gentis colloquuntur, atque de omnibus eos docent; qui ſit armorum, ac tormentorum uſus; quid uniuſcujuſque ad pugnam, quid ad oppugnationem, quid in caſtris ſit. Revera pulchrum eſt centum triginta armatorum millia in caſtris diverſis rebus intenta conſpicere. At pulcherrimum tot Turcarum millia conſpicari, tum tot gentium mixtura, tum veſtium, ac armorum pretioſitate, tum denique ſervorum, camelorum, ac mulorum numero; quod apud eos ea conſuetudo eſt, ut proficiſcentes omnia domo in caſtra conferant. Erant ad duodecim mulorum, & ſena camelorum millia. Erant equitum quinquaginta, peditum vero ſeptuaginta millia. Omnium ſumma millia centum triginta. Quidquid enim roboris erat, Acmetes facilius rei conſequendæ ſtudio ſecum duxerat: Præfectos propter virtutem notiores nominatim evocaverat omnes. Hi tantam rerum ſuarum habebant fiduciam, quod ne conſpectum quidem tantæ multitudinis paucos ferre poſſe exiſtimabant, ut, nihil de eventu dubitantes, non de belli ratione, ſed quomodo victoriam exercerent, cogitarent. Vivebat in eorum pectoribus tanta prædæ cupiditas, ut, quum die ante oculos ſibi proponerent hoſtium cædes, expugnationes oppidorum, & quidquid talis generis hominum vaſtus animus cupere ſcit, nocte ſæpe lætiſſimo ſomnio fruſtra eluderentur. Oppidani quoque domum reverſi,

verſi, dum mulieribus, puериſque viſa enarrant, atque hi, ut fit, An. 1663
importune interrogant reliqua, & deſiderio eadem conſpiciendi capti, patres orant, ut poſtero die ſe quoque ea ſpectare ſinant, nec conquieverunt. Sic partim lætitia, partim deſiderio, partim dolore agitati omnes, nocte ſomnum non viderunt. Nam Acmetes etiam difficultate afficiebatur, quod, quum in pectore inſediſſet, quidquid Halius dixerat, in incerto habebat, quid nam conſilii iniret. Poſtridie tamen Goeſium alloquens, *ſe bellum Cæſari inferre ſtatuiſſe* demonſtrat, *quod ultra ferre non poſſet, Cæſarem nulla ratione rupti fœderis pœnituiſse*. Conſilium fuit, ex ejus vultu, orationeque cognoſcere, utrum diſpliceret, vel non Cæſari bellum ſumere. Goeſius, his auditis, *Cæſarem bellum ſuſcipere non timere* confirmat, *quod tum ſuis, tum Chriſtianorum Regum omnium opibus confiſus Turcas docere ſperaret, non ipſos, ſed Germanos inter ferrum, & arma natos eſse. Id unum & ipſum mandaviſse, & ſe efficere cupere, ut nemini cauſam præbuiſse belli appareat*. Ad hæc addidit, quare ipſi prodidiſſent fidem, quæ ut recenſuimus, quum ea Halio objectavit, nunc libenter præterimus. Acmetes his permotus, *non ſuo, neque Mehemetis Regis, ſed Cæſaris, & ipſius vitio factum* dicit, *ne ad otium res deducta ſit. Se pluries ab armis diſcedere paratum eſſe demonſtraviſſe, ejuſque rei teſtem Reningherium habere. Hac de cauſa, quum conſideraviſſet, eum bellum ſumere ſtatuiſſe, qui fœdus cum illo feri re detrectat, cum quo diſsenſionis cauſa extat, delectum edixiſse, milites ſcripsiſse, exercitumque eduxiſse. Non eſse nunc æquum, Cæſarem, quum omnia ad bellum comparaverit, auxilia accerſerit, Chriſtianos omnes ad ſuum auxilium concitaverit, pacem tanquam debitam nunc petere, quod in aperto virium certamine ſpem non habeat*. Tum Goeſius, *Cæſarem pacem optaviſse, & ejus rei teſtimonium eſse* affirmat, *quod propoſitis ab Halio conditionibus eam facere non abnueret. Quod Cæſar bellum paraviſset, id ſe negare non poſse, immo addere, id conſilii ſumma ratione ab longe prudentiſſimo viro initum eſse, quum ſciret, eum pacem velle, qui paret bellum. Orare, ut cum ipſo de ea re agere poſſit, vel, ſi id minus per occupationes liceret, tanto muneri non impares viros deligat, quibus poteſtatem negotii perficiendi permitteret*. Acmetes ut ex Goeſii pacis cupiditate conjecturam cœperat, Cæſarem ſibi minime confidere, ſibi ſpiritus ſumens, *Quoniam*, inquit, *Cæſarem eniti dicis, ut armorum cauſa non ſit, propugnaculum ab Serino inſtitutum evertat, & præſidia ex Tranſylvaniæ oppidis educat. Si hæc prius fecerit, aliæ poſteq utriſque æquæ conditiones erunt*. Goeſius demonſtrat, *paratum Cæſarem*

rem

An. 1663 *rem eſse, ea exequi jubere, ſimul primum fides data, acceptaque ſit. Aliter ſummæ dementiæ eſset efficere, ut Turca rem conſequatur, & ipſe pacem habere non poſſit, ſi conditiones, quas ignorat, non convenirent. Proponeret æquas conditiones; quia de iis non abnueret.* Negat primo Acmetes, *hoc fieri poſse, niſi prius, quæ paratum eſse Cæſarem facere diceret, exequeretur*, deinde *Amuratem poſtero die eas propoſiturum* confirmat. Mane igitur Amuratem Goeſius adit; cum eo Halium, Cutſchiuciumque Varadini Præfectum, a quo Chiminianum fuſum ſupra docuimus, eſſe invenit. Cutſchiucius ante omnes loquitur, ac militum multitudinem, virtutemque oſtentans, quaſi per amicitiam Goeſium monet, ut conditiones etiam iniquas accipiat, ne ad ultimum ſupplicium Pannonii, Germanique progredi neceſſe habeant. Æquiſſimis tantum conditioninibus contentum fore affirmat Goeſius. Reſpiciendum eſſe demonſtrat Cutſchiucius, quod iniquæ conditiones æquiſſimæ iis eſſent, quibus majora impenderent mala. Nullum imminere Pannoniis, Germaniſque malum, reſpondet Goeſius, quos arma, virtuſque tegant. Tum Amurates, *Non dixi*, inquit, *nihil actum iri his conditionibus? Ita Acmetes jubet. Ad neceſſitatem juveni gloriæ avido, ac rerum militarium imperito parendi ſubigimur. Deus, ut bene, feliciterque res vertat, efficiat. Me haudquaquam hujus conſilii authorem fuiſse profiteor.* Sibi quoque Acmetis ſententiam non placuiſſe affirmat Halius. Amuratem magni conſilii, ac expertæ probitatis virum eſſe Acmetes arbitrabatur, quod ejus opera præcipua Mehemetes pater erat uſus. Hic quum rem in dubium devocandam non cenſeret, libere, audacterque, quæ ſentiebat, Acmeti proponebat. Qui ob hanc rem, & ſermonem, quem cum Halio habuiſſe Cutſchiucius enunciavit, eum ita ſuſpectum habuit, ut perniciem viro tantæ inter Turcas authoritatis inſequente anno machinari non timeret. Halius etiam capite liberi ſermonis pœnas dediſſet, ut Amurates, niſi ejus vitæ morbus finem prius feciſſet. Poſtquam multa in eandem ſententiam dixit Amurates, conditiones proponit, quarum ſumma fuit. Vicies centena nummorum aureorum millia in ſcribendo exercitu nequicquam profuſa Cæſar Mehemeti Regi daret. Quotannis centum nummorum aureorum millia ſtipendii nomine penderet. Iter per ſuos fines exercitui daret, quo facilius terra, marique Venetos premere poſſit. His auditis, etſi iniquiſſimas conditiones fore providerat Goeſius, tamen, ubi eo temeritatis Acmetem proceſſiſſe cognovit, facere non potuit, quin mens alienaretur, maxime quod Cæſarem imparatum deprehendi ſciebat. Tum igitur & indignitas rei iniquita-

tem

Digitized by Google

tem conditionum probare, & majoris periculi timor hiſcere contra pacem prope neceſſariam prohibuit. Poſtero die tamen expedire ratus, tempus ad deliberandum ſibi ſumere, ac rem ad Cæſarem reiicere, ut tempus, dum aliquomodo ſe pararet, intercederet, poſtulat, *ut nuncius ad Cæſarem mittatur, & interea ipſe eiſdem caſtris exercitum contineret, dum ab Cæſare redire poſſit. Se decem diebus Belgradi futurum, decemque dies in itinere conſumpturum* pollicetur Acmetes. Enunciari præterea Cæſari jubet, *æquum eſſe, ſi Nicolaum Serinum prædatas res dominis reſtituere, vel æqua æſtimatione facta pecuniam pro eis ſoluere cogeret*. Pereſius, quia domum repetere ei opus erat, mutatis ad celeritatem jumentis ad Cæſarem perveniens, omnia exponit. Cæſar ad famam Turcarum exercitus quædam bello utilia expediverat. Nunc, quoniam turpis afferebatur pax, ad concilium omnes ſibi fidos adhibet. Duo dies diſputando traducti ſunt, tandem omnibus viſum eſt, de iniqua pace abnuendum, etſi, quod ingenti exercitui pares eſſe non poſſint, aliquid detrimenti accipi oportere cognoſcebant. Sperabant enim ad tanti belli, ac periculi famam celeriter, ſi non Pannoniorum, ſaltem propria charitate omnes excitatum iri. Hac re compoſita ad Goeſium ſcriptum eſt, *Acmeti renunciaret, Cæſarem non parum miratum eſſe, eum tantam ſuarum rerum habere fiduciam, ut tam iniquas proponere conditiones non puduiſſet. Ipſum brevi de Germanorum virtute judicaturum. Proinde, ſi alias conditiones proponere nolle profiteatur, Viennam ſe dimitteret*. Ad conſilium hæc ſcribendi ea ratio Cæſarem deduxit, quod pro certo habenti, Acmetem de nulla re, & præſertim de numero dierum fidem non ſervaturum, præſtare viſum eſt, nuncium ante diem mittendo, alacritatem præbere, quam ſuo timore inſtantibus hoſtibus in contemptum venire. Hæc ubi intellexit Acmetes, Cæſari rei bene gerendæ fiduciam aliqua de cauſa innatam eſſe ſuſpicatus, minoribus itineribus progreditur, ut, quid facto opus eſſet, conſuleret. Sic magnum uſum nuncium ab Cæſare illico miſſum compertum eſt; quoniam qui antea fidem fallens ſubito Belgrado diſceſſerat, ille ſerius omnium opinione pervenit, quod amplius viginti dies conſulendo conſumpſit. Sed ſi Acmetis animus æſtuabat, quia Halius, Amuratesque, ne novum ſuſciperet bellum, niſi quum ſuſceptum confecerit, perſuadere ei nitebantur, Germani non minori ſollicitudine afficiebantur. Magnus enim inceſſerat metus, quum Turcas centum triginta millia eſſe accepiſſent, atque ipſi ægerrime hominum viginti millia in armis haberent. Accedebat, quod neque in unum locum contrahere exercitum pote-

An. 1663

 rant,

An. 1663 rant, quia incerti de Turcarum conſilio omnibus præmetuebant urbibus, quum iter ſecundum Danubium flumen habentibus ſe vertendi, quo placeret, atque oppida, quæ opportuniſſima exiſtimarent, oppugnandi facultatem eſſe ſcirent. Ob hanc cauſam omnes muniendæ erant urbes, ac firmiſſimo præſidio obtinendæ, quarum rerum alteram temporis exiguitas, alteram paucitas defenſorum impediebat. Vix enim triginta Germanorum millia cum Pannoniorum præſidio ad omnes defendendas ſufficere non ignorabant. Non eſſe de re frumentaria proviſum magnam præterea boni eventus deſperationem afferebat. Quum in his anguſtiis res eſſet, atque urbes omnes viris, aliiſque rebus ſimul munire, ut quælibet Turcarum impetus non extimeret, impoſſibile viſum eſſet, omnes conſenſere, ut exercitum in unum locum contraherent. Sic, exploratis hoſtium rationibus, facile præſidium in illud oppidum, quod oppugnare Turcæ aggrederentur, prius ſe introducere poſſe confidebant. Ea modo, ubi caſtra locarent, conſultatio fuit. Erant enim ſententiæ, quæ *in ea oppida, quorum munitionibus maxime confiderent, firmiſſimum introducendum præſidium, reliqua vero exercitu tegenda* cenſerent. *Nam extrema auſurum præſidium ſperandum eſſet, ubi neque neceſſariis afflictaretur rebus, neque parum firmæ munitiones deſperare de defenſione cogerent. Praterea magno uſui fore firmiſſima præſidia, etiamſi mœnia non tentandi, ſed porro progrediendi conſilium Turcæ caperent, quia excludere eos a commeatibus nullo negotio poſſent. Poſtremo in utramque partem tutam eſſe ſententiam, quum, ſi res poſceret, deducere ex oppidis milites poſſent?* Alii autem rogitabant, *quid metus confeſſionem exprimerent? Per utros ſtare videatur, quominus caſtra caſtris sint collata, eos ſibi parum fidere demonſtrare. Se ſemper expertos eſſe, audaciam ſuos alacres, hoſtes perterritos feciſſe. Quid igitur expectarent, quin, quum primum poſſent, contra eos contenderent? Quin prope hoſtium explorarent rationes, ut pro tempore conſilium capientes, eo introducendum præſidium curarent, ubi neceſſarium fore intelligerent?* Hæc ubi audita ſunt, nonnulli ex eis quærunt, *quid tandem ubi tam fortem animum geſſiſſent? utrum cum Turcis prælii copiam ſibi fieri poſcentibus certamen eſſent tranſacturi? an pugnam detrectaturi? ſive detrectent, quem ignorare, hanc maximam timoris confeſſionem Germanis animum minuturum, & hoſtibus ſpem ita aucturum, ut caſtra certiore victoriæ ſpe, oppugnare inſtituant? Sin autem acie dimicent, cui dubium eſſe, quin ad unum omnes in tanta virium inæqualitate interficiantur? Hoc conſilio oſtentari magis, quam præberi metus opinionem, quoniam ubi*

exi-

exiguas viderint copias, ſubito alacriores. Turcæ facti conficere bellum exoptaverint. Optimum eſſe caſtra alicujus oppidi muris conjungere, ut ſine dedecore prælio abſtinere poſſent, & tuti ab oppugnatione caſtrorum eſſent. At hæc ſententia ea maxime ratione non obtinuit, quod cito exercitus pabulum, frumentumque illud eſſet conſumpturus, quod ad obſidionis caſum paraviſſent. Denique prima ſententia ea lege accepta eſt, ut, quum primum Pannonii Germanis ſe adjungerent, e regione hoſtium caſtrametarentur. Id enim ſpei momentum aderat, quod, quum Cæſar neceſſitate auxiliorum permotus templa omnia, quæ ſuperioribus annis hæreticis ademerat, eis reddi paſſus eſſet, illi quadraginta hominum millia ad bellum polliciti erant, Catholicoſque viginti millia collaturos eſſe ſperabatur. Hoc conſilium ab Cæſare quoque probatur, qui Germaniæ proſpicere maxime cupiens, Comiti Gualterio Leſlio mandat, ut coactis, quos poſſet, equitibus Auſtriæ præſidio ſit. Idem ut faciat Sigiſmundus Fridericus Trautmendorſius Stiriæ Præfectus, imperat. Qui indicto Gratii ejus gentis concilio, ab omnibus obtinuit, ut finitima oppida præſidio tenentes, ſuæ, ac omnium ſaluti conſulerent. Cæſar, iis initis pro tempore conſiliis, unam, & certiorem defenſionis ſpem in Pannoniorum auxiliis conſiſtere arbitratus, quod eos ad id non amplius dubiæ voluntatis eſſe judicabat, quum omnia, quæ ab ſe petiiſſent, adepti erant, magnam optimatum partem Viennam ad ſe vocat, ac docet, *Acmetem hominum millia centum triginta in ipſorum perniciem ducere. Cogitarent digna fortiſſimis viris conſilia pro patriæ ſalute inire. Æmularentur tot maximorum virorum; tot majorum exempla, qui omnia auſi pro ea eſſent. Ne ſe in patriam ſtudio, quod eſſet turpiſſimum, vinci ab Germaniæ Regulis patiantur. Eos ſuis precibus permotos auxilia decreviſſe. Se itidem omnia pro ipſis facere paratum eſſe. Sed nulla virium parte Turcis parem eſſe poſſe cognoſcere, ſi ipſorum ſtudia ſibi deeſſent. Caperent igitur arma, & illis libertatem tegerent.* Hæc ubi dicta Cæſar dedit, pro omnibus Georgius Lippajus Strigonienſium Archiepiſcopus verba facit, *atque ſuæ cauſæ Pannonios neque defuturos, neque pacto non ſtaturos* confirmat. *Ipſos promiſiſſe, & paratos eſſe arma capere. Sperare, Pannonios millia ſexaginta armatorum poſſe conficere. Idcirco orare, ne prius in Pannoniam Germanos mittat, quam in unum locum Franciſcus Veſelinus Pannonios contraxerit: quoniam, ne frumentum, pabulumque paratum, ſi primo venerint, conſumant, timeret. Paratos item eſſe præſidia intra urbes accipere, quo certiore ſpe mœnia defendantur.* His dictis eos domum Cæſar dimittit, An. 1663

 tit,

Digitized by Google

An. 1663 tit, ut, plebem ad neceſſariam defenſionem hortando, negotium in celeritate poſitum ſubito conficerent. Tamen ad Cæſaris ſpem eventus non reſpondit: quoniam Pannonii ſive in ipſum odio, ſive Turcarum metu, ſive quod ſine ſtipendio nomen dare nollent, ſive ei parere parati, qui ab alterius injuria ſe prohiberet, negotium in Kalendas quintilis primo transferunt, poſtremo ad Ugheriſchium, quo armati convenire juſſi erant, pauci adfuere. Idibus ejus menſis ad Altemburgum pervenit Montecucculus, ibi copias omnes expectat. Quæ ubi convenere, recenſens exercitum, vix Germanorum millia decem in armis habere, Pannoniorum paucos conveniſſe reperit. Quibus rebus ſollicitudine affectus, ad Cæſarem ſcribit, *rem in anguſto eſſe, quia ſibi cum paucis Germanis ne ab rapinis quidem Turcas probibendi facultas eſſet, quum Pannonii, quod polliciti eſſent, non præſtitiſſent. Imperaret, quid faciendum cenſeret. Se ad omnia exequenda eſſe paratum, etiam ſi mors ſibi oppetenda eſset; quæ eo rerum ſtatu exoptabilis eſſet, ne ante partum navatæ ipſi operæ decus nunc, deſes oppidorum jacturas ſpectando, amitteret.* Litteris, & periculo maxime Cæſar permotus reſcribit, *in præſentia magis ſuam prudentiam, diligentiamque, quam ſuperioribus temporibus ſemper proſpere adbibuiſset, ipſum præſtare oportere; quoniam in reliquum tempus ſibi curæ foret, ut valido exercitui imperans Turcis obſiſtat. Interea Jaurinum, & Comaram milites præſidii cauſa mittat, & Vagbi fluminis ripas cuſtodiat, ut in Germaniam ingreſſu Turcas probibeat.* Hæc ubi juſſa effecit Montecucculus, Franciſco Veſelino ſcribit, *ſe Pannoniorum nobilitatem mirari, quod, ne ubi quidem, quæ poſtulaviſſent, ab Cæſare impetraſſent, ſe defendendi conſilia inirent.* Veſelinus Cæſaris quoque litteris increpatus Comaram, ubi eum eſſe ſciebat, venit. Eodem Lippajo perveniente, conſultationes habitæ ſunt. Ultro *Pannoniorum animos ſe arrigendum curaturum* Veſelinus pollicetur. Hac de cauſa Montecucculum conſulit, *quid faciendum cenſeret, ubi inſolens belli multitudo armata conveniſset. Haud dubium eſſe, eos ne oculorum quidem Turcarum acies eſſe laturos, & ſua fuga vel veteranos territuros.* Tum Montecucculus, *etiam, re ita ſe babente, magnum uſum babere* demonſtat, *armis ſumptis ad imperatum omnes venire, quum quod Turcis, Pannoniorum conſenſu perſpecto, ſpes minueretur, tum quod ex pluribus legere alacriores, reliquoſque domum dimittere poſſent.* Hoc conſilium probatum eſt. Cæterum, quo undique convenire armatos juberent, diſputatum eſt, dum unuſquiſque, ut exercitus propinquitate tegi ſua regio poſſet, tendebat. Montecucculus igitur ubi quemque per-

pertinaciter in ſibi utili ſententia perſtare animadvertit, media via conſilium init, *ut homines, quos pagi ad Danubii dextram poſiti conferrent, locum inter Papam, & Jaurinum peterent, quos vero pagi, qui ad ſiniſtram ſint, polliciti eſſent, eos Neiſum caſtellum inter Vagbum, & Nitriam flumina mitterent. Illis ubi Jaurinenſium Antiſtitem, bis Adamum Forgatium propoſuiſſent, remedium omnibus malis repertum eſſe; quia, ponte ad eum Danubii locum facto, quo in duas diffluens partes inſulam efficit, quam Schintam vocant, breviore itinere, quum uſus poſceret, ſe conjungere poſſent.* Optimum conſilium cuncti concelebrant, virique prudentiam laudibus efferunt, quod eam inire ſciviſſet viam, qua & omnibus ſatisfactum eſſet, & omnibus conſuleretur. Utinam ejus conſilia virtute confirmaviſſent: nam nihil calamitatis acceptum eſſet, etſi Acmetes, poſtquam ad menſem conſulendo traduxerat, utrum ab armis diſcederet, an ad arma rem deduceret, tandem bellum ſumere ſtatuens nihil intentatum reliquiſſet, ac meliore conſilio bellum adminiſtraviſſet. Hac re conſtituta ſubito magnis itineribus in Pannoniam contendit. In itinere concilio convocato, omnes, quorum virtus, ac in re militari uſus magni habebatur, interrogat, *quam commodiſſimam belli rationem eſſe judicarent.* Sed nihil convenire potuit, quoniam fere tot fuere ſententiæ, quot capita. Alii enim, *quandoquidem Montecucculum exiguis copiis præeſſe ſcirent, fortunæ beneficio, ac opportunitate ad rem magni momenti conficiendam uti optimum eſſe* dicebant. *Proinde nulla interpoſita mora Viennam admovendum exercitum* cenſebant. *Sperare munitiſſimam urbem, ac totius Chriſtianæ Reipublicæ arcem, priuſquam convenirent auxilia, expugnari poſſe.* His reſiſtit Halius, *quoniam & commeatu intercluſum exercitum fame periturum, & tantam audaciam, ac imminens periculum Chriſtianos omnes excitaturum haud dubium eſſe* demonſtrabat. *Poſtremo quum æſtatis extremum eſſet, etſi permiſcendæ ea res minime eſſent, tamen, niſi intra menſem oppidum expugnarent, magna cum infamia exercitum inde abducturi eſſent, ac quotidianis, & difficilibus itineribus eum eſſent confecturi.* Concludebat igitur *ſibi ſemper placuiſſe Comaram uno tempore obſidione, ac oppugnatione premere, quod expeditiore re frumentaria Danubio flumine avecta uti poſſent.* Hanc ſententiam nulla ratione ſe accepturum confirmat Acmetes, quoniam, quum eum ſuſpectum haberet, illud dediſſe conſilium conjectabat, ne tantæ rei gloriam ipſe ferret, maxime quod minoris contentionis Viennam recipere eſſe cogitabat, quam Comaram. Poſtremo etſi majoris periculi illa res eſſet, plurimum inſudare laboris eum

An.1663

non

An. 1663 non tedebat, quod opportuniſſimam ſe conſequi rem non ignorabat. Hyeme enim & Comaram, & reliqua Pannoniæ oppida ab Germania ſecluſa recepturum ſperabat. At alii *ſe certis authoribus comperiſſe* dicebant, *eſſe cum Montecucculo & numero, & uſu rei militaris non ſpernendas copias. Quid igitur temere vel longius procederent, vel munitiſſimum oppidum oppugnare adorirentur? Præſtare minoris laboris rem certiore ſpe ſuſcipere, quam majora cum periculo aggredi*. Hic ſermo inter hos congruebat; ſed quod oppidum invaderent, non conſtabat. Alii enim aliud, cujus facilius potiri poſſe ſibi perſuaſerant, aggrediendum cenſebant. His difficultatibus circumventus Acmetes, nec animo deficit, nec itinere deſiſtit. Prope enim exploratis hoſtium rationibus, pro re, & occaſione, quam fortuna eſſet datura, conſilium initurum ſperabat. Vix hoc ſibi animo propoſuerat, quum maxima ſeſe offert opportunitas. Comes Adamus Forgatius Neoſelio oppido præerat. Hic per exploratores cognoſcens quatuor Turcarum millia ab exercitu ſecluſa nihil eſſe negotii opprimere, quod aqua pontem, quo Danubium tranſierant, interrupiſſet, opportunitate uti nulla interpoſita dubitatione conſtituit. Igitur quinque Pannoniorum millibus, ac Germanorum equitum millibus binis coactis, contra Turcas magno animo proficiſcitur; temere credens, eos ne equitibus quidem pares futuros. Ita omnia gratulatione plena erant, quod Dux militibus, & milites Duci fidebant, ut nullo hortante omnes adderent gradum, & moram odio habentes vix Forgatii juſſu contineri poſſent, quin nocte iter continuarent. Forgatio ſpes amplior erat, quod magnam gloriam ſe laturum ſperabat, quum optimum belli omen acciperet, ubi primos, qui hoſtiliter Pannoniæ fines ingreſſi eſſent, temeritatis pœnitere coegiſſet. Adventante luce tanta lætitia milites iter accelerant, ut ad prædam, non ad prælium properare viderentur. Oriente ſole, antecurſores agreſtes quoſdam ad Forgatium ducunt. Hi, quæ de hoſtibus cognoviſſent, pronunciare juſſi, pontem haudquaquam interruptum dicunt, item quindecim Turcarum millia Danubium tranſducta eſſe, quorum magna pars in ſylvis ſe abdidiſſet. Cæterum viginti millia expedita citra flumen ſtare. Hæc ubi cognovit Forgatius, primo pauliſper ſilentium habet, ut, quid agere ex uſu eſſet, ſecum volvere poſſet, deinde, quantum ego coniicio, ſive ſuſpicatus, eos ab Turcis pecunia corruptos ficta ad illorum voluntatem pronunciare, ut periculum vitantes conſilio naturam viciſſe gloriari poſſent, ſive ea vera eſſe arbitratus, ſed prælio in tanta propinquitate diffugere ſe non poſſe exiſtimaviſſet,

Digitized by Google

viſſet, ſe pro hoſte eum habiturum pronunciat, quem ea militibus tradidiſſe comperierit. Magni enim intereſſe famam ſupprimere judicabat, proptera quod, ſi ſui re alacres eſſent, ut verbis feroces erant, victoriam ſe adepturum ſperabat. Sic ad vanum conſilium temeritate quoque accedente, quis rem feliciter ceſſuram ſperare poterat? Qua enim ratione milites animo non defecturos ſperabat, quum velut dedita opera ad ſupplicium ſe hoſtibus traditos cognoſcerent? Itaque ſimulatque procul majorem aciem viderunt, quam ab ſe ſuſtineri poſſet, ſubito fraude factum exiſtimantes, ut falſis nunciis fides extitiſſet, ſiſtunt gradum, & primo hortante, deinde etiam imperante Forgatio ultra progrediuntur. Incedit vero mutum agmen, atque alii alios intuentur, quod lacrymæ partem, partem dolor loqui prohibebat. Deinde quidam commiſerari fatum, pars queri fortunam, pars ſuam dolere mortem, plerique alios rogitare, quo pergerent. Erant igitur omnia timoris, luctuſque plena, tamen Forgatius inceptum perficere exoptans, neque animo ſe demittit, neque negotio deſiſtit. Fit concurſus ad eum Præfectorum omnium. Subſequuntur gregarii, ac opem ab eo poſcunt. Hac re permotus Forgatius, conſilium habet. Brevis vero conſultatio fuit; quoniam, ut omnes nullam in fuga ſalutem in tanta hoſtium propinquitate perſpiciebant, pars *adjuvandam ſuorum paucitatem loci æquitate* cenſent, *pars in deſperatione rerum animi magnitudine ſuos confirmandum*, *ac hoſtes terrendum* exiſtimant. *Nam, ſi locum ſuperiorem caperent, timoris confeſſionem exprimendo, hoſtes alacriores factos opere ſe circumvallaturos timebant. Tum quum ſubſidii ſpes nulla eſſet, aut mortem eo oppetendam eſſe, aut ſaltem deditionem ſubeundam.* Horum opinionem ea res adjuvat etiam, quod, quum vix decem hominum millia numero Turcas eſſe arbitrarentur, virtuti locum eſſe poſſe videbant, ſi, antequam reliqui flumen tranſirent, atque ſubſidio ſuis venirent, prælio dimicaretur. Hoc ut perfici poſſet conſilium, milites alloquendos Forgatius ratus, ita diſſeruiſſe dicitur. *Quo loco res noſtræ ſint, omnes juxta mecum intelligere perſuaſum mihi habeo, quum, hic dies vel maximarum victoriarum, vel periculorum initium ſit, oporteat. Reputate cum animis veſtris, quid vobis magis ex uſu ſit, præda, gloria belli, an ignominioſa mors; & quod vobis expedire videbitur, illud eligite. Hujus diei exitus ex veſtra voluntate pendet. Eventus vel proſper, vel adverſus ſit, oportet. Aut vincendum, aut moriendum eſt; media via iniri conſilium nullum poteſt. Vel vobis ſigna inferentibus non reſiſtent Turcæ, vel fugientes impune occident. Optio veſtra eſt. Si inulti trucidari cupiatis,* An. 1663

tis,

An.1663 *tis, fugæ conſilium ad hanc rem aptum eſt, at ſi victoriam adipiſci exoptetis, audacia opus eſt. Ne, quid velitis, obſcurum ſit, vel alacritate, vel vultus mæſtitia ſignificate, ut mihi conſilium capere poſſim; quoniam, ſi in vobis fidendo erravi, non committam, ut in reliquum tempus decipiar. Quis enim rei bene gerendæ occaſionem dimiſiſſet, quando veſtra alacritas in certiſſimam victoriæ ſpem me pervenire faciebat? An vobis decipiendi Ducem eſt uſus? Vel verius hoſtes ſuo aſpectu vobis animos ademerunt, quandoquidem, ubi ſigna procul vidiſtis, timor inceſſit? Forſan pluſquam hominum eorum ingenium, virtutemque eſſe vane creditis? Hoc falſum eſſe ſæpe majorum exempla oſtenderunt. Minus quam fœminarum eorum impetum eſſe ſæpe ipſi experti ſunt, quum pauci plures delevere. Hoc eſt ingens hortamen ad virtutem præſtandam. Illorum exempla vobis imitanda propono. Plana ſunt omnia audacibus, contra iniqua timidis. Audacia, non timor, pro muro habetur. Nolite quæſo hanc maculam mihi, vobiſque metipſis inurere, ut, quum victoria haud dubia alacribus eſſet, calamitatem tamen inferre patriæ veſtra ignavia, & quantum in vobis eſt, eam prodere velitis. Hoſtium numerus, an virtus vos terret? Si virtus ea in pugna patere ſoleat, quæ cujuſque animo ineſt, certe ex ea re metus non ſe oſtendit: quoniam exploratum eſt, nulli Turcas luxu fluentes, ac belli imperitos ignavia cedere. Cujus rei maximum teſtimonium eſt, quod alacres, forteſque viros morari potuiſſet nemo, quominus, ſimulatque venientes conſpexiſſent, magno animo ad vos adoriendum veniſſent. Quid igitur, ſi hic timor non officit, imbellis multitudinis impetus veremini? Quid expectatis, quin duplicem feratis gloriam, & primos patriam defendiſſe, & numeri inæqualitatem virtute adæquaviſſe? Agitedum magnum animum præbete. Enitemini, ut vincendo, & timoris ſuſpicionem vitetis, & veſtræ fortitudinis opinio apud cives, exteroſque augeatur.*
Hac oratione, ſive quod prælio ſine ignominia, & ſine detrimento abſtinere ſe non poſſe cognoviſſent, ſive quia deſperatio, & ſummæ rei diſcrimen timidos fortes feciſſet, milites permoti, Forgatio confirmant, *ſe acriter eniſuros, ut victoria penes ipſum remaneat, vel, ſi id minus poterunt, uti ſaltem funeſtam hoſtibus victoriam faciant*. Hoc ſolum præſtiterunt Germani: nam ſimul primum hoſtibus appropinquatum, ac prælium initum eſt, Pannonii omne ſubſidium non in animi magnitudine, ſed in pedibus ponunt, propterea quod numerus amplior tum viſus eſt, quam quantum eſſe & per exploratores cognoverant, & ipſi procul aciem conſpicantes, arbitrati erant. Arcte enim ſtatuerant Turcæ ordines, & pedites in terra projecti ſtabant, ut mediocrium copiarum

rum

rum ſpecies præberetur, quando amplius viginti armatorum millia erant. Sic recens Turcarum equitatus ad confectandos Pannonios immiſſus, pleroſque interficit, nonnulloſque capit. Germanorum minima pars in deditionem accepta, maxima pars fortiſſime pugnans, poſtquam luctuoſam victoriam Turcis fecit, interfecta eſt. Ubi captivi in caſtra reducti ſunt, Acmetes ad unum omnes interfici coram Goeſio jubet. Hoc duabus de cauſis feciſſe dicitur, ne Pannonii veniæ ſpem reſpicientes in Cæſaris amicitia manerent, utque ſuorum mortem ulciſceretur: nam neque bellicorum tormentorum, ac impedimentorum præda, neque victoria dolorem levavit, quod amplius ex Turcis octingenti interfecti eſſent, in iis Præfecti quindecim. Pannoniorum vero, ac Germanorum millia cæſa quatuor. Hujus pugnæ eventu ſublatus Acmetes nihil moratur, quominus Neoſelium aggredi decerneret, quum quod exteriores munitiones perfectas non eſſe compererat, tum quod rem ad defenſorum paucitatem eſſe redactam ſciebat. Re vera majorem occaſionem ei fortuna dare non potuit, ut ſibi opportuniſſimum oppidum ſine magna contentione reciperet. Facilius tamen illud expugnaviſſet, ſi nulla interpoſita mora decem equitum millia, quæ Danubium jam tranſierant, eo miſiſſet: nam vel cum præſidio mixtis aditus ad oppidum fuiſſet, vel ſaltem mille & quingentos ingreſſu prohibuiſſent, quos Montecucculus, ubi de adverſa pugna accepit, ſuſpicatus fore id, quod accidit, ſubito miſit. Igitur ex eo die dies tres in caſtris exercitum continuit Acmetes. Quarto die omnes copias flumen tranſducens, paſſuum millia tria ab Neoſelio conſedit, quinto die obſidere oppidum cœpit. Hac re ſolum contentus hoſtiliter populari agros, ac tormenta in oppidum diſponi vetuit, quia recenti clade perterritos deditione ſibi proſpecturos confidebat. Ejus rei cauſa nuncium cum litteris, quas palam perlegeret, ad Forgatium mittit, quarum ea erat ſententia, *ſe Mehemetis Turcarum Regis juſſu ad Neoſelium oppugnandum ingentem duxiſſe exercitum, cui omnino pares eſſe non poſſent Germani. Proſpicerent ergo ſibi deditione*. Addit præterea *de Regis, ac ſua optima in Pannonios voluntate*; *quoniam exercitum eo conſilio coegiſſet, ut eos in libertatem vindicaret*. Litteris perlectis, *nunquam ſe tantum admiſſurum facinus* Forgatius profitetur, *ſed oppidum defendere paratum eſſe, quoad ſpiritus eum deficeret*. Ubi reſponſum accepit Acmetes, magna indignatione exardens, tormenta contra eas turres, quæ perfectæ non erant, diſponit, ac vallo, foſſaque oppidum circumvallare inſtituit. Tum Forgatius hortatus ſuos, ut, magnum præbendo animum, de

An. 1663

An. 1663 defenſione ſe non deſperare demonſtrarent, ex oppido erumpit. Fortiter ſe geſſere Pannonii, fortiter Germani, quoniam nonnullis interfectis, ac domibus extra murum incenſis, ne cui uſui hoſtibus eſſent, ad unum incolumes in oppidum revertuntur. Hac re permotus Acmetes, non tam facile eſſe oppidum paludibus munitum, ac ab forti Duce, ſtrenuiſque militibus cuſtoditum expugnare cognoſcens, magnam hominum multitudinem ex proximis regionibus evocat, atque hanc operis rationem inſtituit, ne apertis ad aggrediendum muros contendentibus militibus tormenta nocerent. Terram primo coagmentandam curabat, ut omnino tuti ab telis eſſent, qui foſſam in juſtam altitudinem, latitudinemque perducebant. Hi terram etiam ab ſummis labiis in altitudinem jaciebant. Hanc, immiſſis in terram, religatiſque inter ſe ſudibus, diſtinebant. Ubi vero in juſtam longitudinem perducta foſſa erat, aliam tranſverſam perducebant: quæ duæ foſſæ in idem punctum convenientes anguli formam faciebant. Sic angulatim opus terra protectum ita procedebat, ut ſeni ab fronte Turcæ ſine periculo mœnibus appropinquare poſſent. Conati ſunt obſeſſi opera eruptionibus diſturbare, ſed, quoniam partitis temporibus decem prætorianorum millia adminiſtros tutabantur, in oppidum rejecti ſunt. Magnum præterea cratium numerum, quibus foſſam compleret, expediri, ac pontes celeriter fieri Acmetes imperat, ut uno, eodemque tempore omnes adire poſſent. Dum hæc ad Neoſelium geruntur, Lippajus, Veſelinus, Nadaſtiuſque Poſonium veniunt. Hoc ubi cognovit Montecucculus eo contendit. Paucis poſt diebus Joannes Rotalius ab Cæſare miſſus eodem pervenit. Ibi conſultationes habitæ, ſi fortaſſe ratio aliqua obſeſſis opem ferendi iniri poſſet. Sed omnibus viſum eſt exiguis copiis tantam rem aggredi periculoſum, præcipue ſi Pannonii omnes, qui per ætatem arma ferre poſſent, ſe ſibi non conjungerent. Sed hoc difficillimum eſſe non ignorabant, quod etſi toties id polliciti erant, tamen pluribus illatis cauſis nunquam fidem exolverant. Litteris ergo eorum animos tentandum ſtatuunt. Sed ſurdæ optimis omnibus conſiliis eorum fuere aures: nam Poſoniates, quæ eſt urbs ad Danubium poſita, atque ob hanc rem maxime opportuna, intra mœnia accipere poſſe armatum præſidium negaverunt, etſi Montecucculus, Rotaliuſque ad perſuadendum acriter eniſi ſunt, magnum totius Pannoniæ defenſionis momentum in eo oppido retinendo conſiſtere, quoniam, eo occupato, in ulteriores regiones Vaghum flumen tranſeuntibus Turcis gradus foret. Rebus his nequicquam tentatis, ſtatuit Montecucculus parvas manus in expeditionem mittere, ut illæ itinera inſe-

Digitized by Google

infeſta Turcis redderent, ne expeditiore re frumentaria uti poſſent. An. 1663
Mittitur hac de cauſa cum millibus equitum binis Comes Joannes Sporchius: qui ubi Turcas firmiſſimo præſidio commeatus ducere cognovit, & in quinque equitum millia incidit, ſatis habuit, paucis amiſſis, ſe in caſtra conferre. Ex equitibus tres captivi ad Acmetem perducuntur. Qui per eos Germanorum paucitatem cognoſcens, conſilium cœpit nocte viginti hominum millia ad caſtra adorienda mittere. Ne vero oppugnatione deſiſtere cogeretur, Scythas, alioſque, quibus ad oppugnandum non utebatur, eo contendere jubet. Dux vero omnes excuſat, quod Scythis nec caſtra, nec oppida oppugnandi, nec acie dimicandi uſus eſſet. Suos excurſionibus, populationibuſque meliores eſſe, quam pugna. Hac ſpe excluſus, ſecum reputat Acmetes, utrum obſidionem relinquere expediret, ut Germanos deleret. Non ignorabat, pulſo exercitu, & Neoſelium, & alia oppida ſe eſſe recepturum, ſed timebat, ne conſilio, vel caſu Montecucculus periculum vitaret; & ſic fama exire poterat, ſe infecta re diſcedere, coactum fuiſſe; quod, utpote ignominioſum, Turcarum animos ab ſe avertere poſſe conjectabat. Earum rerum cauſa ſatis habens in inceptum perficiendum inſiſtere, & Scythas in expeditionem mittere, rationem hujus rei perficiendæ quærit. Captivos ergo ad ſe perduci jubens, eos interrogat, utrum periti earum regionum eſſent. Quinque reperti ſunt, qui ſe locorum ſcientes eſſe profeſſi ſunt. Quos magnis præmiis, pollicitationibuſque excitatos ad concilium adhibet. Captivi fidem poſt promiſſa ducentes, ſe itineris duces pollicentur. His fidens Acmetes, Damaſci Præfecto imperat, ut Scythis hominum millia ſena adjungens, ubi primum per captivos vadum reperiretur, ripas occuparet, & firmiſſimo præſidio teneret, quoad Scythæ reverterentur; ne reditu ab Germanis interclusi deditionem ſubire neceſſe habeant. Juſſa & ipſe, & Scythæ efficiunt: nam, utraque Vaghi fluminis ripa occupata, Scythæ prope Freiſtelium vado tranſeunt. Major pars difficilibus itineribus per montes, ac invia loca in Moraviam contendit, reliquorum pars Sileſiam, pars Boemiam petit. Et res ex ſententia ceſſit; quoniam incautos, inopinanteſque agreſtes nacti, partem eorum interficiunt, nonnullos fundunt, pleroſque capiunt. Sic ferro, & igni agris hoſtiliter depopulatis, fumantibus paſſim tectis, magno jumentorum, ac hominum numero capto, repetere iter pergunt; & homines, quos imbecillitas, aut ætas ipſorum iter adæquare prohibebat, crudeliſſime interficiunt. Dum caſtra repetunt, Dominicum Ligoem e Societate Jeſu prope Tirnaviam capiunt.

An. 1663 Qui ab Joanne Gregorio Giga Valachiæ Principe redemptus, egregiam religioni operam præſtare valuit. Nam ubi in Gigæ conſpectu fuit, oculis nunc cœlum, nunc terram intuens, eum excitavit, ut, quid ſibi vellet, ex ipſo quæreret. Tum Ligoes lachrymarum plenus, *ſe Chriſtianæ Reipublicæ fortunam miſereri* dicit, *quod eos cum ſuis innatis hoſtibus illius evertendæ conſilium inire videat, qui in illorum perniciem conſpirare jure tenerentur*. Hæc ubi cum aſſenſu audiri intellexit, alia addens, ut eum ab Turcarum amicitia averteret, effecit. Hac re compoſita, Comaram Ligoes petens, Comitem Buſeinum de Gigæ voluntate docet. Denique, communicatis conſiliis, ſecreto in Turcarum caſtra redit, atque Gigæ de Buſeini conſilio perſuadet, ut amicitiam cum Nicolao Serino inſtituat. Pollicetur Giga, atque miſſis, remiſſiſque nunciis, ubi tempus ſtetit, utrique ad locum ambobus placitum acceſſere. Salute data, atque reddita, Turcarum conſilia ei enunciat Giga; atque ſe enixe conſilio, & re Chriſtianos juvaturum ſacramento confirmat. Re vera hujus opera plurimum Chriſtiana res adjuta eſt: nam, quum Acmetes parum contra Neoſelii præſidium profici videret, & ſuſceptam rem dimittere nollet, Montecucculi caſtra adoriendum ſtatuerat, ut, hac re bene geſta, hominum opinionem teneret. Magnam exercitus delendi ſpem habebat, quum quod inter captivos, ac exploratores omnes ſermo ille congruebat, vix ſeptem millia numero Germanos eſſe, tum quia idem ex eo cognoſcebat, quod neque excurſionibus occurrere, neque obſeſſis opem ferre Montecucculus valeret. Quod ubi cognovit Giga, Scythas, Moldavoſque hortatur, *ut, quoniam proſpere excurſiones experti eſſent, locupletes fieri velint. Magnum uſum habere, cum ingenti gloria, prædaque domum ſe recipere. Se etiam cum ſuis in eandem belli rationem inſiſtere cupere, quod conſilium explicare nihil periculi eſſet*. Pauciora verba avidiſſimos homines latrociniis natos accendiſſent; propterea Præfectos orant, ut hanc facultatem ab Acmete obtineant. Præfectos eadem excurſionum cupido tenebat, tamen cruciatus veriti, legationis munus pro ſe recuſabant. Hoc ſimulatque cognovit Giga, egregiam in Turcas voluntatem ſimulans, Acmetem adit, ac docet, *Scythas ægre pati, quod ab rapinis contineantur. Magni intereſſe, militibus morem gerere, ut poſtea, quum uſus venerit, ipſius gloriam propria ſalute cariorem habeant. Se ultro legationem ſibi ſuſcepiſſe, ne quid detrimenti accipiatur; quoniam inſequente anno non eſſe ſe reverſuros Scythæ confirmarent*. His rebus permovetur Acmetes, quum quod, ne tumultus Scythæ excirent, timebat, tum quia difficile poſſe bellum trahere cogno-

gnoſcebat, ubi Scytharum auxilia deſideraret. Igitur poteſtate facta iterum in Moraviam Scythæ contendunt. Ibi omnia incendunt, atque in homines, quos capiunt, ſuæ ſævitiæ exempla ſtatuunt. Hæc res tantum tumultum præbuit, ut alterius excurſionis memoria, & Caroli Leopoldi fratris, qui Vienna Lentiam diſceſſerat, fuga perculſi unam ſalutis ſpem in pedibus ponerent. Sed omnes ſternit improvida fuga. Conatus eſt Sporchius cum equitum millibus binis Scythas conſectari, ſed, ut illi, ubi recentes equos nanciſcebantur, in eos ſe inferebant, periculum vitant; atque ſine vulnere ingenti præda potiti in caſtra ſe conferunt. Hæ excurſiones etſi omnes magna formidine impleverant, tamen magnum habuerunt ad Pannoniæ ſalutem momentum, quod Montecucculi exercitum adoriri Acmetes non potuit. Harum rerum cauſa quanta ſollicitudine Montecucculus afficeretur, explicatu difficile eſt; ſolum conjectare libet, longe clariſſimum ea tempeſtate Ducem maximum ex ea re capere dolorem, quod inutilis ac ſupervacaneus eſſe videretur, quum Turcarum conſiliis non officeret. Mihi autem Germanorum paucitatem, ac Turcarum multitudinem conſideranti ſatis eſſe viſum eſt, eum non modo nullum accepiſſe detrimentum, verum pluries levibus præliis hoſtes fudiſſe, præcipue quum accederet, quod plus ab Pannoniis, quam ab Turcis timere cogeretur. Poſonio ergo præmetuens, quia oppidani recipere præſidium mœnibus nolebant, eo cum exercitu contendit. Sperabat, vel propinquitate opportuniſſimum ſibi oppidum defenſurum, vel, miſtis vi precibus, ab oppidanis, ut Germanos in urbem acciperent, obtenturum. At ubi eo pervenit, locum idoneum caſtris invenire non valens, itemque pabuli inopia affectus, caſtra movere conſtituit. Ad hoc conſilium ineundum illa etiā res hortabatur, quod Poſoniates eo pertinacius in ſententia perſtare animadvertit, quo tutiores ab repentino Turcarum impetu propinquitate exercitus ſe eſſe cognoſcebant. Profectionem jam paranti Gigæ litteræ redduntur, *Acmeti in animo eſſe Poſonium occupare*. Ob hanc rem caſtra non procul urbe ad Danubii amnis dextram ponit. Acmeti ſimulatque Montecucculum caſtra moviſſe nunciatum eſt, alio iter eum direxiſſe credens, ſubito quindecim Turcarum millia Poſonium mittit; ut opportunitate data oppidum fraude caperent, vel præmia, formidinemque oſtentando, oppidanos ad ſtudium ſui perducerent. Cuſſein Temeſuariæ Præfectus, cui id negotii datum erat, rem ſuſcipiens, ſub ſolis occaſum duo paſſuum millia ab oppido conſedit. Sub veſperum quingentos equites mittit, qui nocte ſuburbiis ignem inferrent. Rem conſecuturum confidebat, ubi, re improviſa perterritis oppida-

An. 1663

An. 1663 danis, mœnia aggrederetur. Ad ſpem tamen eventus non reſpondit; quoniam inſidias poſitas cognoſcentes oppidani, rem ad Montecucculum deferunt; ab quo ſubito tria equitum millia miſſa Turcas conſectata ſunt. Cuſſein Montecucculum adeſſe arbitratus, maxima difficultate afficitur, qua ratione obſiſtere ei poſſet. Idcirco inter Præfectos variæ fuere ſententiæ. Cuſſein de tertia vigilia ad ſalutem contendendum cenſere, alii conſilium improbare, quod timorem ſignificari turpe ducebant, quodque rem in periculum venturam ſuſpicabantur, quum perterritus miles fuga ſalutem eſſet petiturus. Quum eſſet pluribus diſputatum, prima ſententia obtinuit, quum Cuſſeinis authoritate, tum quod tutius conſilium reliquis viſum eſt. Tantuſque fuit omnium timor, ut profectio fugæ conſimilis videretur. Equites ab Montecucculo miſſi ignari hoſtium numeri, & timoris oppidum metu liberaviſſe contenti, in caſtra ſe conferunt. Dum hæc geruntur, jam obſeſſorum conſtantia Acmetem quoque conſtantem effecerat, quod turpe ſibi juxta, ac periculoſum eſſe intelligebat, ſuum exercitum paucorum virtutem adæquare non poſſe, quum, ne culpa in ſuam imperitiam ſummo cum ſui capitis periculo coniiceretur, timeret. At nunc, Cuſſeinis fuga cognita, ſibi diffidere cœpit, propterea quod ſua incepta non procedere videbat, atque Cuſſein amplius triginta hominum millia in armis Montecucculum habere dixit, ut ſic ſuæ fugæ ignominiam tegeret. Quibus rebus permotus, confeſtim contra exteriorem hoſtem munitiones perfici Acmetes jubere, exploratores circummittere, dolere, quod vano incepto diſcedendum ſibi eſſet, ſi illico cum exercitu Montecucculus veniret. Ei tamen timorem minuunt tres Germani ab exploratoribus capti: quoniam per eos falſa ea eſſe, quæ Cuſſein commemoraverat, comperiens, majore conatu in oppugnationem inſiſtit. Jam oppugnationis initio tumulum terreum ab ea parte, quæ ad meridiem ſpectat, prope portam, quæ Viennenſis appellatur, excitaverat, ibique tormentis collocatis, detrimentum magna ſpe templis, domibuſque in altum patentibus infert, quod ea re territurum defenſorem, & coacturum ad deditionem oppidanos confidebat. Ubi vero tantum laborem fruſtra ſumi cognovit, terra coagmentata tumulum extollit. Hæc quidem res magnum habuit ad rem conficiendam momentum. Tormentis enim iis, qui ſe ex oppidi vicis oſtendebant, nocebatur, & exploratores omnia, quæ in oppido gererentur, cognoſcebant. Eodem tempore tribus in locis in munitionum non perfectarum perniciem diſpoſita tormenta tantum profecerant, ut, muri parte everſa, aditus Turcis ad oppidum eſſe poſſet, præſertim

quum

quum pontes, ac opera inſtituta jam eſſent perfecta, adeo ut ex oppido in aggreſſores non eſſet proſpectus. His rebus omnibus, ut animus Turcis amplior erat, non minori ſpe, quam conatu opus prope Viennenſem portam aggrediuntur. Hoc ut novum extitit obſeſſis, locum validiore præſidio non firmaverant. Ob hanc rem primo impetu Turcis ſucceſſit, ut locum per vim caperent. Quod ſimulatque ab defenſoribus cognitum eſt, tanta vi in hoſtes ſe eiiciunt, ut eos loco depellerent. Aderat Turcis Halius. Hic cupidine ea captus, ut ab ſe victoria inciperet, ſuos metu, precibus, præmiis, pollicitationibus, fletu, miſeratione, ac quibuſcumque rebus poteſt, ad virtutem excitat. Pugnatur utrinque, ut pugnari ab illis pro ſalute, ab his pro gloria, ac præmiorum ſpe debuit. Et licet magna vi utebantur Turcæ, adeo ut ſepties in munitiones evaderent, tamen ſepties ab Germanis repelluntur. Tandem, ad mille amiſſis, receptui Acmetes cani jubet. Milites magna cupidine ignominiæ delendæ in caſtra ſe recipiunt. Acmetes etſi rem non ſucceſſiſſe vidit, tamen, ubi militum ardorem cognovit, ſpes certior quamprimum oppidi potiundi ei accedit. Poſtridie pugnæ facultatem poſcentibus id concedere noluit. Hoc duabus de cauſis feciſſe dicitur, quod magni intereſſe judicabat certaminis mora ſtudium militum, ut fit, augere, & quod, tormentorum uſu majore muri parte procumbente, faciliorem aditum ſuis ad urbem patere poſſe confidebat. Igitur ſimulatque non modo muri, ſed turris magnam partem everſam eſſe cognovit, majore, quam antea, conatu tentare mœnia decernit. Quumque milites alacres eſſe animadverteret, tamen oratione, pollicitationibus, & conſilio eos alacriores efficere ſtatuit: ſperabat, ad æmulationem rem deduci poſſe, ubi tribus in locis tres manus pugnarent. Hæc quum ita eſſent, atque res nulla ad Turcarum alacritatem deeſſet, adeo ut ii, qui turrim, Fedirichinam nomine, aggrediebantur, eam occuparent, tamen, quia obſeſſi ita pugnabant, ut nullum aliud tempus ad conandum habere arbitrarentur, Pii etiam, ac Locatelli Cohortis Præfecti exemplo excitati, Turcas in caſtra repulerunt. In eadem fortuna fuerunt aliæ manus, quæ aliis locis in oppidum irrumpere conabantur. Eo die duo circiter Turcarum millia, & ex obſeſſis minus ducenti deſiderati. Acmetes, tanto accepto detrimento, animo non defecerat, immo in ſpem aſſequendæ rei ſe erexerat, propterea quod, quum Montecucculus nulla re ab Pannoniis ſublevaretur, ejus copias augeri non poſſe ſciebat, ita ut opem ferre obſeſſis poſſet. Obſeſſis nullo auxilio confirmatis ſuccumbendum ad extremum eſſe eum non fugiebat. Tamen ubi militum jacere animos vidit, An. 1663

An. 1663 dit, quod ſuos conatus fruſtra eſſe cognoſcebant, magna difficultate afficitur, quemadmodum eorum arrigeret animos. Igitur ordines circuit, atque omnes hortatur, *ne negotio deſiſterent. Sequentem diem finem laborum fore. Omnium laborum fructum in eo conſiſtere, ſi magno animo tertium muros invaderent. Præſidium leve Neoſelio impoſuiſſe Germanos: majorem partem perire tot pugnis neceſſe fuiſſe: muri tantum concidiſſe, ut ſibi ferro viam aperire poſſent: ſi ſuis dictis audientes eſſent, fore, ut primo impetu, quidquid exauſtum ſit laboris, confirmarent. Ad famam Turcarum nominis pertinere, quum Turcas milites eos eſſe apparuerit, ut non tædium oppugnationis, non hoſtium virtus, non pericula ab mœnibus eos amovere valeant. Eo ſpectarent, ut munitiſſimo expugnato oppido, & gloria immortales, & præda locupletes ſint. Hoc inceptum ſi perficerent, magnum momentum ad famam, ad orbis terrarum opinionem, ad cætera bella futurum. At ſi vanum fuerit, omnes molles, inerteſque Turcas eſſe deſpecturos, quod eos nunquam ſeræ ſpei exitum expectare cognoverint*. His pauca ad ſpem præmiorum addens, effecit, ut maximum rei perficiendæ ſtudium omnibus innaſceretur. Turcas fortiter ſe gerentes fortuna, in rebus bellicis potens, adjuvit, quod pugnæ tempore incertum caſu, an alicujus perfidia tormentarius pulvis ignem comprehendens, horrei, ac proximarum domum ruina ad ſexaginta milites interfecit, reliquoſque inopinata re ita perterruit, ut niſi Forgatius, Piuſque ſigna fugientium manu prehendiſſent, atque magna ope eniſi eſſent, ut vanus abiret terror, certe Turcarum conatui locus datus eſſet. At ubi obſeſſos pudor tenuit, ſuam pro viribus non probare operam, quando Præfectos ſtrenuorum militum munia obire videbant, magno impetu Turcas depellunt. Tum maxime Turcas miraculum obſtinatæ defenſionis veluti obſtupefactos primo tenet, deinde multo firmius præſidium, quam re vera eſſet, oppidum defendere arbitrati, palam de relinquenda obſidione conſilia inire incipiunt. His rebus obviam eundum curat Acmetes, ne ſua ſalus in diſcrimen veniat, quum, re male geſta, invidis ſe ad Regem criminandi locus daretur. Igitur ſingulos Præfectos, militeſque fatigare, univerſos hortari, precari, monere, orare, ne tanta ignominia Turcarum notarent nomen. Sed ubi ſurdas ad preces aures eſſe vidit, minitari gladio, iraſci eis, quos conſilii principes eſſe arbitrabatur. Nihil minarum, vel pollicitationum relictum erat, & tamen ægre patiebantur milites quartum periclitari tanto cum ſuo periculo fortunam. Sed ſi Acmetes Turcarum ignavia diverſus agitatur, Forgatium, Pium, reliquoſque, qui bellicæ laudis opinionem primam

habe-

Digitized by Google

habebant, Pannoniorum perfidia ſollicitos habet. Nam quum Forgatius munitiones excitandas curaret, ut alium impetum ſine periculo ferre poſſet, lamentabilis puerorum, mulierumque ululatus milites ita excitavit, ut ad ſtudium audiendi ferrentur. Harum aliæ multis cum lacrymis Pannonios orabant, *uti ſibi, omnibuſque conſulerent, neu eo rem deducerent, ut extremis rebus ad deditionem recurrentibus Turcarum ſævitia non parcat*, pars caſum dolebant, atque ſuam, liberorumque miſerabantur fortunam, pars liberas non mittebant voces, ſed gemitibus, ploratuque omnia implentes, defenſoribus ſpem, animoſque minuebant. Hoc ægre ferentes Germani, eas confirmare ſtudent, *atque, munitionibus excitatis, nihil eſſe periculi* docent. *Ne timeant, ſeque muros, libertatemque defendere ſinant*. At illæ eo pertinacius lamentabiles, ac flebiles gemitus ex imo dare, atque pueros, ut ſuam miſeram dolerent conditionem, hortari; Pannonios increpare, quia immobiles ſilerent, & tantum civium charitas apud eos non poſſet, ut eis proſpicere vellent. Itaque tantum augetur luctus, ut ad clamorem Forgatius conveniret. Qui ut documentum de deditione eo tempore non cogitandi militibus daret, magnis verborum contumeliis ſexus imbecillitatem increpans, omnes domum ſe recipere jubet. At ut mortis timor eas pertinaces effecerat, majori, quam antea, fletu, ut ſuæ ſaluti provideat, petunt. Tum Forgatius Germanis, qui aderant, mandat, ut verberibus in eas animadvertant, quæ non e veſtigio domum diſcederent. Major pars timore pœnæ adducta illico diſceſſit, pars tum domum ſe confert, ubi Germanos ad Forgatii juſſa efficienda paratos videt. His rebus permoti Pannonii, qui oppido præſidio erant, inter ſe colloquuntur. *Jam opera contra oppidum proceſſiſſe. Jam murum collapſum eſſe. Jam ſubſidii ſpem evanuiſſe. Quid extremam tentarent fortunam? Quid ad ultimum ſupplicium progredi cuperent? Se non pro patriæ libertate, ſed pro ſuperbo Germanorum dominatu pugnare. Dementiæ eſſe, magis unius, quam alterius ſervitutem pati exoptare. Se ſeu Turcis, ſeu Germanis parere cogi. Cur pro alio contra alium pericula obirent? Optimum eſſe, ne in periculum ſalus veniat, ei portas aperire, quem potentiorem cognoſcerent, ut ab alterius injuriis ſe prohibeat*. His, atque aliis omnes Pannonii ita permoventur, ut negotium uni darent, qui omnium verbis Forgatio nunciaret, *ſe deditione omnium ſaluti proſpicere ſtatuiſſe. Id malle Præfecto authore fieri. Si eum ab hoc conſilio alienum cognoſcant, ſeſe ſeparatim de ſua ſalute cum Acmete agere paratos eſſe*. Horum perfidia maxime permovetur Forgatius; ſed ad ſanitatem eos reducere An. 1663

Z poſſe

An. 1663 poſſe ſperans, omnia præſidia circuit, atque cunctos hortatur, *ne tam turpiter ſacramenti, quod apud ſe dixiſſent, memoriam deponerent, neu, munitiſſimum oppidum earum regionum arcem hoſtibus tradendo, Patriam proderent. Eo ſe rem deduxiſſe, ut Turcarum impetus non extimeant. Omnium rerum copiam ſuppetere. Sperandum eſſe, etiam nunc ipſos eſſe Turcas repulſuros; quos toties, magno illato detrimento, rejeciſſent, maxime quod cito auxilia eſſent conventura. Totius Pannoniæ, totius Chriſtianæ Reipublicæ oculos in ipſos verſos eſſe. Si vanus terror ad turpem deditionem hortetur, gloria, atque patriæ ſalus ad neceſſitatem extrema audendi eos ſubigat. Se, alioſque Præfectos extrema tentare paratos eſſe, cur eandem fortunam ferre recuſarent ipſi? Jam exploratum eſſe, Turcas magis dolo, quam virtute contendere. Eos, quod alacritate cum Chriſtianis exæquari ſe non poſſe cognoſcant, inſidiis niti, ut ſaltem ea re illos ſuperarent. Pluries majores ſuæ fortitudinis fructum percepiſſe, quum Chriſtianis, & Pannoniis digna opera edidiſſent, ignaviæ vero pœnas tuliſſe, quum eorum fidem ſe eis dedendo experiri ſtatuiſſent. Illos & divini, & humani juris expertes eſſe conſtare, maxime quod injuſtum intuliſſent bellum, poſtquam pluries eam mentem ipſis non eſſe profeſſi eſſent. Non eſſe dubium, eos omnia eſſe promiſſuros, ſed periculum eſſe, ne omnia non præſtent. Quid igitur eis ſe committerent, quibus ne Deus quidem ſanctus ſit? Eos jus gentium violare turpe non ducere, quum ſine fide captivos palam trucidari Acmetem juſſiſſe conſtaret.* Hæc, & his ſimilia ab Pio, Locatello, & aliis dicebantur. Tamen ſemper una erat omnium vox, *ſe ſummæ dementiæ accuſandos eſſe, ſi aliorum pertinacia ſuam ſalutem in dubium devocare vellent.* Pius ubi hac ratione nihil profici vidit, eam inire viam ſtatuit, qua præmiis captos ad ſanitatem reduceret. Sed ſimulatque hoc quoque fruſtra eſſe animadvertit, tanto malo omnino occurrere paratus, gladium ex vagina educit, atque duos ex omnibus arrogantiſſimos interficit. Tum Pannonii pro ſano nihil facere cupientes, in eum impetum faciunt. Atrox certamen adeſt, quod eum Germani defendunt. Eo convenientibus Forgatio, reliquiſque, prælium dirimitur. Pannonii fuga ſe in muros conferunt, reliquoſque ad furorem impellunt. Ex contagione urbs tota ſeditionibus impletur. Uni Germani in officio erant, & neque laborem, neque periculum recuſabant, dummodo patriam non abiicerent virtutem. Forgatius, Piuſque vix de perfidia Pannoniorum cogitant, adeo alia ſuperabant mala: quia, quum eos Turcis portas aperituros, vel ſaltem conſilia eſſe enunciaturos timerent, in eam rem eorum mentes trahebantur. Ob hanc cauſam concilium convocatum eſt. Brevis

Digitized by Google

viſ conſultatio fuit, quod omnes *ad virtutem hortandos milites* cenſuere: *qui ſi in ſententia perſtarent, ſtatim legatos de deditione ad Acmetem mittendos, ne incommoda cognoſcens opportunitate uteretur*. Locatellus ſe ad milites iturum pollicetur: ſperare, eos conſilium mutaturos, cognita defenſionis neceſſitate. Hac poteſtate facta, omnia, & ſingula militibus exponit, quæ Forgatium commemoraviſſe diximus, aliaque addit, quare majus periculum ſe dedendo impenderet, quam ſe defendendo. At illi ſe ſtatim ab eis conſilium ſeparaturos eſſe profitentur, niſi illico de deditione legatos ad Turcam mitti videant. Tum Locatellus graviter eos increpans, quos ſeditionis authores arbitrabatur, omnium iram ita acuit, ut eum de muro præcipitare conſtituerent: qui ægerrime ex periculo Germanorum præſidio ſe eripuit. Hoc ſimulatque nunciatum Forgatio eſt, non expectandum ſtatuit, dum hoſtibus locum in oppidum introeundi ſeditioſi darent: idcirco ſubito legatos in caſtra mittit. Quos ubi vidit Acmetes, gaviſus, omnia, quæ petierunt, eis conceſſit; & quod difficile id accidere poſſe arbitrabatur, quod ſummopere exoptabat, fraudem veritus, *ut duos obſides ſibi darent* poſtulat: *ſe duos Præfectos obſidum nomine ea lege Comaram eſſe miſſurum, ut ii capite luerent, per quos ſtetiſſet, quominus pacto ſtaretur*. Hoc ubi obſeſſi fecerunt, veluti explorata victoria, gaudet. Duos Præfectos ſtatim Comaram contendere jubet, qui ibi obſidum loco eſſent. Negat Buſeinus oppidi Præfectus ſe poſſe eos recipere mœnibus. Illi ubi ad multam noctem fruſtra expectavere, in caſtra redeunt. Buſeinus de hac re Cæſarem certiorem facere neceſſarium ducens, ut ad id ſibi conſilium capere poſſet, celeriter nuncium ad eum cum litteris mittit. Qui eodem tempore revertitur, quo milites, qui Neoſelio præſidio fuerant, cum carris ad trium millium numerum, magna ex parte Germani venerant. Pannonii enim ut proditionis fructum perciperent, in oppido remanſerant. Germani ergo maximo dolore afficiuntur, quod Cæſar reſcripſerat, *Forgatium, reliquoſque de obſidione tolleranda hortaretur: ſex dierum ſpatio Nicolaum Serinum opem eis eſſe laturum*. Propterea Pannoniorum mobilitatem deteſtantur, quod durare exiguum temporis ſpatium non valuiſſent, ut defenſi oppidi gloriam ferre potuiſſent. Tantaque ira, ac pudor eos tenebat, ut immobiles terram intuerentur, & publicum aſpicere nollent. Haud dubium erat, quin eorum manus ab iis non abſtinuiſſent, quorum levitate, & perfidia tanta opportunitas corrupta eſſet, ſi eorum copia ipſis fuiſſet. Buſeinus, Cæſaris litteris perlectis, nuncium remittit, qui eum doceret, *ſuis precibus non fuiſſe* An. 1663

An.1663 *ab Forgatio locum datum, quod oppidum deſerere Pannoniorum cauſa neceſſe habuiſſet.* Quibus rebus commovetur Cæſar, eo magis quod maximum uſum habuiſſet longinqua oppugnatio; ubi, bello in hyemem ducto, quæ jam ſuberat, alias res interim Turcæ aggredi nequiviſſent. Igitur merito Præfectis ſuccenſendum ratus, ut eos in liberis cuſtodiis habeat, Buſeino mandat. Hic juſſa ſubito exequitur. Forgatius unus, quia diſceſſerat, ſero in vincula conjectus fuit. Tandem tum de eo, tum de aliis quæſtione habita, omnes noxæ exempti ſunt. Acmetes magni referre arbitratus ad Pannoniorum opinionem, promiſſa præſtare, ne nullam in deditione ſalutem perſpicientes extrema auderent, pacto ſtare decrevit, adeo ut de quibuſdam Scythis, qui in Germanos impetum facere cœperant, ſupplicium ſumeret. Ubi igitur magna lætitia Neoſelium ingreſſus eſt, duplici ſtipendio Pannonios deditionis authores donat. Sic, quibus rebus poteſt, Pannoniorum animos ſibi conciliare ſtudet. Mittit Iſmaelem fratrem ad Mehemetem Regem, qui eum de omnibus doceret, ſimulque conſilia communicaret. Quumque nihil interea, niſi de ejus conſilio ſuſcipere vellet, ne deſes tempus terat, in firmandum munitionibus Neoſelium, atque in opera ab ſe contra oppidum excitata evertenda inſiſtit. Edictum præterea tota Pannonia evulgandum curat, *uti Pannonii potius ſuam fidem, quam vim experiri velint. Sed, ſi ſubito jurandi cauſa convenirent, non modo nociturum nemini, verum etiam præmiis omnes remuneraturum, & omnium rerum immunitatem ſex annorum ſpatio conceſſurum; eoque tempore tranſacto, levi imperio habiturum.* Edictum magnam difficultatem Cæſari attulit, quod nonnulli ex præmiis, quæ conſecuti ii erant, qui apud Acmetem Neoſelii remanſerant, conjecturam capientes, ſe ei recte eſſe commiſſuros, ſe in poteſtate Turcarum Regis, atque in Acmetis arbitrio futuros juraverunt. Hic quoniam nullam Pannoniorum in Cæſarem volutatem fuiſſe, & ſupra eorundem mobilitatem maximam fuiſſe demonſtravi, neceſſarium duxi pauca de eorum legibus, moribuſque, præterea de regionis ſitu, atque aliis hujuſcemodi dicere. Pannonia olim initium capiebat a Myſia, continebatur Savo flumine, Illyrico, Norico, Danubio, finibus Jazygum, & Metanaſtarum. Dividebatur in inferiorem, & ſuperiorem. Superior ad occaſum vergebat, & Auſtriæ partem, quæ ad orientem pertinet, maximam Stiriæ, & Carniolæ; non minimam Sclavoniæ partem etiam complectebatur. Inferior ad orientem ſpectabat, & magnam Hungariæ citerioris, & Sclavoniæ partem comprehendebat. Nunc vero Pannonia, quæ Hungaria dicitur, ab oriente

Tran-

Tranſylvaniam, ab meridie Serviam, Boſſenam, & Croatiam, ab occidente Stiriam, Auſtriam, & Moraviam, a ſeptentrione Sarmatiam fines habet. Sic hodie Hungaria tertiam partem in vetere Pannonia habet. Dividitur a Danubio flumine in duas partes. Pars, quæ citra Danubium eſt, citerior, quæ vero eſt trans hoc flumen, ulterior appellatur. Hungaria primo in quatuor & triginta pagos (Comitatus ipſi appellant) poſtea in quatuor & quinquaginta diviſa eſt. Ex his pagis ſex & viginti ſub Turcarum Regis, reliqui ſub Leopoldi ditione ſunt, præter maximam Cæpuſienſis pagi partem, quæ eſt ſub Sarmatiæ Regis imperio, & quatuor pagos ultra Tibiſcum, verſus Carpathos montes, quos Tranſylvaniæ Principes in poteſtate habent. Quum igitur Hungariæ non ſemper iidem fuiſſent fines, ideo nos latine Pannoniam eam dicimus. Hujus regionis pluribus in locis obſcurus aer eſt, licet cœli temperatio commendetur. Mira eſt terræ fœcunditas, quum frugum omnis generis, atque vini copia ſuppetat. Inveniuntur ibi æris prope omnis generis, ac optimi auri venæ. Creberrima ſunt oppida, caſtella, ædificiaque: pecoris magnus numerus: apti venatibus, aucupiiſque ſaltus: piſcium tanta copia, ut in proverbium veniret, Tibiſcum tertia parte ex piſcibus conſtare. Sunt plura flumina, quorum nobiliſſima videntur Danubius, Saus, Draus, Savaria, Corcora, Arrabo, Tibiſcus, Granus, Mariſius, Cuſus, Aliſtius, Bacuntius, Valdamus. Reliquorum nomina, quæ navigabilia non ſunt, referre longum eſſet, ſolum de aquarum fontibus novitatis gratia, pauca dicere non ſupervacaneum ducimus. Sunt enim pluribus in locis calidæ aquæ, quibus ægroti lavantur: ſed aliæ ita ebulliunt, ut alia aqua temperentur, oporteat, aliæ ſuaviter calent. Ad Vagum flumen non procul Galgocio aquæ calidæ non ſcatent, ſed, ſi alveo ſe flumen teneat, in glarea, ſi ripas ſuperet, ibi ſcrobes ſunt fodiendæ, ubi, flumine non reſtagnante, aqua non invenitur. Aliis locis aquæ manant, quæ ferrum erodunt, vel lapideſcunt. Ex quibuſdam fontibus ſi animantia bibant, intereunt. Ex his fontibus unus creſcente luna augeri, deficiente minui dicitur. Aquæ & acidæ ſcatent, quæ pleneticis mirum in modum proſunt, & ſalſæ, ex quibus optimus ſal excoquitur. Et hæc de fontibus innuiſſe ſatis ſit, nunc de gentibus, quæ Pannoniam habuerunt, dicamus oportet. Omiſſis igitur iis, quæ de primis hujus regionis cultoribus dicuntur, utpote ea, quæ nobis non conſtant, dicere contenti erimus, Gothos Pannoniam perdomuiſſe, & incoluiſſe, donec Hunni eos acie dimicantes pluries ſuperarunt, expugnatiſque oppidis, ibi conſederunt. Sic Pannonii in jus, & victorum nomen conceſſerunt, An.1663

adeo

An. 1663 adeo ut Hungari pro Hunnis dicerentur. Hunnorum tanta erat audaciæ, ſævitiæque apud omnes opinio, ut non deeſſent, qui eos a dæmonibus genus ducere fabularentur. Re vera Hunni loca circa Mæotidem Paludem incolebant: qui domo egreſſi Pannoniam poſſedere, quoad, Attila Rege, qui D. Leonis Pontificis Maximi juſſu Italia cum exercitu exceſſit, mortuo, filii quum de Regno inter ſe pugnarent, opportunitatem ab ſe deficiendi Gepidis, Oſtrigothiſque dederunt. Ita, iis calamitatibus fractis, difficile non fuit Valamiro Gothorum Regi Hunnos Pannonia expellere: qui ſatis habuerunt quædam minoris Scythiæ, Macedoniæque loca incolere. Gothos poſtea Longobardi expulerunt. Qui quum a Narſete in Italiam evocarentur, ne vacuam Pannoniam Gothi iterum occuparent, Hunnis ea lege incolendam dederunt, ut, ſi ipſi in Italia ſedes figere non poſſent, ſubito oppidis reciperentur. Quum igitur Longobardis belli fortuna ſecunda fuiſſet, Hunnorum res paulatim crevit, uſque eo, ut maximum Germanis, aliiſque terrorem inferrent. Unus Carolus Magnus eos in officio continere valuit, quum ſuperiore Pannonia, Gaba Rege ſuperato, potiretur. Quam & ipſe, & Ludovicus Pius diu retinuerunt: tandem Hunni amiſſa recuperarunt, & tantam potentiam ſibi addere valuerunt, ut Germanos ſtipendiarios haberent: in quos, alioſque plurima cruciatuum exempla ſtatuerunt, donec Geiſa Rex Chriſtianam religionem opera Adelberti Pragæ Epiſcopi profeſſus eſt. Geiſæ Stephanus *filius* ſucceſſit. Hic ad Pontificem Maximum Aſtricum quendam legatum miſit, qui ab eo peteret, ut, quos idoneos duceret, Pontificatus inire juberet, quo docere ſuos Chriſti doctrinam poſſent. Sic Romanus Pontifex novem creavit Epiſcopos, unum Archiepiſcopum, qui Strigonienſium Antiſtes dictus eſt. Stephano etiam deprecatori diadema, aliaque regia inſignia Pontifex Maximus indulſit. Idem alii Reges ab Pontifice Maximo obtinuerunt, ubi ei vectigales fuerunt. Hac ratione Andreas Rex edicto ab Honorio Romam vocatus fuit, & Innocentius ejus nominis tertius Hungariæ Regi pronunciavit, ſe proximiori ejus conſanguineo Regnum adjudicaturum, niſi patris vota perſolveret. Stephanus Rex ubi naturæ conceſſit, propter merita in Chriſtianam Rempublicam, & maxima virtutum documenta dignus fuit, qui in Divorum numerum referretur. Plures alii fuere Hungariæ Reges pietate illuſtres. In his Ladislaus, qui ab Romano Pontifice impetravit, ut duo alii Epiſcopi in Pannonia eſſent. Qui omnes Regum munificentia divitiis, & honoribus auctiores ſunt. Strigonienſium enim Archiepiſcopus Primas, & Summus Secretarius nominatur, quia ſigillum Re-

Regis majus in cartis imprimendi ei facultas eſt. Hic Regem ſacro ritu oleo inungit: ſicut Veſprimienſium Epiſcopus Reginam diademate ornat, & Reginæ Cancellarius appellatur. Epiſcopi principem locum in conciliis obtinent, quorum omnium ſuffragia obſervantur. Inter Pannonios maximæ habetur authoritatis ille, qui Palatinus appellatur: qui, quum bellum incidit,exercitui prȩeſt. Hunc magiſtratum quum Comes Veſelinus gereret, eo Rotalius imprimis ad ſtudium ſui perducere illum fruſtra eniſus eſt. Nam Hungari natura maxime ſeditioſi, & mobiles ſunt, adeo ut prope contra omnes Reges conjurare ipſis ſolemne eſſe videatur. Hi licet multum de ſuorum majorum ferocia remiſerint, tamen eos ex Scythis duro hominum genere originem ducere apparet. Bello ſtudent, ſed, quum minus ordines ſervent, excurſionibus, quam præliis ſunt meliores. Ii vero, qui belli uſum perceperunt, majorem virtutem, audaciamq; in equeſtri, quam pedeſtri pugna præſtant. Infimi generis homines tritas induunt veſtes. Nobiles vero veſtimentis lauti ſunt. Mulieres pretioſis, auroque pictis veſtibus ornantur. Omnes multo luxu epulas parant. Regi aliqua faciendi niſi de concilii ſententia non eſt poteſtas. Ad concilium Præſules, & ii, qui Magiſtratibus præſunt, item illi, quos appellant Barones, præterea nobiles adhibentur. Horum ſuffragiis antea Regis creatio permittebatur: tandem quum aliquibus de cauſis, quas hic commemorare non eſt neceſſe, Pannoniæ regnum in Auſtriacorum jus conceſſiſſet, in ſervitutem ſe ab Germanis abſtractos Pannonii opinabantur. Hac de cauſa quum alieno in Cæſarem animo eſſent, nihil de defendendo bello ab Turcis ſibi illato cogitabant, ea illata cauſa, quod Cæſar Germanos in ſuos fines, omnibus inconſultis, contra, atque legibus ſancitum haberent, introduxiſſet. Ad hæc quum accederent Germanorum militum injuriæ, omnium animi ad ulciſcendum ardebant, præcipue quum plerique non deeſſent, qui ſeditioſis orationibus, & quibus aliis rebus poterant,alios ad furorem impellerent. *Pannoniæ Regem eſſe legum vinculis obſtrictum* dicebant, *proinde ſicut ei illis ſe ſolutum demonſtrare nefas viſum non fuiſſet, ita ipſos jurisjurandi, per quod in Regis verba adacti eſſent, rationem non habere liceret. Nam libertatis curam omittere non modo turpe, verum etiam Pannoniis in arma natis nefas eſſe. Virtute, & audacia occarrendum pravis Germanorum conſiliis. Omnia prius patienda eſſe, quam Pannoniis tantum animi non eſſe demonſtrare, ut armis recuperare velint, quod majores armis partum reliquiſſent. Veniſſe jam tempus ſervitutis jugum demendi, quando fortunam tantum periclitari parati eſſent.*

An. 1663

Si

An. 1663 *Si unum Pannoniorum omnium conſilium fiat, ſatis Germanis erit Pannonia excedere, ne una parte ab Turcis, altera ab ipſis circumſiſtantur. Omnia pro libertate recuperanda honeſta videri: idcirco optimum eſſe, ſi cum Turcis omnes ſe conjungerent, ubi aliam iniri rationem non poſſe apparuerit, qua Germanis Pannonia interdicere poſſint. Turcas ſibi auxilio fore non eſſe dubitandum, quum ſolum propter odium in Germanos Pannoniam eos ingreſſos eſſe conſtet. Turcarum optimam in Pannonios voluntatem eſſe non ſolum conjectura cognoſci, verum etiam pro explorato haberi, quando ſe ſubito domum repetiturum Acmetes pronunciaviſſet, ubi in libertate ipſos a Germanis relinqui cognoverit.* His, & aliis jactatis, prope omnes ſe ab Cæſaris amicitia averterunt, adeo ut nihil intentatum relinquere ſtatuerent, ut alium Regem ſibi acceptum crearent. Quod quum cognoviſſet Cęſar, Rotalio mandat Pannonios uti doceat, quid fraudis ab Turcis ferretur. Rotalius ergo ut Cæſari, & Chriſtianis omnibus egregiam præſtaret operam, quibus rebus poteſt, omnes ab Turcis alienare ſtudet. Dicebat enim, *Turcas ſemper ea conditione bella geſſiſſe, ut aliquam gentem in ſervitutem abſtraherent. Quid ergo crederent, eos Pannoniorum cauſa bellum Cæſari intuliſſe? Haud dubium eſſe, eos hoc ſimulare, ut imperitorum ſibi conciliarent animos, quum haudquaquam fidem eſſent præſtituri, quando rem confecuti ſint. Eos fidem fallere non modo turpe non ducere, verum etiam imperii fines proferendi cauſa pulcherrimum exiſtimare, quum experientia compertum ſit, iis ab ipſis honores habitos, qui negotii conficiendi opportunitatem fide potiorem habuiſſent. Proſpicerent ergo ſibi initio; quoniam nulla ratione obſiſtere poſtea eis valerent, qui opinione victoriarum ferociores erunt. Si ipſi digna fortiſſimis viris conſilia inirent, fore ut innati Chriſtianorum hoſtes, magno accepto detrimento, domum ſe conferre cogerentur. Quod ſi fieret, omnes Pannoniorum virtutem eſſe concelebraturos, at ſi ſeditioſorum verbis aures præberent, neminem fore, qui temeritatem non deteſtetur. Cæſarem Pannoniorum ſalutem, ac libertatem primam habere ex eo cognoſci, quod, ut ipſos ab Turcarum injuria prohibeat, ſuorum ſanguini non parcat. Quod ſi nequiſſimi homines hanc mentem Cæſari non eſſe prædicaverint, ſcire juvat, eos omnia ſimulare, ut turbari res incipiat: ita enim ſe aliquid fore arbitrantur, qui virtute ſe non poſſe intelligant.* Hæc & alia fruſtra jactata, quia omnes quaſi Acmetem pro ſua ſalute pugnare cognoviſſent, ei magnopere ſtudebant. Sic nullo conſilio tandiu Neoſelii moratus fuit, quum plures rei bene gerendæ occaſiones dimiſiſſet.

Haud

Haud dubium erat, Acmetem, ſi expugnato Neoſelio aſperiorem rem aggreſſus eſſet, negotium confecturum fuiſſe; quoniam omnia parata non eſſe conſtabat, quando tum primum majoribus munitionibus Vienna firmatur. Nunc etiam Cæſar Poſonio veritus, Montecucculo ſcribit, *ut, velint, nolint oppidani, validum præſidium in oppidum introducat*. Montecucculus non deſcendendum ad vim exiſtimans, niſi ubi preces non proceſſiſſe vidiſſet, Petrum Strotium hortatur, ut in oppidum contendens, ſingulos fatigando, rem obtineat. Qui rem ſuſcipiens, ubi pervenit concilium convocari jubet, cauſasque exponit, *quamobrem Cæſari gratiæ agendæ eſſent, quod ipſorum periculi rationem haberet, quum milites oppidi tuendi cauſa mitteret*. Quibus rebus adducti oppidani, paucis repugnantibus, *Cæſari, ipſique morem gerere paratos ſe eſſe* confirmant. Strotius igitur etſi rem conſecutus erat, tamen nihil actum eſſe arbitratus, niſi, munitionibus excitatis, eo rem deduceret, ut neque minas, neque Turcarum vim vereri cogeretur, vallum, foſſamque ab montibus, qui ad ſuperiorem urbis partem pertinent, ad Danubium perducere parat. Hoc munitionis genus magnum uſum habere exiſtimabat, ubi milites cuſtodiæ cauſa ibi diſpoſuiſſet, atque bellica tormenta collocaviſſet. Dum in hoc opere occupatus erat, magis, magiſque oppidum munire exoptans, conſilium oppidanorum habet. Ubi ergo in principio orationis gratias omnibus egit, quod ſui periculi rationem haberent, *magnam ſe habere ſpem* dicit, *ipſos ad omnia deſcendere paratos fore, ut ſuæ ſecuritati proſpicerent*. *Hæc fieri oportere, ſi Turcarum impetus nulla ratione extimere velint. Primum urbis foſſam in majorem altitudinem, latitudinemque perducerent; deinde partitis temporibus ipſi in opere verſarentur, ut quamprimum omnia perficiantur; poſtremo materiam in oppidum comportarent, atque ſuburbia incenderent, ne Turcis uſui eſſent*. Ad hæc nihil in præſentia oppidanis reſpondere viſum eſt, ſed diem ad deliberandum ſumunt. Poſtridie duo omnium verbis renunciant, *ſe altiore, ac latiore foſſa oppidum circummunire paratos eſſe: cæterum alia propter tenuitatem facere non poſſe: nec tam ferreos eſſe, ut domus propriis manibus ſuccendere velint*. Horum pertinacia tanta ira plenus erat Strotius, ut in eos animadvertiſſet, niſi metus, ne tota Pannonia ejus rei cauſa deficeret, obſtitiſſet. Hæc ſimulatque cognovit Acmetes, quod jam Neoſelii munitiones plene erant perfectæ, Præfectos omnes, quos rei militaris peritiſſimos cognoverat, ex caſtris, quæ non procul aberant, Neoſelium in concilium accerſit. Inter eos diverſæ fuerunt ſententiæ. Nam alii *moram nullam infe-* An. 1663

An.1663 *rendam eſſe* cenſebant, *quin Viennam contenderent, ut ibi militum hyberna conſtituentes frequentibus excurſionibus agros vaſtarent, & Cæſari oppida defendendi facultatem adimerent*. Pars vero, *ut triginta hominum millia contra Montecucculum mitterent*, exiſtimabant, *& reliqua exercitus parte ipſi Caniſiam peterent, atque propugnaculum ab Serino inſtitutum per vim caperent. Hac re & Mehemetis Regis gratiam redimi, & aditum in Stiriam parari*. At alii *nulla ratione rem magnæ contentionis ſuſcipi* dicebant, *ut, ſi re infecta diſcederent, partum Neoſelii expugnatione decus amitterent. Optimum eſſe, in tanta animorum fluctuatione, priuſquam munitiones perficiantur, Poſonium oppugnare inſtituere*. At Acmetes horum improbat conſilium, quod magni diſcriminis res eſſet illud adoriri oppidum, quo validiſſimum præſidium intromiſſum ſciebant. Alias non accipit ſententias, quod, quum rei proſpere, aut ſecus geſtæ gloriam, vel ignominiam ad ſe delegatam eſſe non ignoraret, oppida poſt ſe relinquere, & inita prope hyeme tam aſperam aggredi rem nolebat. His dictis, concilium dimittit. Paucis poſt diebus Iſmael frater ab Rege redit; qui dona etiam ab eo miſſa tulit. Per hunc ejus voluntatem cognoſcens Acmetes, Nitriam Cuſſeinem Budę Præfectum cum decem hominum millibus, & Caplanum Siliſtriæ Præfectum cum Turcarum millibus octonis Novigradum contendere jubet. Sperabat, eos ſubito negotium confecturos, quod parum munita oppida tentarent. Et opinio eum falſum non habuit; quoniam Cuſſein, miſſis in oppidum legatis, qui per colloquia Præfecti, oppidanorumque tentarent animos, oppido recipitur. Joannes Fereſius oppidi Præfectus in arcem ſe recipit. Sed poſtridie de deditione legatos mittit, etſi naturæ loci confidere poterat, & Schedinavius, quem Retano opem tuliſſe demonſtravimus, ad eum ſcripſerat, *ſe confeſtim auxilio eſſe venturum*. At ubi Fereſius cum militibus Comaram ſe contulit, capite ſignaviæ, ſeu verius perfidiæ pœnas tulit. Caplanus vero quum fruſtra præmia oſtentaviſſet, vim tentare ſtatuit. At Lodanus oppidi Præfectus, & milites, qui ſeptingenti numero erant, fortiter ſe geſſerunt, quoad Acmetes, Leventio ſine contentione recepto, eo exercitum duxit. Nam tum Lodanus, incertum metu permotus, an pecunia corruptus, portas Acmeti aperit, atque in Tranſylvaniam ad Abbaſſum, cruciatus Germanorum, ut conjicio, veritus, ſe confert. Quibus rebus lætus Acmetes, Schintam petit. Eo primo Muſtafum cum mediocribus copiis miſerat; qui quum neque pollicitationibus, neque denunciatione periculi permoveri prę-ſidium cognoviſſet, ab artibus ad vim verſus, tormenta in muro-

rum

rum perniciem diſponit. At Nicolaus Bavaroſius, qui oppido An.1663 præerat, potius ultimum pati ſupplicium, quam ignominiæ notam incurrere paratus, munitiones excitare, milites ad laborem, ad virtutem, ad conſtantiam hortari, omnibus occurrere. Et ne tum quidem animo permovetur, ubi ingentem exercitum ad circumſedendum oppidum Acmetem duxiſſe cognovit: nam documentum Turcis, Chriſtianiſque juxta dare exoptans, majus præſidium in animi fortitudine, quam in munitionibus eſſe, & virtute munimenta, non munimentis virtutem defendi, omni contentione utitur. Quod ut cognovit Acmetes, adoriri muros conſtituit. Quumque id non proceſſiſſe animadvertiſſet, fruſtra iterum Nicolai animo tentato, vano incepto Conſtantinopolim diſceſſit. Multi mirati fuere, Acmetem tantum mœſtitiæ, ac pudoris tenere, ut victus, non victor, eſſe videretur. At mihi jure eum doluiſſe conſtat, quum quod Neoſelio recepto majora perficere potuiſſet, modo ea ſuſcepiſſet, tum quia, quum nihil ſibi infectum crederet, irrito incepto Schinta diſcedere coactum eſſe, & pluribus præliis ſuas manus fuſas eſſe non ignorabat. Nam Buſeinus Comaræ Præfectus quum pabulatum equites octingentos miſiſſet, hi in mille Turcas ad Vaghum flumen incidentes, opportunitate uti ad eos circumveniendos conſtituunt. Turcæ tamen paululum reſtiterunt; ad extremum tantum impetum ſuſtinere non valentes, ſeſe fugæ mandant. Hos incautius ſequuntur Germani, adeo ut duo millia Turcarum equitum, quæ caſu eo venerant, cognita ſuorum fuga ſarcire detrimentum cupientia magno animo prælium redintegrare valuiſſent. Germani etſi itineris, atque pugnæ labore confecti, & pares numero Turcis non erant, tamen animo ſe non dimittunt, ſed paulatim pedes referentes, impetum ſuſtinent, donec oppido appropinquaviſſe cognoſcentes, collectis viribus tanto animo ſeſe in Turcas eiiciunt, ut ex eis reſiſtendi cauſa conſiſteret nemo. Sic ſatis habuerunt Germani magna gloria, prædaque, ad quingentis interfectis, Comaram reverti poſſe. Eandem fortunam tria Scytharum, ac Turcarum millia tulerunt; quoniam ubi ſe neque viribus, neque virtute Germanorum, ac Pannoniorum millibus quaternis, quibus præerat Comes Buduanus, ſe paria eſſe ſenſerunt, in fuga ſubſidium omne ponunt. Fugientia conſectatus Buduanus, alios capit, nonnulloſque interficit. Hæc etſi pleniora ab ſuis inimicis commemorari Acmetes ſciebat, qui ſuam minuere gloriam cupiebant, tamen non tanta lætitia rebus præclare geſtis afficiebatur, quantum doloris ex eo eventu cœpit, quem Iſmael Boſſenæ Præfectus recepit, quum quod ab paucis plura Turcarum millia fuſa, fu-

An. 1663 gataque intelligebat, tum quia rem occultari non poſſe cognoſcebat, quod de Mehemetis conſilio cenſuiſſet, ut Iſmaël cum decem Turcarum millibus ad recipiendas ulteriores civitates, quæ ad Adriaticum mare pertinent, contenderet. Sic Germanis, quod Croatiam, Venetis, quod Forum Julii ferro, & igne vaſtarent, non minorem terrorem, quam detrimentum illaturum ſperabat. Conſilium certe proceſſiſſet, niſi ab Joanne Gregorio Giga Valachiæ Principe enunciatum Nicolao Serino fuiſſet. Qui quum majoribus rebus aſtrictus eſſet, Petro fratri rem aperit, ut tantæ rei occurreret. Hujus rei eventus certe docuit, in bello arcana cum pluribus communicare periculoſiſſimum eſſe, quod quo certius res proſpere cedit, ubi inopinatum hoſtibus exiſtit, quidquid ſuſceptum eſt, eo periculoſius, patefactis conſiliis, res aggreditur. Petrus ergo Serinus ſimul primum de Iſmaelis conſilio accepit, Comitem Aveſperghium Caroloſtadii Præfectum orat, *ut rem ſuſcipiat. Niſi prius eis occurrerent, quam agmen per anguſtias traductum ſit, remedium tanto malo non fore.* Hæc ubi dixit, brevis, ut debuit, conſultatio fuit. Nam Aveſperghius mille, & quingentos Germanos, quorum maxima pars Caroloſtadii præſidii cauſa erat, Serino attribuit. Qui ut amplius tria hominum millia coegerat, certiſſima ſpe profectus eſt. In itinere vero inter Præfectos diſſenſio extitit, quoniam nonnulli *bipartito in hoſtes impetum faciendam* cenſebant. *Magnam enim difficultatem ad conſilium capiendum inopinantibus allaturos eſſe, ſi mille locis ſuperioribus, qui ad montes Jureveſteinenſes pertinent, conſiſtere juberent, quatuorque millia aliis locis eo conſilio diſponerent, ut, quum Turcas ſe in anguſtias inſinuaſſe conſpexiſſent, illi ab tergo, hi a fronte in eos ſe eiicerent.* At hæc ſententia accepta non eſt, quoniam, ut Serinus locorum peritus erat, *proclive Turcis eſſe* demonſtravit, *per exploratores de inſidiis cognoſcere, ſi quatuor millia locis ſylveſtribus ſe non tenerent. Melius eſſe, omnes copias montium anguſtiis, ac ſylvis continere, ut de improviſo ex omnibus locis in Turcas provolarent, ubi in vallem, qua neceſſario ipſis tranſeundum eſſe conſtaret, ſe demiſiſſent. Hac ratione incruento exercitu victoriam eſſe adepturos.* Hæc ubi obtinuit ſententia, locum inſidiis antecapere maturant, præcipue quum per exploratores quina paſſuum millia Turcas ab anguſtiis abeſſe cognoviſſent. Poſtridie adventante luce, Amurates Iſmaelis frater cum primo agmine in cavam vallem temere ſe demittit. Qui quum paulo proceſſiſſet, Germani, ſigno dato, in eum ſe eiiciunt. Jam inopinata re perculſis Turcis conſilium, jam virtus, jam animus deficit, adeout vix duobus caſus nunciis relictis,

quos

quos pedum velocitas tutatur, reliqui vel conciderent, vel caperentur;in his Amurates, qui armis abjectis ſalutem ab Serino precatus eſt. Iſmael ut anguſtias non intraverat, ex periculo ſe eripere haud difficile poterat, ſi itinere converſo domum ſe recepiſſet. At quum ab eis, qui profugerant, doctus eſſet, *Amuratem fratrem fortiter impetum ſuſtinere, neque multum abeſſe, ſi ei auxilio ſit, quin agreſtes alacriter pugnantes, quod opportunitate loci confidant, ad internecionem redigat*, in inſidias ſe præcipitat. Igitur ſuos cohortatus, ne periculum pro commilitonibus ſuſcipere recuſarent, in locum, ubi inſidiæ poſitæ erant, pervenit. Tum Serinus cum ſuis in eum advolat. Iſmael quum ex ſuorum cadaveribus, ab eis, qui profugerant, ſe deceptum cognoviſſet, tamen non ſe deſerit, ut fit, ſed fratrem, quem occiſum arbitrabatur, ulciſci exoptans, ſuos hortatur, *ut fortiter pro ſua ſalute, atque gloria belli ſe gererent. In ipſorum virtute, ignominiam delere, poſitum eſſe. Magnam laudem ad ipſos eſſe perventuram, ſi prope exploratam hoſtibus victoriam virtute interpellarent*. Pugnatur ab Turcis, ut ab viris fortibus in deſperatione omnium rerum pugnari debuit. Tamen ubi hoſtium numerum ſemper augeri, & occaſionis, non prælii rem eſſe viderunt, quia locum virtuti contra eos, qui ex locis ſuperioribus pugnabant, non eſſe cognoſcebant, paulatim ſine ullius imperio pugnando pedes referunt. Hæc fuit ratio ne Iſmaeli quidem ingrata; quoniam militaris conſenſus & ipſi, & aliis ſalutem attulit, quum Serinus incepto occurriſſe ſatis habens, eos conſectatus non eſt, ne æquo loco prælio dimicans rem in dubium devocaret. Ex Turcis eo die ad duo milla deſiderata; octingentique capti. Victoria lætantur Aveſperghius, Serinuſque, quod ipſorum opera metu liberati Germani eſſent; lætantur milites, quod ex direptione impedimentorum mediocri præda potiti ſunt; lætantur Germani, Italique, quod ex periculo ſe ereptos videbant. Eo loco diſcedere illico, conſilium non eſſe Serino viſum eſt, quod ſumma cum ignominia futurum non ignorabat, ſi bene partam victoriam male perderet, quum Iſmael certior de diſceſſu factus, reverteretur. Tertio die quum per exploratores cognoviſſet, Iſmaelem noctem diei conjunxiſſe, ut ſubito domum perveniret, paucis ibi præſidii cauſa relictis, Caroloſtadium ſe recipit. Quo ubi perventum eſt, Amurates triginta nummorum aureorum millia dare pollicitus eſt, ſi ſibi libertas concederetur. Non ſpernenda pecuniæ ſumma Serino viſa eſt; proinde, ubi per Cæſarem licuiſſet, eum dimittere non dubitabat. Quod ut intellexit Aveſperghius, ſuam prædicans prædam, captivum ſibi tradi jubet. Negat Seri-

An. 1663

nus

An. 1663 nus ad ipſum pertinere prædam. Sic pecuniæ cupido diſcordes res inter hos ita fecit, ut ſi prius tanta diſcordia eos tenuiſſet, hæc diſſenſionis cauſa orta non fuiſſet, quod neque victoriam adepti eſſent, neque Amuratem cœpiſſent. Controverſia utriuſque conſenſu ad Cæſarem introducta eſt. Cæſar rem ad concilium defert. Duo ſummi viri, & Cæſari accepti, magis privata gratia, quam jure, ut coniicio, in concilio certant. Princeps Aveſperghius ad fratrem pertinere prædam dicere. Portia ſive in Serinum amore, ſive in Aveſperghium odio Serino captivum adjudicandum cenſere. Hæ duæ factiones diu diſtinuere concilium, quoad Serinus ſigna militaria capta ad Cæſarem referendi ſpecie Viennam veniens, Cæſarem in hunc modum allocutus fuit. *Tibi, Cæſar, quia omnia debeo, omnia gratificer, oportet. Nunquam in tua authoritate me futurum negavi, immo, quia ſummæ gloriæ, decorique mihi eſſe exiſtimo, ad nutum, & ad tuam voluntatem omnia facere, rem ad te deferendi author fui. Tuum eſt arbitrium. Decerne, quod libet. Adjudica Aveſperghio prædam, ſi tibi expedire videatur. Mihi ſatis erit, ſi me tuam gloriam ita primam habere apparuerit, ut pro ea meam ſalutem in dubio eſſe non recuſaverim. Non parum habebo, ſi me tibi utilem præſtitiſſe operam demonſtrabis. Hoc unum præmium pro tuo decore periculi ſuſcepti depoſco, maxime ſi hęc res occaſionem alia pro te audendi aperiat. Gloriam belli, ac Germaniæ ſecuritatem fructum victoriæ fuiſſe lætabor, non prædam. Sit penes illos præda, apud quos plus illius cupiditas, quam in te ſtudium valet; gloria vero penes eos remaneat; quos ejus cupiditas ad virtutem excitat. Hæc ſigna meæ gloriæ, ſimul egregiæ in te voluntatis teſtes ſunt. Captivi, prædaque indicio ſunt periculi. Illa ad te retuli, ut decus tuum ſit. Hæc cui juſſeris tradere non recuſabo. Satis mihi erit, ſi innoteſcat, alium ex ea arbore poma legere, quam ego ſerui. Sufficit metu Germaniam, Italiamque liberaviſſe. Sufficit & Chriſtianorum ſecuritati me proſpexiſſe, & Turcis obviam iviſſe. Utinam & alii, ut ſoli prædam domum avertere cupiunt, ita periculi ſocii velint eſſe. Unum ab Deo precor, ut hæc præda illis ad fortiter omnia audenda ſit incitamento.* His verbis permotus Cæſar, prædam Serini eſſe decernit. Hortatur tamen eum, ut milites, qui Caroloſtadii præſidii erant, ab Aveſperghio miſſos aliqua parte donet. Hæc dum aguntur, Goeſius Viennam pervenit, qui ægerrime ſibi diſcedendi facultatem ab Acmete fuiſſe permiſſam, Reningherium vero retentum eſſe docet. Ex hoc Cæſar magna contentione omnia ad bellum neceſſaria ab Acmete comparari cognoſcens, ſuorum conſilium habet.

Quum

Digitized by Google

Quum omnibus certiſſimum exitium imminere viſum eſſet, niſi validus cogeretur exercitus, legatos ad Reges rogatum auxilium mittere decernunt. Itaque Comite Petro Strotio ad Ludovicum Galliæ Regem, ad Fridericum Danorum Regem, & ad Batavos Comite Rodulpho Siſeńdorfio, Comite Conigſeghio ad Sveciæ Regem, Comite Teſta Piccolomineo ad Alexandrum Pontificem Maximum contendere juſſis, Cæſar Ratisbonam contendere conſtituit. Per Legatos item hortatur Germaniæ Regulos, *Ratisbonam veniant. Quum hoſtes in faucibus urgeant, non eſſe tempus rem diutius ducendi. Si eo venirent, fore ut coram paucorum dierum ſpatio de communi ſalute ea ineantur conſilia, quæ vix anno ab legatis inirentur. Optimum eſſe, ſi pro viribus tanto hoſti obſiſtere conarentur: nam humanos ſe præberent, ſi Cæſarem beneficio obſtringerent, & prudentes, ſi Pannoniorum calamitatem ab Germania ſejunctam non eſſe intellexerint*. His rebus expeditis, Montecucculum milites in hybernis collocare jubet, ubi Acmetem Conſtantinopolim petere cognoviſſet. Idem ut faceret Nicolaus Serinus, mandat, qui Pannoniorum, ac Croatorum millia decem caſtris non longe ab Arrabone flumine continebat. Montecucculus Poſonio diſcedendo juſſa efficit; Serinus, dimiſſis Pannoniis, cum Croatis ſe domum recipit. Montecucculus tamen Cæſari ſcribit, *Acmetem cum majore exercitus parte diſceſſiſſe, cæterum Halio quindecim hominum millia tradidiſſe, ut fines tegeret, & data opportunitate vel ad occupandas urbes, quæ prope Nitriam ad montes pertinent, ubi auri, argentique fodinæ ſunt, vel in Moraviam contenderet*. His rebus Cæſar occurrere cupiens, Suchio imperat, ut quina hominum millia ad tegendas auri fodinas ducat. Suchius ubi eo pervenit, communicatis cum Veſelino conſiliis, tria millia peditum ad urbes defendendas ſufficere ratus, cum equitum millibus binis in Moraviam venit. Eodem Cæſaris juſſu venit Comes Olachius, qui copiis, quas ſubſidio Cæſari miſerant fœderati, præerat. Magni enim intereſſe exiſtimabatur, iis proſpicere locis, in quæ iram hoſtes evomere velle conſtabat. Ejus rei cauſa Montecucculus in Cituorum Inſulam mille, & quingentos ex ſuis mittit, qui tam opportunum locum præſidio obtineant. Halius ſimul Cituorum Inſulæ, auri, argentique fodinis proſpectum vidit, decem hominum millia magnis itineribus Caniſiam contendere jubet, quæ noctu Muram tranſirent, ac, propugnaculo ſive conſilio, ſive per vim expugnato, populatum ulteriores regiones peterent. At quia Nicolaus Serinus equites, qui late explorarent, circummittebat, Turcas Muræ appropinquare cognoſcit. Itaque fluminis ripas pedi- An.1663

tatum

An. 1663 tatum cuſtodire, equites vero, quos Suchius, & Olachius duxerant, nocte etiam ſtratos, frenatoſque habere equos jubens, effecit, ut Turcas flumen tranſire conantes pedites funderent, fuſoſque equites perſequerentur. Sic ad duo Turcarum millia in flumine, & in fuga conciſiſſe dicuntur. Hoc quantum Halio diſplicuiſſet, explicatu difficillimum eſt; ſolum conjectari libet, maximo dolore affectum eſſe eum, qui, quum ſuam authoritatem rebus geſtis creſcere optaret, nihil earum rerum ſucceſſiſſe vidit, quas in ſuam curam delegaverat Acmetes. Fortunam querenti occaſio rei bene gerendæ accidere viſa eſt; quoniam quum bellica tormenta Schinta Poſonium duci cognoviſſet, id fore ſuſpicatus, quod non ſatis oppidum defendere ſperarent Germani, eo tria equitum millia mittit. Maximam laudem ad ſe perventuram judicabat, quum oppido, quod ingenti exercitu expugnare non valuiſſet Acmetes, ipſe potitus eſſet. Sed eum opinio fefellit; quoniam Nicolaus Bavaroſius oppidi Præfectus vir non minori virtute, quam in Cæſarem fide, eruptione facta, eos ita perterruit, qui contra ſpem tantam alacritatem præſidio innatam eſſe viderunt, ut amplius ducentis amiſſis fugæ ſe mandarent. Halius mœroris, ac iræ plenus ubi tam turpiter equites perfugiſſe cognovit, nonnullos, qui omnium conſenſu conſilii fugæ principes deſtinabantur, magnis cruciatibus interficit. Dolorem auget nuncius de Nitriæ jactura, adeo ut, ſi paulo poſt certior factus non eſſet, Pannonios, qui Turcarum veſtes induti in oppidum ingreſſi erant, fugere coactos eſſe, mors haud dubie eum ignominiæ ſubtraxiſſet. Cæſar, etſi res hæ ſucceſſerant, tamen ut ejus mens in nullam aliam trahebatur partem, quam in providendum, quem eventum res inſequente anno reciperet, magna ſollicitudine afficiebatur. Idcirco antequam dies inſtaret, quo Ratisbonam peteret, rationem quæri jubet, quemadmodum Turcis impedimento eſſet, quominus Viennam venirent, etiamſi ſatis validus exercitus eorum non moraretur iter. Conſiliarii omnes *nullam aliam iniri rationem poſſe* demonſtrant, *quam Pannoniæ munire oppida, qua neceſſario Turcis tranſeundum eſſe ſcirent*. Diſſenſio modo extitit, quod alii aliud oppidum muniendum cenſebant. Tandem pluribus diebus diſputando conſumptis, Montecucculus, quem in conſilium Cæſar acciverat, *duo eſſe itinera, quibus itineribus Turcæ Viennam pervenire poſſent*, docet. *Alterum per citeriorem Pannoniam facile, quod non montes, non ſylvæ, non munita oppida intercedant, ſi unum excipias Jaurinum, quodque expeditiore re frumentaria Danubio flumine avecta uti poſſent. Alterum per Pannoniam ulteriorem multo difficillimum, quod loca* ſyl-

ſylveſtria, ac montoſa excipiant, quod Poſonium, Tirnavia, Comara, Inſula Schinta poſt terga magno cum rei frumentariæ periculo relinquenda ipſis eſſet, quod plurimum ab Agria abeſſent, ubi horrea neceſſario conſtituere neceſſe haberent. Hæc quum ita eſſent, ſi Viennam oppugnandi conſilium cœperint, faciliore itinere eſſe venturos ſe ſuſpicari. Ob eam cauſam munitionibus Jaurinum firmandum eſſe: &, quam firmiſſimum poſſent, præſidium ibi collocandum, ut, ſi oppidum poſt ſe reliquerint, in anguſtias rei frumentariæ incidant, ſi Jaurinum oppugnare inſtituerint, plurimum inſudare laboris neceſſe habeant, priuſquam urbis potiti ultra contendere poſſint. Sententiam etſi quam pauciſſimis Montecucculus peregit, tamen omnem expellere dubitationem valuit, quum quod magna erat ejus virtutis, ac conſilii apud omnes opinio, tum quod neminem melius, ac tutius pro re, & tempore conſilium dare poſſe apparuit. Igitur poſtquam Cæſar laudibus Montecucculum celebravit, mandat, ut ipſi curæ ſit, Jaurinum maximum Germaniæ momentum, quibus rebus poſſet, tutum reddere. Quod ſubito in ſe recipiens Montecucculus, Franciſco Vimeſio cohortis Præfecto, quod harum rerum haud ignarum eſſe ſciebat, negotium dat, ut, quæ a peritioribus deſiderari videantur, ea addat opera. Hic rem ſuſcipiens, paucis menſibus exteriores inſtitutas munitiones perficit. Quam rem quum Montecucculus maxime probaviſſet, ut Papam oppidum non procul ab Jaurino poſitum muniret, imperat. Quod opus ante exactam hyemem diligentiſſime quoque abſolvit. Cæſar ut novis munitionibus non perpetuo, ſed aliquo temporis ſpatio ab Germania Turcas arceri poſſe videbat, maxime exercitum numero hominum non ſpernendum cogere exoptans, quod illum unum Regni ornamentum, & præſidium eſſe cognoſcebat, Ratiſbonam fiducia plenus petit; quoniam commune periculum Germanos nõ neglecturos confidebat. Aliquam tamen difficultatem ipſi ea res afferebat, quod Alexander Pontifex Maximus a belli timore vacuus non eſſet: nam licet Ludovico vere belli ſuſcipiendi mens non eſſe diceretur, tamen nunc in certiorem pacis ſpem veniebat, nunc de ea decidebat: quoniam, quum pax pro firmata haberetur, Avenionenſes, quæ Galliæ urbs ſub Romani Pontificis ditione eſt, ſub eorum Imperio eſſe, a quibus lingua, moribus, legibuſque differunt, ægreferentes, urbis Præfectos, militeſque circumſiſtunt, ac oppido, finibuſque excedere cogunt. Rebellione facta, legatos ad Ludovicum mittunt, qui eum hortarentur, ut ea utatur opportunitate, qua Italis omni Gallia interdicere poſſit. His Ludovicus liberaliter reſpondens, ut in An.1663

Digitized by Google

An. 1663 eadem ſententia permanerent, hortatur, ac domum remittit. Ob hanc cauſam Aquæ Sextiæ Senatui mandat, ut eos in fidem recipiat. Ne vero injuſtam cauſam ingreſſus videretur, libros edi jubet, quibus juſtiſſimum Regis Galliæ in ea Civitate imperium eſſe demonſtraretur, quum Joanna Neapolis Regina vi, metuque urbem Clementi ejus nominis ſexto Pontifici Maximo ſe tradidiſſe conqueſta eſſet. Ejuſque rei teſtimonia Lugduni adhuc extare addebant. Hoc ubi primum Romam nunciatum eſt, puncto temporis, quæ de conciliata pace perferebantur, evanuiſſe conſpiciens Alexander, rem ſibi cogitandam ſtatuit, propterea legatos quoquo verſus mittit, de iis queſtum, quæ accidiſſent. Univerſos cohortatur Catholicos Reges, *ut ea res ipſis curæ ſit, atque in belli ſocietatem veniant. Plurimi intereſſe, ejus infringere audaciam, ut omnes in reliquum tempus ab injuſto ſuſcipiendo bello deterreant*. Hæc uno, eodemque tempore mandata ad Philippum, Leopoldum, Venetoſque referuntur. At Philippo ea mens erat, ut ne militibus quidem, quos Alexander in Helvetiis conſcribendos curaverat, iter per Inſubriam dare vellet, adeo ut nonnulli mirati eſſent, eum id Alexandro deprecanti denegare, quod ultro Ludovico concederet, præſertim quum ei non conduceret Gallos finitimos habere, qui locis in Italia occupatis contra ipſum uterentur, quum bellum incideret. Sed Philippum ad hoc conſilium cum aliis cauſis hæc potiſſimum ratio impulit, quod, ſi ipſe Alexandri animum incenderet, eum omnia Ludovico denegaturum ſuſpicabatur, quum, ſi opes ad ei obſiſtendum ſibi deeſſe intelligeret, æquis conditionibus Regi ſatisfacturum eſſe confideret. Leopoldus vero, *neminem magis ex belli cauſa cœpiſſe dolorem*, reſpondet, *quam ſe, quum ob ſingularem omnium temporum tam ſuam, quam ſuorum majorum in Romanum Pontificem obſervantiam, tum ob Chriſtianæ Reipublicæ periculum, quæ nunc ejus egeret opibus. Se tamen, quam poſſe, eam voluntatem tribuere, ac delectum Germania habendi poteſtatem ipſi facere*. Veneti tamen Alexandrum hortabantur, *ut diſſenſionum hoc tempore oblivíſceretur, quo Chriſtiani nominis hoſtes in faucibus urgeant. Præſtare, ut pacem filius habeat, patrem quacumque conditione uti, quam ab Turcis oppida expugnari*. Hæc eadem cum Ludovico per legatos agebant. *Qui ſe paratiſſimum fuiſſe* demonſtrat, *omnia Pontificis Maximi dignitati dimittere, ſed æquum non eſſe, ab eo, cujus ſemper ſibi prima fuiſſet dignitas, pro beneficiis injuriam extorqueri*. Grimanus quum Ludovicum a pace non abhorrere vidiſſet, ac ſolum eas non poſſe convenire conditiones non ignoraret, quod Alexander Eſtenſibus, Farneſiiſque id tantum

tum

tum dare cupiebat, quod ęquum, juſtumque poſtea judicibus viſum fuerit, (quod Ludovico non placebat) in prę́ſentia illis Alexandrum ſatisfacturum pollicetur, etſi hoc in mandatis non habebat. Magni enim intereſſe arbitrabatur, ne res vere ad arma deduceretur, illud promittendo rem diutius ducere, quum tempore intermiſſo componi rem poſſe ſperaret. Hæc ubi Alexander reſcivit, etſi Grimanum mandati fines exceſſiſſe vidit, tamen eadem ſpectans, conſilium probat. Magno vero dolore afficiebatur, quod de injuria, quam ſibi illatam credebat, ſibi, aliiſque juxta ita ſatisfieri vellet, ut omnia perturbari malle videretur, quam eis, quorum patrocinium ſuſceperat, deeſſe. Quarum rerum cauſa ita negotium effectum Farneſio videbatur, ut, quod fama exierat, ſe ſeparatim ab Ludovico ſibi conſilium capere, ad complures litteras mitteret, præcipue ad Principem Pamphilium ſuum neceſſarium, quibus ſe omnino in Ludovici authoritate eſſe, & in eo uno ſpem habere profeſſus eſt. At Farneſium opinio fefellit, quum ad extremum Ludovicus pluribus de cauſis bello Pontificem Maximum perſequendum non exiſtimaverit, ut alienas ulciſceretur injurias: nam non alio conſilio, ut nonnulli dicebant, Victorii Siri Farneſii legati hortatu rem ſuſceperat, quam ut, illarum rerum opinione majorem Alexandro incutiendo terrorem, certiorem impetrandi ex conditionibus ſpem haberet, quod nunquam antea impetrare potuerat. Hæc quum ita eſſent, ubi ea quæ petiit ſe adeptum eſſe Ludovicus vidit, ſua magni referre arbitratus, pacem cum Alexandro facere, & ſpecioſis conditionibus Farneſiis, Eſtenſibuſque conſulere, colloquia de pace haberi contentum eſſe confirmat. Hoc ſtatim per Venetos Alexandro enunciatur. Qui, ne opportunitas corrumperetur, Cæſarem Raſponum ſummi conſilii, ac dexteritatis maximæ virum in Galliam mittit, qui certis conditionibus ad otium rem deduceret. Raſponus ubi Lugdunum pervenit, itinere deſiſtit: eo enim Ludovici legatos conventuros eſſe Grimanus demonſtraverat. Dum horum adventus expectatur, Ludovici mandata ad urbis Præfectum perferuntur, ut Alexandri legatum Gallia excedere cogeret. Novitatem rei miratur Raſponus, miratur Grimanus, quod, qua de cauſa promiſſis non ſtetiſſet Ludovicus, neſcientes, exiguam pacis conciliandæ ſpem habebant. Sed ubi poſtridie nuncius cum Ludovici litteris ad Grimanum venit, *poſse Raſponum in Allobrogum fines ſe conferre, eo Crechium cum pacis mandatis eſse venturum*, animus eis amplior eſt. Eſt flumen, quod Galliam ab Allobrogibus dividit. In eo flumine pons eſt, Bellovicinus appellatur, qui oppidum conjungit. An.1663

Bb 2 Pars

An.1663 Pars trans flumen poſita ſub Regis Galliæ Imperio, pars vero citra flumen ſub Allobrogum Ducis ditione eſt. In hanc oppidi partem Raſponus ſe recipit: in illam Grimanus, Turieta Philippi legati a Secretis, & Crechius ſe conferunt. Colloquiis habitis, ſtatim conditiones illæ convenere, quibus Ludovico ſatisfieret, ſolum diſſenſio extitit, quod, quum Alexander aliorum Summorum Pontificum decreta nunquam perfringere ſtatuiſſet, Caſtrum Farneſio reddere nolebat, niſi ubi temporis ſpatio clara juſtitiæ cauſa apparuiſſet. In hoc eo magis perſeverabat, quia rumor exierat, Farneſium Ludovico Caſtrum eſſe permiſſurum. Hoc ut ſummo cum Italię periculo futurum ſimul Veneti, ſimul Hiſpani intelligebāt, Alexandrum hortabantur, ne iniquiſſimam acciperet conditionem. Quorum voluntate confirmatus Alexander, Raſpono ſcribit, *ut palam profiteatur, ſe nulla ratione conditionis iniquitatem probare poſse.* Quæ fuit cauſa, quare colloquia ſublata eſſent. Petierunt ab Crechio Veneti, Hiſpanique, *ut vel Madritum, vel Venetias veniret, poſse ibi conciliari pacem.* Sed ut Crechius ad arma rem deduci ſtudebat, eis morem geri poſſe negavit. Pace infecta ubi legati rediere domum, maximus belli timor omnes invaſit, ſed quum poſtea Ludovicus lenius ageret, & ſe neque pecuniam Farneſio daturum, neque Caſtrum obtinere velle profiteretur, pacis ſtudium ei innatum eſſe argumenti loco ſumunt. Quibus rebus permotus Flavius Chiſius Cardinalis, ſimul alienum ſuis rationibus exiſtimans inimicitias cum tanto Rege exercere, Alexandrum patruum, *ut diſsenſionum obliviſceretur*, hortatur. *Semper maxima mala ex bello orta eſse, at nunc majora oriri poſse, quum Turcæ ſupra caput ſint. Præterea nullo conſilio pro incerta ſpe certa pericula ipſum ſubiturum eſse. Jam conſtare, dubium belli eventum eſse, dubiam fortunam, quæ magnos afferre ſoleat caſus.* His atque aliis eum impulit, ut Cardinalium ſuffragiis rem permitteret. Quorum maxima pars, ſive Flavii precibus fatigata, ſive quod eo rerum ſtatu non æquam etiam pacem, quia neceſſariam, bello præferendam exiſtimabat, non eſſe cunctandum cenſet, quin pax firmaretur, etiamſi contra, atque ab aliis Pontificibus decretum eſſet, Caſtrum reddere Farneſiis polliceretur. At alii *turpe eſse metus præbere opinionem* dicunt, *adeo ut ad alterius præſcriptum Chriſtianam rem adminiſtrare cogeretur. In Dei ope ſpem ponendam* demonſtrant. *Aliorum Pontificum conſtantiam, atque Leonis exemplum, qui non armis, non exercitibus, non munitis oppidis, ſed conſtantia, animi magnitudine, ac divini auxilii ſpe Attilam arrogantiſſimum juxta, ac potentiſſimum Regem ab incepto de-*

deterruit, ante oculos ponunt. Dimiſſo concilio, vagus, incertuſque agitatur Alexander: nam Turcarum potentiæ timor, opem Cæſari ferendi ſtudium, otii cupiditas, dubius belli eventus pro pace; gloriæ vero cupido, iniquitas conditionum, turpitudo alteri parendi contra eandem ſuadebant. In tanta agitatione Flavius multa exponens, effecit, ut Ferdinando Magno Etruriæ Duci ſuam pollicenti operam negotium daret,ut ad otium rem deduceret. Ferdinandus affirmabat, Ludovicum ſaltem ſpecioſis conditionibus iis conſulere exoptare, quorum patrocinium ſuſcepiſſet, ne tantum admitteret dedecus, ut ſuum inceptum fruſtra fuiſſe videretur. Ferdinandi, ac totius Medicei generis prudentiam, ac ſummum conſilium quum Chiſii, tum omnes probabant: quoniam, quum eis datum videretur, ut ob bonas artes Regibus cari eſſent, ejus affirmatione in pacis ſpem veniebant. Nec opinio eos falſos habuit: nam Ferdinandi legato Ludovicus ſe paratiſſimum eſſe pacem firmare reſpondit. Hoc ſtatim Alexandro Ferdinandus enunciandum curat. Qui, etſi res ſummopere optata afferebatur, & magni Ferdinandi authoritatem faciebat, tamen prope inveriſimile ipſi videbatur, puncto temporis tantam voluntatis commutationem factam eſſe, ut colloquia, quæ interrumpi juſſiſſet, haberi nunc exoptaret. Ob hanc rem quum eſset inter ſpem,& metum,res accidit,quæ dubitationem expulit omnem. Erant familiari amicitia conjuncti Bichius Prior ordinis D. Joannis Hieroſolimitani Alexandri ex ſorore nepos, ac Sureus ejuſdem ordinis Commendator Gallus. Hic in pacis ſermonem ingreſsus, omnia Bichio enunciat, quæ per Ferdinandi legatum ad Alexandrum allata erant. Miratus Bichius, ex eo quærit, qua ratione ea comperiſſet, quorum pauci participes eſſent. At ille ad interrogata non reſpondens, *ſi ſibi ab Alexandro poteſtas fiat, in ſe recepturum* confirmat, *rem ad otium deducere*. Sureus ob ſingularem prudentiam, ac fidem Ludovico acceptus erat, atque ejuſdem conſilii particeps: quæ ad id tempus tum Chiſii, tum reliqui ignorabant. Ubi vero hæc comperta ſunt, ſimulque, quod pollicitus erat, per Bichium ad Alexandrum perlatum eſt, facultas, quam petierat, ei data eſt. Factum eſt ergo hujus opera, atque Ferdinandi authoritate, ut Ludovicus pacis colloquia Piſis haberi, & poteſtatem pacem firmandi Ludovico Burlemontio Gallo Romanæ Rotæ Auditori permittere non abnueret, ne itineris mora, ac Crechii audacia rerum accideret commutatio. Alexander Cæſarem Raſponum Piſas illico mittit. Qui ubi pervenit, & reliqui convenere, nulla coorta fuit mora, quin his conditionibus armorum cauſa tolleretur. Flavius Chiſius Cardinalis in Galliam An.1663

pro-

An. 1664 proficiſceretur, cui diſcedenti Alexander Legati a latere poteſtatem permitteret. Marius Chiſius Roma excederet, neque redeundi facultas eſſet, niſi prius in Regis conſpectum Flavius filius veniſſet, & eo inſciente omnia accidiſſe profeſſus eſſet. Laurentius Imperialis ſui purgandi cauſa itidem Regem conveniret. Auguſtinus Chiſius Narniam obviam Crechio Romam redeunti procederet. Idem Alexandri fratria faceret, & Crechii uxori omnes ex eo doluiſſe renunciaret, quod Roma exceſſiſſent. Cyrneis nunquam in reliquum tempus militiæ munus Romæ ſuſtinendi facultas fieret. Ad ſempiternam poſteritatis memoriam litteris geſta in marmore traderentur. Satellitum Præfectus in exilium mitteretur. Pontificis legatus Avenionem reciperet. Omnibus, qui Ludovici fidem imploraſſent, ignoſceretur, ac bona reſtituerentur. Eſtenſes Pompoſæ Abbatiæ Juſpatronatus obtinerent. Eiſdem ab Alexandro Romæ daretur domus. Eorum creditoribus trecenta nummorum aureorum millia, ac uſuręſolverentur. Farneſiis Caſtrum obtinendi facultas fieret, ubi annorum octo ſpatio ad ſexcenta viginti novem millia ſupra decies centena nummorum aureorum millia ſolveret. Si medietatem pecuniæ daret, medietatem agri, ac oppidorum partem obtineret. Data, & accepta fide, omnia ad diem facta ſunt. Uni Farneſii, quia pecuniæ ſummam non dederunt, rem confecuti non ſunt. Flavius magno Nobilium, Præſulumque comitatu iter Galliam verſus habere cœpit. Idemque magnificentiſſimo cultu Laurentius Imperialis fecit. Qui ubi pervenere, libentiſſimis animis ab omnibus accipiuntur. Maximique honores eis ab Rege habentur. Et licet inter Galliæ Antiſtites, & Chiſium Cardinalem a latere Legatum diſſenſionis cauſa orta eſſet, tamen eorum ſententia obtinuit, quorum clarius in Pontificem Maximum ſtudium erat. Flavius ſubito Romam redire decreverat; idemque diſcedenti Alexander verbis mandaverat, tamen quod initio invitus fecerat, poſtea, quia liberaliter a Rege habebatur, voluntate manebat. Hunc tantis officiis ſibi devinxit Ludovicus, ut, ubi Romam rediit, maxima ope ad Alexandro perſuadendum anniteretur, ne earum rerum Ludovicus repulſam ferret, quę ab ipſo ſe deprecatore peteret. Alexander primo omnia ei dare poſſe negavit; deinde cum animo reputans, maximi quum ſua, tum Chriſtianæ Reipublicæ referre, eum beneficiis obſtringere, ut compoſita amicitia magis, magiſque firmaretur, omnia conceſſit. Et hic fuit belli exitus, quod occupatione temporum, & Turcarum exercituum timore ſollicitam Chriſtianam Rempublicam habuit.

Finis Libri Primi.

DE

An. 1664

DE BELLO PANNONICO

Liber Secundus.

PACE inter Alexandrum Pontificem Maximum, & Ludovicum Galliæ Regem conciliata, animus Germanis amplior eſt, quia Alexandrum ab timore vacuum non modo operam daturum confidebant, ut Chriſtianis Regibus innatum perſequendi hoſtem conſenſio eſſet, ſed rebus omnibus Cæſarem juvaturum pro certo habebant. Jam exercitum eo conſilio is non dimiſiſſe nunciabatur. Jam ab Petro Strotio, quem ad Ludovicum ab Cæſare legatum miſſum demonſtravimus, nuncii venerant, *Ludovicum magna Cæſari mittere auxilia velle*. Jam de Philippo Hiſpaniæ Rege non dubitandum exiſtimabant, quin pro viribus Cæſari opem ferat. Igitur alius animus, alia omnium ſpes videbatur, quum his rebus, tum maxime quod Cæſari nihil Regulos, ac Civitatum legatos coram eſſe negaturos judicabant. Hæc ſpes Cæſarem ad Ratisbonam petendum impulerat. Et quia multis de cauſis utile etiam, non commodum ſolum videbatur, cum ipſis Regulis agere, litteras ad omnes miſerat, *rem, ut Ratisbonam contenderet, poſtulare: ne gravarentur ipſi id publicæ cauſæ tribuere, ut eodem venirent*. Horum majori parti ſatis viſum eſt polliceri, quum, aliqua illata cauſa, illud non præſtitiſſent. Ex Germanorum Regulis ii, quibus Imperatoris creandi facultas eſt, alios ſecum exæquari turpe ducunt. Ex his quum Maguntinorum, & Tre-

An.1664 Trevirorum Antiſtites, Bavariæ, atque Saxoniæ Duces Ratisbonam veniſſent, reliquis hæc Cæſari morem non gerendi cauſa fuit. Ei tamen decus quoque gratificari, non fuiſſe negaturos profitentur, ſi commodiſſime per legatos omnia agere non poſſe cognoviſſent. Ex hac re conjecturam nonnulli cœperunt, nondum omnium mentes, a ſuperiore conſilio reſediſſe. Quod quidem brevi cognitum eſt, quum Cæſar, ut ſibi rei pecuniariæ auxilia mitterent, impetrare nequiviſſet. Fruſtra ergo ii, quibus patriæ ſalus privata gratia carior erat, ante omnium oculos ponebant, *non minus Gallum, quam Turcam Germano timere opus eſſe, quum utrique libertatem, & gloriam ſibi eſſent erepturi. Semper Gallos fuiſse imperandi cupidos, at nunc Ludovico Rege rationem negotii perficiendi quærere. In Auſtriaco genere Germaniæ ſpem verti. Si hujus authoritas minuatur, ne ipſi præcipites cadant, timendum eſse. Quid novam tentare fortunam vellent, quum in tam diutino hujus generis imperio nihil ſui deperdiſsent? Debere quemque operam dare, ut ſaltem ejus non minuantur opes, ſi potentia auctius eſse non placeat. Hujus rei perficiendæ rationem initam eſſe conſtare, quando uno animo huic bello ſervirent, & ab uno omnia adminiſtrari paterentur. Non ſemel plurium imperium inutile bello fuiſſe experientia compertum eſſe, propterea quod diſcordia inter plures eſſe ſoleat. Unam igitur periculi vitandi rationem eſſe, ſi pecuniam, qua una Cæſar egeat, conferrent.* Alia ab aliis jactata, quæ ut ſuperius recenſui, nunc libenter omitto. Nihil vero horum dicta illos permovent, qui Ferdinandi potentiam animo continebant, quin, ut ſuos exercerent, fœderati quatuordecim, quatuor vero, & viginti armatorum millia reliqui conferre his conditionibus pollicerentur. In dies, quid in caſtris geratur, omnibus enunciaretur. Cuilibet vel peditatus, vel equitatus auxilia mittere liceret. Certior unuſquiſque fieret de numero militum, quem conferre deberet. Præfecti de concilii ſententia conſtituerentur. Reguli, Civitateſque minora bellica tormenta, majora vero Cæſar compararet. Auxiliares cohortes Montecucculi dicto ſolum pugnæ, vel oppugnationis tempore audientes eſse tenerentur. Hæc ubi conſtituta ſunt, nihil reliquum eſse, quam de conſtituendis Præfectis agere, Cæſar ratus, *ut res diutius non ducatur*, petit. Hac enim re expedita, intentiore, quam antea, cura in bellum apparandum incumbere ſe poſse cognoſcebat. Sed quum diſsenſionis cauſa orta eſset, nihil convenit. Omnium enim primum Catholicis, Hæreticiſque erat ad ſummum honorem aliquem ex ſuis evocare: peritus ne armorum uſus, an non, is eſset, curæ neutris erat. Hæretici ergo *Friderico Gulielmo*

Bran-

Brandeburgi Duci belli ſummam maxima cum authoritate permittendam cenſere; Catholici vero *Imperatore opus non eſſe* dicere. *Si Ducem minori cum authoritate exercitui præficerent, præter alia commoda, minus ſtipendii ei decernere oportere. Pecuniæ parcere difficillimis temporibus optimum eſse*. Hæc oſtentabatur magis cauſa, quam vera erat, quum ideo uni viro exercitus ſummam permittere nollent, quia, ſi ſuffragiis res permitteretur, Fridericum Gulielmum rem conſecuturum arbitrabantur. Horum conſilium ex hæreticis quidam adjuvabat, *tantam potentiam formidoloſam Germaniæ toti fore*, dicendo. Quod opportune accidiſſe Cæſari viſum eſt, quia haud facile tanto viro finem ſtatui poſſe videbat, quando ei exercitus in manu eſſet. Quum ergo plurimi ſua intereſſe animadverteret, virum optimum, ac ſibi fidum auxiliis præponi, quantum gratia, & authoritate valet, ut Marchionem Leopoldum Badenium copiis omnibus præficerent, enititur. Hunc tum negotio, quod pluribus inveteraverat præliis, tum ſibi opportunum fore judicabat, quod militibus, quos circum ſe cuſtodiæ cauſa habebat, præeſset. Quumque majorem legatorum partem Cæſari ſatisfacturam eſſe appareret, hæretici *nulla ratione fieri dicunt, ut homini, qui Cæſaris totus ſit, confiderent. Principem Philippum Sulzbachium omnibus opportuniorem eſſe, & belli uſus peritiorem*. Ad hæc etſi alia addiderant, tamen, ſuffragiis re permiſſa, Catholicorum ſententia obtinuit. Hoc ægre paſſi quum hæretici, tum fœderati, adeo ut *nunquam Badenium copiis, quas ipſi conferrent, præfuturum* dicerent. Cæſar huic rei occurrere cupiens, Sulzbachium ſuarum copiarum parti præpoſiturum pollicetur. Hac ratione Sulzbachii animum ſibi conciliare nitebatur, ut potius ſibi certa afferenti, quam aliis vana promittentibus morem gereret. Nihilominus tanta controverſia inter omnes erat, ut, ne ad ulteriora veniretur, iterum ad concilium rem deferri oporteret. Atque tametſi nihil etiam tum obtinere potuerunt, tamen conatu non deſiſtunt, niſi ubi Brandeburgi, atque Saxoniæ Duces moviſſe de ſententia Cæſar ferebatur. Badenium itaque Ducem ad unum omnes probantes, Ducem Uldericum Virtemberghesium equitum Magiſtrum, Ducem Alphonſum Olſteinium equitum Inſtructorem, Comitem Franciſcum Fugerem bellicorum tormentorum Magiſtrum, Marchionem Guſtavum Adolphum Badenium Durlachium, Comitem Puchium, Ducem Auguſtum Olſteinium peditatus Inſtructores dicunt. Fœderati, ut Comes Olachius etiam ſuis copiis præſit, decernunt, eique Comitem Valdechium adjutorem ſubmittunt. Hi etſi tot, tantoſque Præfectos certamina in conſiliis An.1664

An. 1664 omnibus accenſuros arbitrabantur, & ea bono publico obſtare intelligebant, tamen, ne Cæſar victoriam adipiſceretur, adeptamque exerceret, duos ex Regulorum numero in caſtra mittendos cenſuere, qui quodammodo Duci etiam præeſſent. Hos haud dubie potius totam Germaniam, quam Cæſarem reſpecturos confidebant. Res tamen longius ducta eſt, quum quod plerique nova introducenda exempla non exiſtimabant, tum propter candidatorum magnum numerum. Tandem, quum eſſet pluribus inter omnes diſceptatum, Bernardus Calenus Monaſterii Epiſcopus acerrimi ingenii, & ſingularis prudentiæ vir, & Marchio Fridericus Badenius Durlachius ad dignitatem evocantur. Qui horum Conſiliarii eſsent, Raſſinius, & Stombius cohortium Præfecti, Haubiſius, atque Otto Manumerodes deliguntur. Hoc adeo nonnulli ægre tulerunt, quia ſe dejectos honore videbant, ut ſtipendium eis nunquam ſe eſse decreturos profiterentur. Non opus ſibi ſtipendio eſse, ut Chriſtianæ Reipublicæ operam daret, confirmat Calenus. Tanta animi altitudine perſpecta, cunctos rem improbare puduit. His rebus omnibus conſtituendis duos circiter menſes conſumpſerunt; reliqua vero multo poſt convenere, adeo ut Calenus, Durlachiuſque, quum æſtatis extremum erat, in caſtra pervenirent. Ex his omnibus cognoſcere licet, quantum Cæſari ii cuperent, qui, ne auxilia uſui eſsent, operam dabant. Quod quidem eo majorem Cæſari difficultatem afferebat, quo certius Ludovicum Germanorum amicitias, quod alta nimis cuperet, appetere arbitrabatur. Propterea non parum cuncti mirati ſunt, quum Strotius Gallia rediens, Regem equitum millia bina, & peditum millia quatuor, atque majora auxilia, ſi opus eſſe cognoverit, miſſurum eſse demonſtravit. Cujus conſilia etſi quo pertinerent cognoſcere non poterant, tamen ſuſpecta Auſtriacis erant, quia Ludovicum ſibi invidere, quum aliis ex rebus conjecturam capiebant, tum maxime ex eo, quod Gravella non mediocris dexteritatis vir ex Gallia in Germaniam veniens Ferdinandi Mariæ Neoburgi Ducis animum tentaviſſet, & nunc Regulos alios ſollicitare non deſiſteret. Itaque ſolum ab Alexandro P. M. metus non ſe oſtendebat, quod nummorum aureorum millia ſeptingenta Cæſari ſubſidio miſiſſet, quod certum tributum Eccleſiaſticis, qui ſub Cæſaris ditione erant, impoſuiſſet, quod peditum millia octo, & equitum millia duo ſuo ſumptu aleret, donec ineunte vere in Pannoniam iter facere poſſent. Italiæ Reguli etſi omnes certa rei pecuniariæ ſubſidia miſerunt, uni tamen Mantuæ Duci, quia clarius ſuum in Rempublicam Chriſtianam ſtudium demonſtraverat, Cæſaris verbis gra-

gratiæ ſunt actæ. Horum auxiliorum tanta Conſtantinopolim opinio perlata eſt, ut Acmetes cum animo ſuo reputare cogeretur, utrum difficile ſibi eſſet tanto Regum omnium conſenſui obſiſtere, an non. Nam ſi bellum proſpere non cederet, invidiæ tempeſtatem imminere pro certo habebat. His ut occurreret malis, pacem firmare optimum judicabat; maxime ſi ea, quæ de fœdere dicebantur, vera eſſe cognoſceret. Hoc inito conſilio, magna ſollicitudine afficitur, quemadmodum id Mehemeti Regi perſuaderet. Timebat enim, ne ſibi timidi conſilii authori vecordia objectaretur. Eam igitur vitare cupiens ſuſpicionem, Regis Conſiliarios ſenſim criminatur; palam dicit, *bellum duci non poſſe, propterea quod gregariis fortitudinis exemplo Præfecti non eſſent. Eos potius omnia permiſceri malle, quam vitam ſtrenue pugnando in periculum deducere. Nonnullis ex Conſiliariis aurum fide carius eſſe. Eoſdem pecunia corruptos clam omnia hoſtibus enunciare conſilia. Quid igitur fœdere ſibi juxta, ac omnibus non conſuleret, quum externis, ſimulque internis hoſtibus reſiſti non poſſit? Alio tempore Pannonios perdomere nihil negotii fore.* Hæc, atque alia hujuſcemodi ſæpius eo dicente, jam Mehemetes ſuum flexerat animum, ut in inſontes animadverti juberet, niſi ſummi legis interpretis, quem Muſthium ipſi appellant, authoritate permotus conſilium mutaviſſet. Interim quum tota Germania, Gallia, atque Italia delectus haberi, arma portari, omnia, quæ ad bellum uſui eſſent, parari nuntiaretur, excidium imminere Turcæ rati, iniquis etiam conditionibus pacem redimendam exiſtimabant. Et quia ſibi Chriſtianos aures non eſſe præbituros exiſtimabant, Acmetis conſilium omnibus precibus deteſtantur, quod pro diſciplina habere nollet eventus, quos ii excepiſsent, qui nimium fortunæ belli confidiſſent. His rumoribus permotæ mulieres, ſupplices manus ad cœlum tendere, fortunam queri, fletu omnia complere. Earum vocibus ubi illos etiam permoveri Acmetes vidit, qui fortes habebantur, ne ſeditio oriatur, Regi perſuadet, rem uti ad concilium deferat. Magni enim intereſse confirmat, de plurium conſilio omnia perfici. Concilio convocato, nonnulli, *ut pace publicæ ſaluti proſpiciatur*, cenſent. Alii, *turpe eſſe* dicunt, *metus præbere opinionem*. Tantaque diſsenſio exiſtit, ut unuſquiſque ab ſua ſententia ſe nunquam diſceſſurum pronunciaret. Illos enim boni publici ſtudium, hos invidia in eo perſeverare cogebat. Hoc die nullius ſententia accepta. Poſtero die poſteaquam omnes convenere, hujuſcemodi orationem ille, quem Muſthium appellant, fertur habuiſse. *Quamquam pacis dulciſſimum eſt nomen, quo non mo-* An. 1664

An.1664 *do homines, verum etiam prope dixerim inanima lætari videntur, tamen poſtbabitis omnibus bellum ſuaderem, ſi ingens victoriæ ſpes nos teneret. Mitto, quod hæc in fortunæ manu ſit, quæ parvo temporis ſpatio magnas rerum efficit commutationes. Prætereo, quod experti ſæpe ſumus, partam prope victoriam a minima re interpellatam, & in utramque partem levem cauſam magnum habuiſſe momentum. Sed quum hujus negotii facies varia, atque incerta ſit, ſummæ perfidiæ is accuſandus videtur, qui contra, atque a majoribus inſtituti ſumus, faciendum cenſeat. Videte ſi in victoriæ ſpem venire liceat, quum pluribus ex partibus nos Chriſtiani perfidi hoſtes circumſtiterint. Dicere, & ominari horreo, quod præſentio, tamen non omittam non extraneorum, non ignavorum, ſed majorum, quorum virtutis monumenta plurima ſunt, exempla eſſe imitanda, qui tanto ſtudio colebant pacem, quum adverſus alium bellum gerebant, ut nihil ſupra. Et quidem merito. Nam nonne ſummæ dementiæ eſt, in diſcrimen omnia adducere, ut plures devincas, quando ſine vulnere perdomere aliquam gentem valeas? Præſtat meo judicio aliquid ſine contentione, quam maxima cum periculo ſibi parere. Nonne, ſi contentione utamur, nullo negotio Cretam occupare poterimus? Nonne clades accipi poteſt, quum nimium apud nos imperii cupido valet? Hæc quamquam omnes intelligunt, tamen, ne deſit occaſio periculis eos objectandi, quorum egregia virtus eſt, trahere bellum volunt. Hac ratione magiſtratum perpetuo gerere ſe poſſe ignavi cognoſcunt, ſi fortiſſimos ex omnibus de medio tollunt. Jam Præfecti, Duceſque rerum militarium peritiſſimi fraude potius amicorum, quam hoſtium vi interierunt. Jam multi inſcitiam ſimulant, ne virtus in invidiam caſura ſit. Jam quorundam perfidia noſtræ contuſæ ſunt opes, & tamen deſiſtere bello nolunt. Si ſuperiore anno, quo ſpe pacis Germanos ludificarunt, vix tot fortiſſimorum Turcarum jactura Neoſelium recipere valuerunt, quem expectare exitum nunc licet, quum anni ſpatium ad comparandas copias, ad Chriſtianos Reges concitandos nacti ſunt? Nunc belli componendi tempus eſt, quum unuſquiſque ſibi confidit. Fruſtra dolebimus, ubi experiri volumus, quid communis Chriſtianorum conſenſus poſſit. Tu igitur Mehemetes verus Dei Propheta eam tuæ genti mentem da, qua in majorum veſtigiis pedes ponens, quidquid exopto, conſequatur. Tu fac, ut præſens interſit Deus quum omnibus, qui in te poſuerunt ſpem, tum maxime Regi noſtro, ut, quod ex uſu omnium ſit, cognoſcat, & deletorum tui nominis hoſtium gloriam ferat.* Permovit omnes quum prudentia, tum viri authoritas, adeo ut, quum Reges plurimum ſacerdotum conſiliis uti ſolere non igno-

ra-

rarent Conſiliarii, longe aliam ſibi mentem eſſe, dicere timebant. An. 1664
Quum igitur diu ſilentium tenuiſſet, Iſmaelem quendam, qui magnæ virtutis vir habebatur, & Acmeti infenſus erat, in hunc modum locutum accepi. *Quantum res noſtra aucta bello ſit, nemo eſt, qui ignorat: cur ergo ea ratio, quam procedere experti ſumus, non eſt ſequenda? Semper, qui hoſtem non horruerunt, eos victoria potitos eſſe conſtat: cur igitur bellum imperterrite ducere dubitamus? Quæ mens his ſit, qui incertis rumoribus ſervientes ab armis diſcedere exoptant, intelligere vix poſsum: nam Chriſtianorum omnium vires extiment, quaſi jam inita ſocietas ſit, vel ſi inita, perpetua ſit futura. Quid enim facilius eſt, quam ad diſcordiam rem deduci? Sed meo judicio etſi Chriſtiani Reges conſenſerunt, nihil tamen nobis timendum eſt, quum nos exercitus numero, ac virtute hominum ingentes, pecuniæ, ac arma tegant, contra ipſi non in his rebus, ſed in pace ſpem ponere cogantur. Hæc quum ita ſint, cur tantum timorem vos invaſiſse demonſtratis, ut pacem, ſupplicibus miſſis legatis, petere velitis? An neſcitis, a quibus pax petitur, iis maximam attribui authoritatem? Quis unquam dubitabit, quin noſtris ſtudium diminuatur, hoſtibuſque alacritas innaſcatur? Conſiderate, quam turpe ſit tum muliebriter timere, quum alacriores certior victoriæ ſpes nos facit. Omnia profecto matura ſunt, gloria belli, victoria: nam quæ de iſta ſocietate dicuntur, aut omnino falſa, aut minora opinione eſse confirmo, quum accidere plerumque ſoleat, ut opibus deſtituti neque arma parare, neque bellum trahere valentes ad artes, multa prædicando, recurrant. Jam victis plus verborum, quam potentiæ eſse conſtat. Quam turpe igitur eſſet, quum hæc Germani ſigna miſerint, negotii conficiendi occaſionem dimittere. Haud dubium eſt, quin ſibi diffidant, qui nihil his rumoribus nos permoveri intelligent. Quid animi iis eſse poſse exiſtimatis, qui in majus ſemper periculum ſe venire animadvertent, quum innatum omnibus ſit, magis de futuris periculis, quam de præſentibus conturbari? Jam Pannoniorum animi ita a nobis alieni non ſunt, ut de victoria deſperare nos cogant. Jam ſe adjutores fore pollicentur. Quid ergo non eſt periculum faciendum? Quid partam victoriam non retinebimus? Hic dies, ſi fortem animum geremus, labores confirmabit omnes, ſi timoris præbebimus opinionem, maximorum dedecorum initium erit. Nam qui ab irriſione liberi eſse poterimus, quum per orbem terrarum fama percrebuerit, Turcas ab Germanis pacem petendo, ut eis ſpiritus accederent, effeciſse, qui ſibi timere cogebantur? Agitedum majorum veſtigiis inſiſtite, qui magis de timoris ſuſpicione vitanda cogitabant, quam plures bello perſequi*

ſequi

An.1664 *ſequi nolebant*. At Acmetes, qui tacitus ad id tempus fuerat, utrumque probare conſilium, ſummæ eſſe dementiæ dicit. *Quid enim turpius dici, aut excogitari poteſt*, inquit, *quam Turcas incertis rumoribus permotos authore hoſte de ſumma rerum conſilium capere? Aut quid detrimentoſius eſse poteſt, quam fortunam tum periclitari, quum Chriſtianos Reges Cæſar concitaverit? Mei conſilii eſt explorare, quid ab Chriſtianis conſilii ineatur, ut, ſi tempore interpoſito vera hæc eſse cognoſcam, pax, ſin falſa, bellum agitetur. Interim de bellicis apparatibus remittere non eſt conſilium, ſed eo majore conatu in illos inſiſtendum cenſeo, quo facilius Leopoldum, cognitis iis, pacem firmaturum provideo. Hoc, niſi animus fallit, quod expedire Regi videtur, eo faciendum propoſui: quoniam ita ab ineunte ætate vitam inſtitui, ut Regis gloria, ac publica ſalus mihi prima eſset. Nec alio conſilio ſuſceptum ab Mehemete patre bellum ducere exoptavi. Propterea errat, qui contrarium exiſtimat. Cui reſpondere omitto, ut, ſi alia re juvenis ſuperare ſenem non potero, certe modeſtia vincam, ne hoc tempore ad controverſiam res deducatur, quo arma maxime parare oportet*. His auditis, Mehemetes Rex contra Turcarum Regum morem, *Macte*, inquit, *virtute, conſilioque Acmetes eſto. Tuo ingenio liberati omnes metu ſunt. Tua diligentia Turcas prædam, & gloriam belli inventuros confido*. Cognita Regis mente, ut innatum Turcis eſt Regi aſſentari, etiam Muſthius laudibus conſilium effert. Tum Acmetes gratias Regi agens, eum monet, *quoniam ſua obtinuiſset ſententia, ne accipere gravaretur, quid ſibi de belli ratione videatur. Se bellum gerentem coram perſpexiſse, plus dolum, quam vim procedere; idcirco acrius adnitendum eſse, ut in vulgus efferatur, Mehemetem Regem haudquaquam de ſua in Pannonios voluntate diminuiſse, quod dementiæ finem non fecisſent, quum, ut ipſos in libertatem vindicaret, bellum aggreſsus eſset. Ei in animo eſse, Regem acceptum ipſis dare. Si Michaelem Abbaſſum probarent, illi Regnum eſse adjudicaturum. Hac arte haud dubie Pannoniorum animos ſibi conciliaturum confidere, quum quod ſe ab Germanorum populationibus liberos fore ſperarent, tum quia Regem ſuo ſuffragio haberent. Præterea ſpe pacis detinere Germanos optimum eſse, ut minore ſtudio neceſsaria ad bellum parent*. Ubi hæc dicta ſunt, omnes, quod Regi ſe gratum facturos exiſtimabant, hominis diligentiam laudant, *ac nunquam tam maturæ virtutis juvenem fuiſſe* pronunciant. Dolis compoſitis, Reningherium ad ſe Acmetes vocat, (cum nunquam dimittere voluerat, ut, quum adeſſet uſus, de pace cum ipſo agendi facultas eſſet,) *atque nunc de compoſitione agendi tempus eſse* docet. *Si æquas acci-*

peret

peret conditiones, fore ut Germani, Pannoniique ad ultimum ſupplicium non progrediantur; quoniam, quum majori, quam nunquam antea, apparatu Rex ipſe in Pannoniam contendere ſtatuiſset, aliud remedium, quam pacem redimere, ipſis non eſset. His auditis, Reningherius ut ludificationem cognoverat, *ſibi nullam eſse ab Cæſare poteſtatem factam* reſpondet; *omnia ei proponere oportere*. Quoniam in hunc locum perveni, de Turcarum legibus, moribus, aliiſque ejuſmodi pauca dicere non ſupervacaneum duco. Turcas a Pomponio Mela, Plinioque cognitos nonnulli arbitrantur, quum eorum meminiſſent. Ex Scythis originem ducunt, atque Mehemetis cujuſdam flagitioſiſſimi hominis commenta probant. Mehemetem patria Cyrenæum, obſcuriſque parentibus ortum heri viduam ejus facultatum magis, quam formæ amore captum (quinquagenaria erat) uxorem duxiſſe ſcriptores noſtri fere omnes tradunt. Quæ omnia neque refellere, neque probare audeo: nam tantæ impudentiæ non ſum, ut vel contra tot doctiſſimos viros eniti velim, vel Araborum ſcriptorum authoritatem nihili facere demonſtrem. Nudum igitur proponam, quod ex Arabicis libris interpretatum mihi eſt: propterea credat quiſque, quid placet; licet, ut in Arabicis rebus Arabis hiſtoricis fidem præſtem potius, & animus inclinet, & ratio poſcat. Itaque Arabes Mecam in Arabia patriam Mehemeti fuiſſe; eumque nobili, illuſtrique Aſcemitharum genere prognatum teſtantur. Et hujus gentis familiare ſacerdotium templi, quod Caabaum dicitur, fuiſſe addunt. Patre mortuo, Mehemetes in patrui tutela fuit; qui effecit, ut nobilem, licet 40. annos natam, uxorem ſibi jungeret, quia plurimum divitiis eam poſſe ſciebat. Mehemetes ergo ut natura novis ſtudebat rebus, ubi divitiis authoritatem ſibi maximam comparavit, magis, magiſque ſecum reputabat, quid novi aggredi optimum eſſet. Inter hæc Sergius quidam monachus Neſtorianæ hæreſis damnatus in Arabiam ſe recipit: qui, ut flagitioſiſſimus ex omnibus erat, ubi cum Mehemete amicitiam inſtituit, ſuam ei operam pollicitus eſt. Sic modo hanc, modo illam doli rationem compoſuerunt, uſque eo ut Mehemetes Propheta ab multitudine appellatus, ſe ab Deo legum condendarum cauſa miſsum dicere auderet. Hoc modo regnum ſibi conciliavit, & commentis tantum apud rudes profecit, ut leges tanquam divinæ acciperentur. Sic non pauci ex ipſo ſuperſtitionem hauſere. Mehemetes tamen ad extremum veneno, incertum propter invidiam, an imperii injuſtitiam, ab Judæis necatur. Hujus corpus Methymnæ Talnabiæ ſepulcro conditum colendi gratia immenſos maris, terræque tractus Turcæ peragrant. Superſtitionem hanc ad ſeptingentorum anno- An. 1664

rum

Digitized by Google

An. 1664 rum ſpatio non pauci coluere, plures vero ubi Othomanus potentia, dignitateque auctior eſse cœpit. Othomanum nonnulli ab quodam Scythiæ paſtore prognatum arbitrantur. Non deſunt, qui eum ſplendidis natalibus ortum dicant, quum ejus majores prope ab hominum memoria ſuæ Civitatis in Scythia principatum obtinuiſsent. Mehemetes vero Turcarum Rex ejus nominis ſecundus, ut crederetur, tendebat, ab Commeni Græcorum Imperatoris nepote genus eum ducere; qui ab patruo deficiens in Scythiam ſe recepit. De re tam antiqua unuſquiſque, ut libet, ſentiat. Accidere enim ſolet, ut non eadem ſcriptoribus mens ſit de re jam vetuſtate obliterata. Nam nec certum inveniri poteſt, Othomanus ne Aladini Regis miles ſive injuria, ſive dominandi libidine permotus ab eo defeciſset, an Rex, & Aladini ſocius fuiſset; qui, Aladino mortuo, occaſione invitatus confines paulatim ſub ſuum imperium coegit. Id vero inter omnes convenit, quod res a parvis initiis orta eo proceſſit, ut maximum Chriſtianæ rei detrimentum inferret, quum unus Othomanus Cappadociam, Pamphyliam, Ciliciam, Pontum, & Bithyniam perdomere valuiſset. Othomano Orcanes ſucceſſit; ei rurſus alii, qui omnes finitimas provincias ſub ſuum Imperium coegere, uſque eo, ut magnam nunc Africæ, Aſiæque, non minimam Europæ partem ſui ſceleris prædam facerent. Multis artibus tantam gloriam, potentiamque ſibi Turcarum Reges addere valuerunt; quarum eæ fuerunt præcipuæ, quod ſtatim, expugnatis urbibus, perdomitiſque gentibus, viros vel inter ſuos authoritatis, vel maximi conſilii, & fortitudinis ſive interfecerunt, ſive, ne motus excire valerent, alio ſe conferre coegerunt, quod nunquam, dum res hortatur, propagandæ ſuperſtitionis cauſa bellum inferre nefas putant, quod per vim expugnata oppida, vel urbes, ubi templum ædificaverint, ex fœdere reddere ſalva religione nequeant. Militum magna copia eſt; quos tam otii, quam belli tempore alunt. Hujus rei multas afferunt cauſas, ut diſciplinam perdiſcere curet, qui, nomine dato, quum uſus venit, ſibi ad exercitum contendendum eſse ſciat, ut celerius exercitus contrahere poſſint, ne plus pecuniæ belli tempore in ſtipendiis militum profundere, oporteat, quam antea. Prætoriani ex omnibus habentur fortiſſimi, etſi nunc eorum audaciæ minuendæ gratia feroces animos dedita opera mollire Reges cœperunt, ne opinione virtutis elati Regno expellere alios, alios accerſere valeant. Sunt præterea amplius centum hominum millia (Timarotas ipſi appellant,) qui domi equum habere coguntur, ut ad bellum evocati

ti, nulla interpoſita mora ad imperatum veniant. His ne in caſtris quidem ſtipendium redditur, ſed ſuo ſumptu militare debent, quum unuſquiſque ſaltem tantum poſſideat agri, quantum ad ſe, equumque alendum ſufficiat. Nam apud ipſos ea conſuetudo eſt, ut, aliqua perdomita natione, veterem cultorem agro exuant, & aliis hac lege eum diſtribuant. Hanc rem ipſis opportuniſſimam eſse ex eo cognoſco, quod non tam mari, quam terra pollent Turcæ, quum neque Præfectos, neque milites, neque remiges certos habeant, quibus ſtipendium non reddant, ſed quoties armandæ ſunt naves, militum, remigumque delectum habere coguntur. Hos rei maritimæ imperitos, atque ad hujuſmodi incommoda ſuſtinenda inſuetos, præterea arcte habitos non minus labor, atque morbus, quam hoſtium virtus abſumit. Tamen laborem, ac periculum nemo recuſat; quoniam Regi, quem ipſi Magnum Dominum appellant, parere ita religioſum putant, ut, qui ejus juſsu mortem ſubeant, illi felices exiſtimentur. Hic aditu difficilis eſt: quidquid libet poteſt; etiam innoxios quandoque poſseſſionibus, pecuniave mulctat; alios interficit; pars ut in proſcriptorum numero ſit, imperat. Fratres, ſimul primum Rex ſalutatus eſt, interfici, vel in vincula conjici jubet, ne ad eos ad regnum evocandos occaſione permoveri poſsent milites. Raro domo egreditur. Hæc Conſtantinopoli ad mare ab Solimano ędificata fuit. In trium millium paſſuum circuitu eſt. Muris, ac certo quoque ſpatio turribus inſtitutis munitur. Solum porta patet, qua omnibus eſt aditus: aliæ nonniſi Regis juſsu aperiuntur. Domus in interiorem, exterioremque dividitur. Interiorem nemini adire licet, ne mulieres, quas numero ad quadringentas, plus, minuſve, uxorum loco habet, videantur. His ancillæ, eunuchique miniſtrant. Exteriorem partem ingredi interdicitur nemo. Primo ingreſsu dextra ad decem prætorianorum millium ſtatio poſita eſt. Siniſtra illi, quos Capigios, Chiauſſioſque appellant, manent. Horum eſt Regis mandata ad Præfectos perferre. Hic multi ſunt porticus,ſpatiaque,ubi cupreſſus ſatæ non injucundam ſpeciem præbent. Hic palam ſummum gerens magiſtratum pro tribunali ſedet. Hic ſunt Præfectorum, militum, ac miniſtrorum, ſervorumque cubicula. Hic præterea Chriſtianorum filii morantur, quos poſtquam ſuis legibus imbuerunt, diſciplinaque inſtituerunt, diverſis præficiunt negotiis. Omnes ita ſilentium habent, ut ne vox quidem, atque murmur audiatur. Prope in interioris domus veſtibulo ędiculæ duæ ſunt. In altera conſilium coram Rege habetur. Rex neque ſententias exquirit, neque, quid ſentiat, dicit. An. 1664

An. 1664 Ad eum, cujus ſententia accepta eſt, ſi res non procedat, Regis mandata pullo involucro perferuntur. Color, eum adverſi eventus morte pœnas dare oportere, demonſtrat. In altera Rex ſuper ſtratum ſedens, Regum, Civitatumque legationes audit. Legato, ut primum cum familiaribus ingreſſus eſt, ſerica, auroque intexta clamis dono datur; deinde medius inter duos Capigios ad Regem venit; cujus veſtes ſubito deoſculatur. Mox nonnulli ejus dona manibus ferentes, in Regis conſpectum ſigillatim veniunt. Poſtremo, ubi is, qui ſummum magiſtratum gerit, reſpondit, dimittitur. Eum Magnum Viſirium appellant, qui unus Rempublicam adminiſtrat, quum Rex corporis voluptatibus deditus ſolum, quum placet, vel neceſſe eſt, eum magiſtratu expellit, vel interfici jubet. Superſtitio multifariam colitur. In primis Perſæ alio modo leges, atque Turcæ, interpretantur, aliaque inſtituta habent. Turcæ ad id maxime indignatione exardent, quod Halium Mehemeti præferendum Perſæ dicant, etſi ille ab hoc diſciplinam accepit. Adverſus hos ita perpetuo odio Turcæ ſunt, ut in pugna nec arma proiicientibus parcant: magnum enim admitti facinus putant, quum Deo, Mehemetique inviſum hominum genus prædæ cupidine non interficiant. Duobus & ſeptuaginta modis ſuperſtitionem coli ipſorum opinio eſt. At ſi quis diligentius exquirere rem velit, plures opiniones ipſos habere, quam quis credat, reperiet; quum nemo ſit legum interpres, qui aliquam inter ſuos habere authoritatem putat, qui commentitias ſententias excogitare non cupit. De omnibus dicere conſilium non eſt; quatuor præcipuarum nomina tantum referre lubet. Diſciplina, qua major Araborum pars utitur, Scaffia appellatur. Quam pauci colunt Arabes, Hambella dicitur. Malechiam appellant, quæ in Africa obtinet. Hanniffiam vero dicunt, quam reliqui tenent. Legem explicare ſolum illi, quem Muſthium appellant, licet. Hunc ſummo ſacerdotio Rex præficit: cujus tanta eſt authoritas, ut, quidquid ad Rempublicam pertinet, adminiſtret. Eum adeundi cuique poteſtas eſt; qui ad inſtar Romani Prætoris, veluti formulam Pedaneo Judici in papyro ſcribit. Ejus mandata tum non exequi Judici fas eſt, quum actorem falſum expoſuiſſe compertum ſit. Rex, ut ſe pium oſtendat, ſæpe eum conſulit; qui ſibi timens, ad Regis voluntatem omnia interpretatur. Secundum dignitatis locum illi, quos Cadileſcherios vocant, obtinent. Hi initio duo fuere. Selimus poſtquam Ægyptum perdomuit, tertium addidit. Horum eſt militum minuere controverſias. Sunt præterea minores judices, Cadios eos appellant. Ad hæc mu-

munera ſolum illi, qui ex Turcis originem ducunt, evocantur. Hi nullo tempore, aut loco auxilium implorantibus impune deeſſe poſſunt: nam orta controverſia, eodem die Judices, quid ipſis viſum fuerit, decernunt. Qui de perduellione alicujus nomen ad eos detulerint, magno in honore habentur, ac præmiis afficiuntur: qui vero de alio maleficio indicaverint, in numero impiorum habentur, quamquam, quum Judici viſum fuerit, præmia conſequuntur. Perduellio ita ſevere vindicatur, ut omnibus cruciatibus ſontes juxta, ac inſontes interficiantur. Non raro, qui propter rerum geſtarum magnitudinem plebi accepti ſunt, aut ſibi comparaverunt authoritatem, tanquam perduellionis convicti, necantur. Ob hanc cauſam apud ipſos ea conſuetudo eſt, ut difficile in locum patris ſuccedat filius: magnopere enim Rex timet, ne clientum auxilio tumultus excire valeant. Judicibus omnibus verberibus in noxios animadvertendi, vel de iis ſupplicii ſumendi poteſtas fit. Pœnæ graviſſimæ maleficiis ſunt conſtitutæ. Hac de cauſa, ſive potius quia fugæ ſpes nulla relinquitur, raro ab verborum contumeliis, & verberibus ad arma deſcendunt. Judæis, Chriſtianiſque teſtibus nulla ibi fides fit. Judæos ita parvifaciunt, ut eorum aditus defugiant, etſi frequentes urbes incolunt. Hi ex omnibus diligentiſſimi ſpeculatores ſunt. Hi vectigalia exercent, exiguntque. In unoquoque oppido magiſtratus eſt, qui annonæ, aliiſque ad victum neceſſariis rebus ſumma cum authoritate præeſt, ac reos ſtatim verberibus coercet. Omnes hi quaſi in ſacerdotum numero habentur, quod Divini Juris intepretes ſint. Non enim alias leges habent, niſi eas, quas Mehemetis precibus de cœlo miſſas arbitrantur. Magno præterea in honore habentur, qui Templa cuſtodiunt. His populum convocare licet. Hoc clamore ex turribus ſignificant. Qui divinis rebus interſunt, longiore veſte ab aliis diſtinguuntur. Sunt item, qui certis conſtitutis legibus vitæ integritatem, paupertatemque profitentur. Hi in duo dividuntur genera, alterum Chelvetorum, ex quo ſex alia oriuntur, Nacsbendiorum alterum: ex hoc duo alia originem trahunt, quorum nomina hic referre longum eſſet. Omnes, qui uno utuntur inſtituto, ab eo, qui diſciplinam reperiit, vel ex Arabia alio tranſtulit, nomen trahunt. Omnibus, qui idem profitentur vitæ genus, unus ſumma cum authoritate præeſt, qui omnium ſuffragio adlegitur. Plures unam domum habitant, ac convivunt. Ex omnibus illi, qui Dervifii appellantur, Turcarum exiſtimationem tenent. Hi ſilere optimum ducunt; certis hebdomadæ diebus jejunant; tunicas, ſubuculaſque rudes habent; tibialibus, calceiſque etiam du- An. 1664

An. 1664 duriſſimo hyemis tempore ſe munire turpe ducunt. Pectus nonnulli veſte non tegunt, ut ſe candenti ferro exuſtos oſtendant. Peregrinis horum domus patent, quibus victum communicant. Serpentum non extiment morſus, ubi malum incantant carmen, eoſque undique conquiſitos comedunt. Divi Georgii equum ita in honore habent, ut reliqui Turcæ aſinum, quo Jeſus Chriſtus inſedit, Mehemetis camelum, Septem Dormientium canem. Bini eodem cubiculo dormiunt. In Arabicis, Perſiciſque litteris perdiſcendis plures conſumunt annos. Alii ſunt, qui in ſylvis degunt, pellibus pro veſtibus utuntur, magna corporis parte nuda: novacula carnes, pecunia accepta, diſcindunt. Hoc Deum placandi gratia faciunt. Alii magno pretio coemptas aves dimittunt, feles, caneſque alunt, quod hæc gratiora Deo officia exiſtimant. Pars eos, qui ſacris initiari cupiunt, quadraginta dies in cuſtodiis habent, nec plus, quam uncias cibi tres eos ſumere ſinunt. Pars integros dies, nocteſque ſaltando certum locum circundant. Ex eis tamen non deſunt, qui ſtatutis horis Deum non orare turpe non ducunt, & gulæ ſervire, atque corporis voluptatibus deditos eſſe optimum exiſtimant. Plurima ovium, columbarum veluti inſtituta habent ſacrificia, quarum carnes viritim pauperibus diſtribuunt. In templis ardentium lampadum multitudo, & ſcriptæ in parietibus ſententiæ, nihil vero pictum conſpicitur, quod Deum hominis forma pingere irreligioſum ducunt. Nemini illoto templum ingredi fas eſt. Hac de cauſa nullum ibi invenitur templum, in quo fontes plures non ſint. Ibi perlui multitudinem, conſpicare licet. Quinquies in die, primum albente cœlo, deinde ſub meridiem, tertio ſub ſolis occaſum, mox ſub veſperum, poſtremo paulo ante primam confectam vigiliam preces ad Deum genuflexi fundunt, vel capite ad terram, vel manibus ad pectus admotis. Hoc tempore neque ſpuere, neque extuſſire, neque oculos flectere licet. Magna ipſorum pars pietatem oſtentare neceſſarium ducit: propterea multitudinem paſſim in plateis eo modo diſpoſitam videre libet. Qui ſtipe non ſocillant miſeros, eos in numero impiorum haberi lex jubet: tanta tamen eos invaſit avaritia, ut pauci, qui hoc non negligant, reperiantur. Vinum, & ſuillam guſtare carnem vetantur. At ſuillum genus re ipſa exhorrent, vinum etiam palam bibere vix ignominioſum exiſtimant. Septimo anno filiorum circumcidere genitalia ſolent, etſi legibus hoc ſancitum non habent. Nihil Deo gratius eſſe putant, quam diverſis locis ædificare, ut egentes, quo ſe recipiant, habeant. Paſſim diverſoria inveniuntur, quo ſe conferre nocte cuique licet. Ibi

ſer-

ſervi ſunt, qui dapes publice paratas miniſtrant. Canum magnam curam habent, eoſque cibo juvare ita religioſum ducunt, ut plerique teſtamento hæredes rogent, ut annuam pecuniam in eis alendis profundant. Flagitium ingens fieri exiſtimant, quum cameli plus juſto onerantur. Proclive eſſe ſibi ab averno revocare gradum putant, quod omnes certo elapſo tempore Deum intueri oportere exiſtimant. Diſputando de religione differere nefas putant. Armis eam tueri optimum ducunt. Deum unum Maximum primo, deinde Mehemetem colunt. Chriſtum Jeſum ex Virgine natum, & Dei ſpiritum eſſe non abnuunt. Mariam Virginem, omneſque veteris teſtamenti Prophetas obſervant. Hos omnes corrupte ſuo nomine appellant. Horum preces maxime apud Deum valere arbitrantur. Lunam in honore habent; propterea ab ejus curſu menſes numerant. Quum jejunant, a prima luce uſque ad veſperum quidquam guſtare non licet. Noctem tunc temporis in negotiis curandis, diem in dormiendo conſumunt. Poſtea diem feſtum celebrant, quem Ramazanum appellant. Funera ſumptuoſa non ſunt, quum ſine apparatu amici, propinquique pedibus, modo in urbe, equis inſidentes, ſi extra ſepulcro donetur corpus, comitentur. Humile genus lapide capiti, pedibuſque ſubſtrato tumulantur. Regum filiorum corpora uno loco prope S. Sophiæ templum reponuntur; Regum vero templis ab ſe votis, dedicatiſque conduntur. Nulli lugubrem veſtem induere fas eſt, niſi Rege mortuo. Dum vero cadaver ducitur, pullis tæniis uti non vetitum. Mulieres ita contemnunt, ut ne templa quidem adeundi ipſis poteſtatem faciant. In publicum, niſi ore obvoluto, non prodeunt. Nec ſericas, nec pretioſiores habent veſtes. Nobiles ab aliis veſtium colore differunt. Septies quandoque in die perluuntur: idcirco, qui diligentiores in eis cuſtodiendis videri cupiunt, ut domi balneum ſit, efficiunt. Palpebras nigro colore, ungues, capilloſque rubro inficiandi apud ipſas conſuetudo eſt. Domeſticis curis non tenentur, ſive ne ipſis impedimento ſint, quominus tunicas acu pingant, cui rei maxime ſtudent, ſive ob ſervorum copiam, quibus id negotii dant. Doti, quum nubunt, viro dicunt, quæ ipſis divortio facto reſtituitur, ni quæſtione habita adulterii damnata ſit. Divortii cauſæ ſunt, vel quum vir uxorem alere recuſat, vel quum ea abuti per vim vult. Hoc judici calceamento detracto, ſoleaque ſurſum verſa mulier ſignificans, delere nomina ex libro judicem cogit, ubi ea ſcripſerat, quum viro nupſerat. Unicuique, quot placuerit, uxores ducere licet. Chriſtianorum connubia petere fas, Judæorum vero nefas putant. Miſcere genus, ſanguinemque cum ancil- An. 1664

lis

An. 1664 lis haud ignominioſum ducitur; ſed, ſimulprimum filium ex ea ſuſcipiat, libertate donetur, oportet. Hujuſmodi filii una cum aliis patri ſui hæredes ſunt. Veſtimentis lauti ſunt Turcæ: nam plerique purpura, nonnulli auratis, omnes pretioſis utuntur veſtibus. Dum in bello verſantur, quo horribiliore aſpectu in prælio ſint, ferarum pelles ſtudioſe conquiſitas quidam induunt. Tiaris inſignibus cujuſcumque coloris, præter viridem, caput ornant: hæc enim facultas unis iis fit, quos ex Mehemete originem ducere arbitrantur. Salutem dant, redduntque, pectori applicata manu, inclinatoque corpore, non aperto capite. Judices, alioſque ſummos viros ambabus manibus ad pectus admotis ſalutant. Nihil inurbanius exiſtimant, quam terga ad eum convertere, cui dixere ſalutem. Itaque abeuntes ora, oculoſque ad illum converſos habent. Siniſtra apud illos honori ducitur, ut commodius gladium educant. Capillos omnes eradunt, paucis tantummodo paulo ſupra occiput relictis. Barba omnibus promiſſa eſt. Mancipiorum barbam herus abradi jubet, ut cogniti ex fuga retrahi poſſint. Servos neque arcte, neque opulenter habent. In eos verberibus animadvertendi, non interficiendi hero poteſtas eſt. Eoſque vel gratia, vel pretio manumittunt. In libertos eadem ſunt jura Turcis, atque Romanis patronis erant. Domus humiles, parvaſque magna ex parte ligno firmatas habent. Primorum vero illæ elegantes ſunt, etſi etiam ligneæ: hoc faciunt, ut eam vitent ſuſpicionem, ſe cupidine Regni arces inſtituere velle. Publicæ vero, ſacræque ædes pro Turcarum cultu magnificę. Viæ ut plurimum quadrato lapide ſtratæ. Qui non dum uxorem duxit, eum in lecto cubare in turpiſſimis habent rebus. Neque menſis, neque ſcamnis utuntur; ſed lectos humi ſtratos dapibus extructos, ac nobiles, humileſque ſimul cœnantes conſpicari licet. Unicuique in alienis agris fœnum ſecandi, pomaque comedendi poteſtas fit. Mercatoribus, adveniſque omnibus ad eos eſt aditus, nec, qua de cauſa venerint, interrogantur. Sed de his ſatis; nunc ad inceptum redeo.

Iis initis conſiliis, ad Præfectos ſcribit Acmetes, *Regem initio veris maximo conatu bellum gerere velle, proinde milites ex finitimis regionibus præmio illectos dimittant, ut, quum anni tempore poſſint, ad exercitum veniant.* At milites ii, utpote Chriſtiani, contra Germanos iniquo animo arma ferebant, adeo ut ſe non fore Turcarum dictis audientes inſequente anno palam dicerent. Quod ubi per Præfectos cognovit Acmetes, de conſilii principibus, ut reliquos deterreret, ſupplicium ſumit. Totuſque in bellum inſiſtens, naves veſtibus, ac omnis generis commeatibus completas Budam mit-

Digitized by Google

mittit, ne milites alicujus rei egentes novis rebus ſtudere cogerentur. Complures alias naves Belgradum, quæ milites, quos cuſtodiæ cauſa circum ſe habere Rex conſueverat, ac frumentum tranſportarent, præmittit. Præterea Præfectis omnibus præcipit, ut animum ad omnia neceſſaria comparanda intendant, præcipue, quam maximam poſſent, pabuli vim contraherent, opportuniſque locis horrea conſtituerent. Delectus item haberi, pecunias ad neceſſarios uſus exigi, tormenta diſponi, equos commercari jubet. At interim ne Germani quidem quieti erant, quod nihil remiſſi Turcarum vim pati intelligebant. Itaque ubique milites conſcribere, pabulum, ac frumentum conquirere, conquiſitum certis locis locare, ſuos hortari, & ad bellum accendere, ac Pannoniorum animos ab Turcis avertere. Omnibus enim referebant ſermonibus, *Templum Deo ſacrum Turcas contra, atque ſacramento confirmaviſſent, Neoſelii eorum ſuperſtitione profanaviſſe; oppidanos ſervorum loco habere; nihil earum rerum, quas ex conditionibus deberent, præſtare. Ab Turcis Cartuſianos Monacos Nitriæ ſummis cruciatibus interfectos. Ab Turcis Monaſterium, ac Eccleſiam ibi incenſam, quod Germanos tecto recepiſſent. Proinde expectate* dicebant, *dum oppida expugnaverint, dum neceſſaria in ipſos fides ſit. Proh facinus! Quod nec nobis timendum, nec hoſtibus ſperandum erat, hodie conſpicamus. Quid gravius accidere vobis poteſt, quam ut veſtræ ſalutis ſpes omnis in barbarorum humanitate ſit? Quid turpius dici in reliquum tempus valet, quam Pannonios cum Turcis contra Regem, contra religionem, contra Deum conſilia iniiſſe? Ne innati quidem veſtri nominis hoſtes hanc maculam in vobis remanere cupere potuiſſent, quam vos vobiſmetipſis inuritis. Quid eſt aliud arma non capere, exercitum non cogere, oppida non munire, Germanos veſtros conſervatores non modo re nulla juvare, verum opportunitate data male habere, quam patriam prodere. Omnia, ut jugum imponant, promittent; haudquaquam, eo impoſito, quod polliciti ſunt, præſtabunt.* Hæc, & his ſimilia nequicquam jactata, quia tantus erat omnium conſenſus, ac proprium Regem habendi cupido, ut, quum homines, quod maxime exoptant, id ſubito credant, Acmeti evulganti *Mehemetem in animo habere, Abbaſſum Regem ipſis conſtituere* fidem facerent. Et prope effectam rem habebant, adeo ut, quum quatuor equitum millium præſidio Michael in Tranſylvaniam rediret, cuncti obviam ei gratulantes procederent, ac ſuum excellens ſtudium in eum profiterentur. Quumque pronunciari ille juſſiſſet, *ut, quicumque per ætatem ferre arma poſſet, ſeſe expediret, ac protinus ſigno dato* An. 1664

ſe

An.1664 *ſe ſequeretur*, omnes æquo animo id eſſe facturos vulgo confirmabant, quia ad laborum finem perveniſſe exiſtimabant. Nonnullorum etiam voces exaudiebantur, nunquam incruentos Germanos Tranſylvania exceſſuros. Propterea inter ſe jusjurandum dabant, & quos poterant, ad idem jusjurandum adigebant. His ut occurreretur conſiliis, Germanorum conſultationes habitæ. Diu quid agerent, non conſtitit. Nam alii *oppidanos armis diſpoliandos* cenſebant, alii *ſtrenuos milites, ac ad vigilias multos nunquam hebetem timuiſſe vulgum* dicebant. *Quid ergo omnium animos ab ſe alienarent, qui haud dubia ſervituti ſe addicendi conſilia eſſe exiſtimabunt?* At illi, *nullam ſe ſalutem perſpicere pronunciant, niſi arma perfidis adimerent. Eorum voluntatum minime rationem habendam, quum tam iniquo animo in ſe eſſent*. Negant proinde ab ſua ſententia diſcedere. Negant pariter alii. Tamen non multo poſt prima ſententia obtinuit, propterea quod, qui vulgi timore non permovebantur, ii Turcas timere coacti ſunt, quum Gioſcalius Acmetis verbis pronunciari Germanis juſſiſſet, *ut, ſi in maximas miſerias proiici nollent, tota Tranſylvania, Pannoniaque quamprimum excedant*. His rebus cognitis non dubitat Diepebal Zechelidis Præfectus, quin, noctu occupatis opportunis oppidi locis, oppidanos ad colloquium appellaret, *ac non niſi coactum ſe ad hoc deſcendiſſe conſilium* proponeret, *quod tam ſecundam omnium in Turcas voluntatem reperiri cognoviſſet, ut jure ſibi præmetuere cogeretur. Se paratum eſſe ipſos defendere, ſi ad ſanitatem reverti vellent. Hujus rei teſtimonium fore, ſi voluntate arma ſibi tradiderint. Si cunctentur, ſe vim facturum* profitetur. Hac oratione perterriti oppidani, ad parendum nullam intulerunt moram. Simili ratione eſt ab aliis Præfectis factum. Quod tam graviter Tranſylvani, Pannoniique pertulerunt, ut omnes ad Michaelis amicitiam accedere exoptarent, ac de Germanis quererentur, quod injurias ad contumelias addentes ſuæ vitæ durius conſulere ſe cogerent. *Quid amplius*, dicunt, *de Germanorum voluntate ſubdubitatis? Patefacta jam ſunt conſilia. Abſtrahere, quod timebamus, omnes in ſervitutem cupiunt. Ne incepto occurri poſſit, omnes armis exuerunt. Cur viri eſſe, cur funeſtam ſaltem eis victoriam facere nolumus? Cur nos defendere libertatem tædet. Præſtat in vulgus efferri, nos vinci malle, quam tentare fortunam nolle*. Hoc in omnium animis ita hæret, ut partim ſe in libertatem vindicandi gratia, partim quod ab factioſis ſollicitabantur Rotalio, oranti dare noluerint, ut ſuas copias cum eis, quibus Suchius præerat, hoc hyemis tempore conjungerent; etſi in expeditionem miſſas

ali-

aliquid detrimenti hoſtibus inferre poſſe non ignorabant. Eoque temeritatis procedunt, ut ne capitis quidem pœna contineri potuiſſent, quin Neoſelium pabulum, frumentumque ducerent. Hoc alii propter odium in Germanos faciunt, alii quod fidem poſt avaritiam ducunt. Turcæ enim quum omnium rerum afflictarentur inopia, in Pannoniorum perfidia ſpem habere coacti, ut eos allicerent, non quanti res erant, ſed quanti eas Pannonii faciebant, numerabant. Hac de cauſa illo ſæpe mittebat equites Nicolaus Serinus, qui ab comprehenſis meritas repeterent pœnas. Germani ergo quum conſuetudine eo iter haberent, certiores per exploratores facti ſunt, Strigonio carrorum magnum numerum non ſatis valido præſidio Neoſelium duci. His rebus cognitis, magno ſilentio, quo occultior adventus eſſet, locum antecapere equites maturant. Sic, quum in inſidias Turcæ ruiſſent, pauci fuga ad ſalutem contendunt, reliqui vel capti, vel interfecti, præda militibus diviſa. Hoc ubi Neoſelii compertum eſt, tantus repente luctus excepit, ut ſibi diffiderent cuſtodes: nec dubium erat, quin, ſi Germani exiguis copiis eos premere inſtituiſſent, paucorum dierum ſpatio ſine vulnere oppidum recepiſſent, maxime quod rerum omnium inopia premebantur. At, dum Germanorum Præfecti non unum omnes ſentiunt, opportunitas corrupta eſt. Non immerito idcirco plerique dicebant, plus ſibi ipſis Chriſtianos attuliſſe detrimenti, quam ab hoſte accepiſſent. Hactenus diſcordia Ducum, nonnullorum invidia, & Pannoniorum mobilitas ſollicitam Chriſtianam Rempublicam habuere; in poſterum vero etiam Germanorum perfidia maximum omnibus incuſſit terrorem. Germani, qui Zechelidem oppidum obtinebant, ſtipendium flagitant; quumque complures tranſiiſſent menſes, & ne ſpei quidem momentum appareret, incerti aliquorum ne perfidia, qui id fraudarent, an temporum calamitate id eveniret, Deipebalem Præfectum oppido excludunt; ejuſque domum diripientes, alium ex ſuo numero oppido præponunt. Hoc facto, ſe oppidum ei tradituros confirmant, qui debitam pecuniam ſibi ſolvere paratus eſſet. In hujus rei ſpem veniens Abbaſſus, ſubito quoſdam maxime callidos ad eos mittit, qui ſuis verbis ſtipendium dare pollicerentur. Jam major pars non ſpernendum perfidiæ pretium judicans, Abbaſſo morem gerere cupiebat. Sed ad finem tum non venit inceptum, quod, dum de aliis conditionibus agebatur, quidam Vienna venit: qui ſingulos adiens, *omnium Germanorum ora in ipſos eſſe converſa* demonſtrat. *Nollent committere, ut, in quibus unam ſpem ſitam Chriſtiani exiſtimarent, ab iis calamitatem accipiant.* An.1664

 piant.

An.1664 *piant. Orare, obſecrare ſingulos, ne patriam abiiciant virtutem, neu Cæſarem, civeſque prodant. Ea ſemper manſuetudine Cæſarem fuiſſe, ut, ſi inceptum omittant, omnia eorum virtuti, & aliis antea fideliter actis concedat.* Alia ut ab homine Cæſari ſtudioſiſſimo pronunciata ſunt. Ob ea quum quidam in eam ſpem veniſſent, ſe ab Cæſare veniam impetraturos, ac præmia percepturos, inter ſe de Cæſaris clementia ſenſim loquebantur. Horum voluntates ut cognoſcebat Præfectus, diverſus agitatur, utrum inceptum perficeret, an conatu deſiſteret. Ubi duos dies per dubitationem conſumpſit, & diviſos milites, diviſos oppidanos animadvertit, concilium ſibi fidorum convocat. At diu in incerto res fuit: nam etiam hi in duas diſceſſerant partes. Dum in his anguſtiis eorum res eſſet, quod, quid ageretur, non conſtabat, Decurio quidam, qui ad id tempus tacuerat, aſſurgens, hujuſcemodi verba facit. *Mirabar quidem prius, Præfectum benigne illorum accipere orationem, qui nefario proditionis nomine ab incepto nos deterrere nituntur. Sed quantum miratus ſim, quum eum non alienum ab conſilio animadverti, impoſſibile explicatu eſt, & ſi commemorari poſſet, difficile ad fidem eſſet: quippe qui in hos tanquam in hoſtes vindicandum eſſe cognoſcam, quod haud dubium eſt, quin a Cæſaris nuncio pecunia, vel præmiorum ſpe corrupti nos tanquam pecora trucidandos iratis dare exoptent. Pollicitationibus, & impunitatis ſpe nos alliciunt, ut in ſæviſſimorum poteſtatem venientibus non modo nihil eorum, quæ promiſerunt, præſtent, ſed etiam ut de omnibus ſupplicium ſumant. Nec enim turpe ducunt fidem fallere, quum hoc maxime faciendum cenſent, ne in ruinam miſericordia caſura eſſet. Nec quidquam crudele in nos eſſe opinantur, quum non ulciſcendi gratia, ſed ut alios a ſimili propoſito deterreant, ſaltem conjurationis authores excruciatos necare omnino neceſſarium ducunt. Quum ita ſe res habeat, quis veſtrûm ignorat, nobis magis timendum eſſe, quam aliis, propterea quod nos ad amentiam reliquos impuliſſe arbitrantur? Nunquam fando auditum eſſe credo, eos, qui novas experiri amicitias conſtituiſſent, bonitatis non dediſſe pœnas, ubi eorum fidei, ab quibus ſe averterunt, ſe permittere voluiſſent. Quis unquam adeo demens fuit, ut recenti ira accenſis ſeſe voluntate commiſiſſet? Aut quis hanc viam ingreſſus eſt, quem conſilii non pœnituiſſet? Mihi affirmanti credatis, velim, non aliam rationem iniri ab iis poſſe, qui dominari injuſte volunt, quam ſuppliciis omnes terrere. Reputate quæſo cum animis veſtris, ſi quid gravius ab hoſtibus accidere potuiſſet, quam ab civibus nobis accidit, quum per eos non ſtetiſſe conſtet, quominus fame conſumpti ſimus. Quæ ſuſpicio? Quæ cauſa? Quæ injuria eos contra nos ita accendit, quum beneficia potius*

potius in eos conferimus, belli vim eorum cauſa ſuſtinendo? Quid An. 1664
igitur certius evenire poteſt, quam ut omnia perferamus mala, ſi no-
ſtrum meritum ab injuria eos continere non valuit? Conſiderate,
quam profunda ſit eorum avaritia, qui negotiis præſunt, & certe
promiſſum ſtipendium nunquam nobis reddituros eſſe cognoveritis.
Perpendite, quam immanes ſint, ut impunitatis pollicitationi con-
fidere non valeatis. Quid enim turpius dici valet, quam tributum,
quod milites alendi cauſa penditur, in privatos uſus converti? Satis
habent, coquos, muſicos, venatores, canes etiam opulenter habe-
re; nobis tantum labores, vigilias, vulnera relinquunt; ne fru-
mentum quidem conferre volunt, ut ſaltem famem tolerare, & cum
mœrore vitam exigere poſſimus. Proinde ſi natura inſitum omnibus
eſt, ut quibus rebus poſſint, mala, cruciatuſque vitent, quis ab in-
cepta detinere vos valet? Erratis, ſi vanus timor, ne proditionis no-
tam incurratis, apud vos valet? Quis enim unquam repertus eſt,
qui neceſſariam defenſionem proditionis nomine appellare auſus eſt?
Aut quis improbavit, quod natura omnibus præſcribit, ut eadem
menſura metirentur alios, qua ii ipſos metiti eſsent? Deſeruit vos
Cæſar; quid igitur ipſum deſerere dubitatis? Animus certe ferre
non poteſt, ut pro eo ſalutem in dubium devocem, qui me parvipen-
dit. Hac oratione cuncti, qui aderant, permoventur, ſed ex
omnibus maxime Præfectus; in cujus pectus altius, quam quiſque
crederet, ratio illa deſcendit, quod ipſe ante omnes pœnas eſſet
daturus. Propterea conſilium ad cœlum ferre; ejus virtute omnes
in maximum non veniſſe periculum confirmare; orare, ut cuncti,
de periculo doceantur. Hoc inito conſilio, qui aderant, Decu-
rionem omnibus obteſtantuc precibus, *ut rem perficiat, neu com-*
militones deſerat, ſeſe paratos eſse omnia, quæ imperaverit, face-
re. Æquum eſse, ut ab eo reliqui diſcant, quid fraudis ab Cæſare
ferretur. Quibus rebus ſublatus Decurio, domo egreditur, ac con-
cilii ſententiam exponens, cunctos orat, *apud Michaelem Ab-*
baſſum ſacramentum dicant. Satis eſse cauſæ, cur ejus fidem ſeque-
rentur; prorſus alios alio modo incitat. Idem confirmant Præfe-
ctus, aliique, qui conſilii participes erant. Quorum vocibus du-
bii confirmantur, infidelibus animus creſcit. Vix perpauci com-
modum fidei poſtponere cupiebant, ſed vocem exprimere non au-
debant. Deinde dum alius cum alio communicat, atque factum
improbat, omnibus idem perſuadere conantur. Sed quum apud
eos nihil profeciſſent, ad quadraginta numero ſeſe Zatmariam con-
ferunt. Abbaſſus veſtem, ac aureos nummos decem in ſingulos
diſtribuendos curat. Cujus rei nuncius etſi Viennæ terrorem præ-

An.1664 buit, tamen quum Cæſar Ratisbonæ eſſet, ejus Conſiliarii nequaquam aliis militum motibus prævertendum exiſtimant. Quod quidem omnino fieri oportebat, quia novum exemplum ingens hortamen aliis fuit ad idem audendum. Nec cogitandam ſuſcipiunt rem, (difficile ad fidem, licet verum) etſi ab militibus, qui Clauſemburgi erant, legatus oratum ad eos veniſſet, *ut ſui miſererentur. Milites, ſuis conſumptis fortunis, nihil reliqui habere, quo inopiam tolerarent*. Legati verbis permoti, multa pollicentur, ac, uti ea militibus renunciaret, mandant. Eos bona ſpe complere ſolum volebant, quaſi ſpe inopiam ſuſtentari poſſe confiderent. Quæ ubi ſuis legatus renunciat, ab Præfectis ad gregarios fremitus perfertur, *conſulto rem diutius ab adminiſtris duci, ut mortem obire neceſſe haberent*. Igitur inter ſe conjurantes, eos, quos ſuo conſilio officere poſſe cognoſcebant, ex oppido eiiciunt, & miſſis ex ſuo numero ad Abbaffum legatis, æquis conditionibus ei oppidum tradunt. Exempla hæc quingenti Pannonii ſecuti non ſunt, etſi, quod ſæpe flagitatum ſtipendium ſibi non reddi videbant, ab officio diſcedendi, ac caſtella diripiendi conſilium cœperunt. Quo facto ad Veſelinum litteras mittunt, (ſub ejus ditione caſtella erant) *ſe, quum nihil ſuppeteret, quo famem tolerarent, ad extremum auxilium deſcendiſſe. Ne, quod neceſſitate moti feciſſent, in ſuam contumeliam verteret, ſed potius in reliquum tempus ſtipendium ſibi reddendum curaret, ne ad neceſſitatem idem audendi ſubigerentur*. His impunitatem concedere Veſelino viſum eſt. Quæ res cæcos milites in ſupplicia Præfectorum, qui eos in officio continere ſtudebant, maxime egit: nemo enim apud gregarios plus pecuniæ, quam fidei ſtudium valere ignorat; & ſi fidem erga Duces ſervant, id potius ſuppliciorum metu, quam virtutis amore evenit. Quamobrem, timore remoto, contra eos conjurant, quos ſuo conſilio obſtaturos arbitrabantur. Re vera Coppius Zatmariæ Præfectus, dum in capita conjurationis animadvertere parat, ab omnibus circumſiſtitur: nam, quum omnes in ſimili verſarentur facinore, pro illorum periculo, tanquam pro ſuo, niti optimum judicabant. Coppius quum unam ſpem Cæſari operam præſtandi in artibus reſtare animadverteret, eandem ſibi, atque ipſis, mentem eſſe ſimulat. Qua re adducti milites domum redeundi ei poteſtatem faciunt. Ille vero ſubito manu facta cum eis, quos ſibi, Cæſarique fidos ducebat, in arcem ſe confert. Milites etſi ludificatione permoti, atque cupidine ſtipendii ad ulciſcendum ardebant, tamen legatos ad Abbaffum deditum urbem mittere noluerunt. Quod miratus Abbaffus, legatum ad eos mittit; qui hortaretur,

ut inceptum perficerent, niſi pœnas dare vellent. Præſtare novas experiri amicitias, quam in periculum ſalutem deducere, maxime quod magnis præmiis ipſos eſſet remuneraturus. Modico aſſenſu hæc audita, adeo ut nullam in partem ab eis ſignificatio fieret, propterea quod Coppius per legatos quotidie eos hortabatur, *ne tantum admitterent ſcelus. Proditores etiam iis invîſos eſſe, ab quibus ad facinus impellantur. Eos proditionem probare, minime vero proditores colere, & obſervare.* His pauca ad ſpem largitionis addens, ac impunitatem promittens, effecit, ut cogitandam ſibi rem exiſtimarent. Vagi ergo, incertique agitabantur: nam animi furore ad ſcelus rapiebantur, &, deſperata venia, nihil tutum ſibi ducebant, niſi in aliorum poteſtatem venirent; porro liberos, uxores ejus imperio ſubjectas, quem prodidiſſent, pœnas daturas timebant. Vicit ad extremum in avidis ingeniis ſtipendii numeratio, ac impunitatis ſpes. Nunc primum Cæſaris adminiſtri, velut a ſomno exciti, malo obviam ire conſtituunt. Nec dubium erat, quin, ſi id neglexiſſent, Abbaſſus eorum ſocordia omnia Tranſylvaniæ oppida recuperaret. Sed ubi Suchium cum mediocribus copiis in Tranſylvaniam proficiſci juſſerunt, qui milites in officio permanere cogat, atque Abbaſſi conſilia obſervet, ii, qui palam de proditione conſilia inibant, deterrentur. Quod conſilii ſi primo cœpiſſent, aut anxii fuiſſent, ne quid ad uſum militibus deeſſet, nihil omnino earum rerum accidiſſet. Nam idem Abbaſſus ſive Suchii vires, ac prudentiam timens, ſive quod Turcis id conſilii eſſe cognoviſſet, ut ſuo nomine ad ſpeciem uterentur, ſive quod bellum ſecundum non ceſſurum judicaret, ſive Germanis, & Turcis acceptum eſſe non difficile exiſtimaviſſet, amicitiam cum Cæſare inſtituere decrevit. Igitur ad eum ſcribit, *ſe, utpote Chriſtianum, coactum, & invitum Turcarum Regis fidem ſequi, cæterum Cæſari ſtudere, adeout cum ipſo ſocietatem inſtituere exoptaret, ſimul primum ſuos ad idem conſilium impuliſſet. Nunc vero id diſſimulari oportere, ut Turcarum conſilia ipſe ex ſe manifeſta haberet. Orare proinde, ne cuilibet arcana committeret, quum non deſint, qui pecunia corrupti omnia Acmeti enuncient conſilia.* Has litteras mittendo, quid ſibi Abbaſſus voluiſſet, cognoſcere Cæſar non poterat. Nam Conſiliarii, quod, ſi vera ea eſſent, ad ſe pertinere facinus intelligebant, in Abbaſſum invehi; ipſius falſandi gratia mentitum eſſe confirmare; alii eum mendacio Cæleris voluntatem redimere voluiſſe dicere; pars eo nequiſſimum reſpexiſſe demonſtrare, ut Cæſar, dum in infidos manifeſtos habendos incumberet, parum in bellum intenderet animum. Quum igitur An. 1664

tur

An. 1664 tur alii in aliam rem id verterent, placuit, ut litteræ ad eum mitterentur, *Cæſarem non dictis, ſed factis credere. Si Turcis auxilium non ferret, fore ut præterita ipſi condonet*. Abbaffus ſeu litteris permotus, ſeu Turcas veritus, Acmeti petenti, ut Tranſylvaniæ oppidis Turcarum præſidia reciperet, *ſibi eam non eſſe facultatem, niſi de omnium ſententia*, reſpondet. *Idque ab Tranſylvanis petendi alienum ſibi tempus videri, quum ſuſpicari poſſent, Turcas auxilii ſpecie Tranſylvania omni potiri velle*. Ex his jam aliquid novi ab Abbaffo conſilii initum Acmetes cognovit, tamen, ut magis, magiſque ejus perſpectam haberet voluntatem, petit, *ut ſuas expediret copias, &, quum opus eſſet, eas Budæ Præfecto adjungeret*. Hoc quum neque abnuiſſet, neque pollicitus eſſet Abbaffus, non dubitandum Acmetes exiſtimavit, quin in gratiam cum Germanis rediiſſet. Ob hanc rem alii adjudicare Principatum conſtituerat, ſed quum poſtea aliter ſe rem habere poſſe cogitaret, in Tranſylvaniam Præfectum mittit, ut per eum, quid Abbaffus gerat, aut quibus cum agat, cognoſcens pro re, & tempore conſilium caperet. Inter hæc Nicolaus Serinus coacto ex Pannoniis, Croatiſque ſubitario exercitu, quos voluntate non pauci ex Germanis ſecuti ſunt, magna celeritate in hoſtium regiones advolat. Ibi omnes inopinantes nactus, nullo negotio pabulum, frumentumque Acmetis juſſu comparatum corrumpit, omniaque incendit. Et magno pecorum, hominumque numero potitus, alio itinere, ut ea loca etiam incenderet, milites præda onuſtos domum reducit. Commodiſſimum enim in hanc belli rationem inſiſtere ei viſum eſt, propterea quod, pabuli copia non ſuppetente, non niſi media æſtate in unum locum contrahere exercitum Turcę poſſent. Hæc res Conſtantinopolim nunciata tantum terrorem Turcis fecit, ut Serinum adventare arbitrati ex urbe egredi non auderent. At ex omnibus Mehemetes Rex permovetur, quod privato homini potentiſſimum ex omnibus Regem injuriis laceſſenti ſeræ venirent pœnæ. Eum ad internecionem perſequi exoptans, negotium Acmeti dat, ut omnia paret, quo certius initio veris contra arrogantiſſimum hominem conſilio locus eſſet. Jam Acmetes ad bellum neceſſaria parabat, quum, ut ſuos confirmaret, optimum eſſe exiſtimavit ad Præfectos oppidorum Croatiæ finitimorum ſcribere, *darent operam, ne quid detrimenti reliquo hyemis tempore accipiatur. Se, inito vere, ingentem exercitum in ejus perniciem ducturum*. Fuerunt non ingratæ hæ Præfectis litteræ, utpote qui, cruciatus quum vererentur, quod Serini incepto non occurriſſent, ſe ab metu liberos videbant. Hæc poſteaquam per captivos cogno-

Digitized by Google

gnovit Serinus, documentum eis dare exoptans, quid ipſe virtute poſſet, Olachium adit, atque docet, *quantum uſum haberet ad boſtium audaciam infringendam ipſius copias ſibi adjungere. Nihil eſſe negotii, hoc tempore capto, oppida expugnare, ac eam ferre gloriam, quam alio tempore magno cum periculo ſuam facere difficile eſſet.* Ubi Olachium non abnuere vidit, ſuos hortatur, ne laborem ſuſcipere gravarentur, cujus ſine contentione fructum eſſent percepturi. Qui quum nunquam ejus inceptum fruſtra futurum perſuaſum ſibi haberent, *nullum periculum pro ipſius gloria ſe recuſare* profitentur. Poſtridie ergo cum hominum millibus quindecim Serinus Berzenetum pervenit. Caſtellum parum opere, parum natura munitum non circumvallatione, ſed corona oppugnare inſtituit. Jam prope erat, ut per vim intrarent milites, quum Caſtellani, miſſis legatis, ut vitam paciſcerentur, obtinuerunt. Sic uno die caſtellum receptum, direptum. Scytha, qui ibi in præſidio erat, cæſus. Poſtridie ſecundum Traghum flumen iter agens Serinus, complura caſtella ad flumen poſita ſine contentione cœpit. Hæ, quæ ſucceſſerunt, res ita ejus acuere cupidinem, ut aſperrima aggredi vellet. Itaque ſecum volventi majorem ex expeditione percipere fructum non poſſe occurrit, quam caſtella omnia, quæ circa eſſent, recipere, & præſidio tenere; ut milites, qui Caniſiam cuſtodirent, ab aliis intercluſos deditionem ſubire cogeret. Huic ſententiæ unum repugnabat, quod timebat, ne ut facile caſtella caperet, ita ea amitteret, ſi, quum domum reduxiſſet exercitum, eo Turcæ cum mediocribus copiis venirent. Huic rei occurrere paratus, munita oppida etiam expugnare conſtituit, quæ caſtellis præſidio eſſent. Item aliam iniit rationem, qua nihil, ſe abſente, præſidia Turcarum vim extimerent. Eſt pons in Dravo flumine, qui in longitudinem amplius paſſuum millia ſeptem patet, quia non procul ab Eſſexia (ab quo caſtello ponti nomen inditum eſt) Draus in duas diffluens partes, ubi in Danubium influit, inſulam effecit. Quæ quum propter paludes tranſiri, niſi ponte, poſſet, eo interrupto, aditus ad ea loca auxilii ferendi gratia Turcis non eſſe cognoſcebat. Ob ea negotium omnino perficere decernit, etſi utramque pontis partem firmiſſimo præſidio, & omni munitionum genere firmatam eſſe eum non fugiebat. Hoc inito conſilio, Sigetum verſus exercitum prius ducere parabat, quum milites ab eo omnibus precibus petunt, *ut Peetium opulentiſſimum caſtellum, forum rerum venialium earum regionum celeberrimum, prius occupare velit. Si ea præda potiri ſe ſineret, omnia poſtea facere paratos fore.* Hoc eo facilius petentibus conceſſit Serinus, quo mi- An. 1664

An. 1664 minori contentione parum munitionibus firmum caſtellum receptu-rum confidebat. Factum eſt ergo ſive militum ſtudio, & virtute, ſive caſtellanorum ignavia, qui fortunarum defendendarum cupiditate cæci plus æquo munitionibus fidebant, ut primo impetu in caſtellum irrumperent Croati, deinde omnes ſequerentur. Iratus miles non infantibus, non mulieribus parcit; domos diripit, direptaſque incendit. Quorum caſu admoniti alii, qui proxima loca incolebant, legatos mittunt, qui in authoritate Serini ſe eſſe pollicerentur. Quibus omnibus incolumitatem concedit Serinus, ſive quia eos turpe violare ducebat, qui fidem ſuam imploraviſſent, ſive quod magnum uſum habere ad Turcarum opinionem arbitrabatur, eos conſervare, ac reliquos docere aliorum caſum cum horum fortuna conferre, ut minori contentione reliqua conficeret. Breslenitii ergo, & Boconitiæ milites præſidii cauſa relinquens, eis, ut omnes ab injuria prohiberent, imperavit. Hæc quum ita eſſent, tamen complures in Serini manſuetudine ſpem ponere noluerunt. Qui pertinaciæ pœnas dederunt, dum Baſilvam, Turbechiumque caſtella delevit. Hæc ubi facta ſunt, ac Sigetum perventum eſt, in oppidum Præfectum Serinus mittit, qui vel periculi denunciatione, vel promiſſis ad deditionem oppidanos impelleret. Oppidani ſuis fortunis conſulere non abnuere; Præfectus, militeſque tantum dedecus admittere nolle. Oppidum & natura loci propter paludes, & manu munitiſſimum, atque Solimani celebris Turcarum Regis morte nobilitatum ſumma cum laude recepturum exiguis copiis Serinus ſperabat. Tamen ubi rem diutius duci intelligit, Olachium cum exercitus parte ibi relinquit, ipſe cum reliquis copiis Quinque Eccleſias petit. Quo ubi pervenit, Turcæ ſuburbia deſerunt. Quæ ut ſtatim occupaverunt ſui, in ſecundum omen accipiens id Serinus, minime moratur, quominus quatuor ex partibus aggredi muros appararet. At eventus animi magnitudini non reſpondit; quoniam Turcæ munitionibus confiſi eos repellere valuerunt. Qua re animo non ſe demittit Serinus, ſed tormenta in muri perniciem diſponi jubet. Quæ ubi profeciſſe vidit, ſatis jam factum ad Turcas perterrendū exiſtimans, legatum ad oppidi Præfectum mittit, qui præmiorum ſpe eum corrumperet, vel, ſi id minus poſſet, periculi timore iterum oppidanos ad ſe dedendos impelleret. Præfecto promiſſis ſe captum ſimulanti Serinus ita fidem præſtat, ut, patentibus portis, ducentos in oppidum intromitteret. At ubi pars jam intraverat, extemplo ex omnibus partibus armatum præſidium in imprudentes advolat, portaſque claudit, ac ſexaginta ab aliis ſecluſos ad unum interficit;

in his

Digitized by Google

in his Comitem Franciſcum Erbeſteinium. Reliqui tormentis, ac contumelioſis vocibus repulſi, ira pleni ad Serinum ſe conferunt. Qui cognita fraude confeſtim milites oratione accendit. *Quid expectarent*, dicebat, *quin doli pœnas a barbaris repeterent? Proditorum morte omnino per fidem circumventis commilitonibus parentandum eſſe, ſi viri videri velint. Non eſſe dubium, quin ii minimum virtute poſſint, qui dolis vincere nitantur. Quid igitur timerent periclitari fortunam, ubi haud dubia victoria ſit?* Hæc vix præ clamore ulciſci exoptantium audita ſunt, ac tantum fuit in militibus ſtudium, ut uno, eodemque tempore ſe expedirent, arma ſumerent, mœnibus appropinquarent, ac in muros evaderent. Exulcerati ignominia ubi urbem ingreſſi ſunt, obvios ſive repugnantes, ſive arma abiicientes, pueros, mulierẽſque promiſcue interficiunt. Oppidanorum pauci, militum vero magna pars, quia in arcem concedunt, ex periculo ſe eripuerunt. Hoc ſine contentione ſucceſſit, quod negligentia apud eos orta erat, qui Serinum, militeſque ludificatione permotos, ac difficultate oppugnationis adductos infecta re abituros confidebant. Re vera, ſi eandem adhibuiſſent diligentiam, quam poſtea in defendenda arce adhibuerunt, idem ſubſecutus eſſet eventus. Nam quum durare propter anni tempus in caſtris Serinus non poſſet, poſtquam triduum diripiendo, atque incendendo oppido dedit, ut pontem interſcinderet, Dardam proficiſcitur. Dum loco appropinquavit, Segeri Forgato cohortis Præfecto bina Germanorum equitum, ac Croatorum millia tria attribuit, ut propugnaculum, quod ad defendendam eam pontis partem Turcæ inſtituerant, tentaret. Ibi erant præſidii cauſa ex omnibus lecta peditum ſena millia, quia, quum Acmetes in tam opportuno loco retinendo earum regionum ſalutem conſtare intelligeret, validiſſimo præſidio rei proſpexerat, adeo ut ex ſententia res ceſſiſſet, ſi ſuum officium præſtare præſidium voluiſſet. Nam quum primo, pluribus interfectis, Forgatum rejeciſſent, tamen, ubi equitum millia bina ſubſidio ab Serino defeſſis miſſa cognoverunt, tantum dedecus admittere non dubitarunt, ut in fuga ſubſidium omne ponerent: quæ in majus diſcrimen, ut ſolet, ipſos adduxit. Ad mille enim, & quingenti conciderunt. Occupato propugnaculo, Serinus reliquam exercitus partem ducit, atque nulla interpoſita mora, igne, ferro, & quibus aliis rebus poteſt, pontem interrumpit. Sic longiſſimi temporis labor puncto temporis interiit. Hoc ſimulatque factum eſt, magnis itineribus ad Sigetum contendit. Ibi tum ſuis, tum Turcis rem nullam ad virtutem defuiſſe reperit; & quum Olachius omnia expertus eſſet, tamen ſemper fru- An. 1664

An.1664 ſtra ejus conatus fuere. Quod ubi cognoſcit Serinus, milites hortatur, *ut, quoniam aſperiora confeciſſent, receptæ urbis gloriam ſuam facere niterentur. Nihil eſſe, quod virtute, & perſeverantia non ſuperetur. Omnia plana alacribus fore. Dandum operam, ne, quod laboribus peperciſſent, opportunitatem corrupiſſe dici poſſet.* His dictis conclamant omnes, *ſeſe pro Ducis ſui gloria nullum recuſare periculum paratos eſſe. Sperare ſe ejus conſilio conſequi rem poſſe.* Quorum perſpecta alacritate, Serinus extrema tentare ſtatuit. Sed quia oppido præerat vir non magis belli peritus, quam diligens, & Regi ſuo fidelis, qui præſidium ad virtutem arrexerat, Serini conatui locus non fuit. Conatus eſt Serinus iterum muros aggredi, ſed rem ſæpius fruſtra tentatam dimittere tandem decrevit, quia duriſſimo hyemis tempore optime de ſe meritos milites conficere pudebat. In itinere parum abſuit, quin ab contentione ad contumelias Serinus, Olachiuſque deſcenderent; quoniam, ut Olachius ægretulerat, Serinum, ubi Sigetum redierat, dixiſſe *rem proſpere ceſſuram, ubi ipſe ſuis adeſſet*, nunc quod Serino quoque vano incepto diſcedere oportuiſſet, *fraude factum* demonſtrat, *ut ipſe facillimas res aggrederetur, magnæ contentionis negotia ſibi daret, ne gloriæ particeps eſſet.* Negat Serinus, & *facillimum ſibi fuiſſe Sigetum expugnare* dicit, *ſi ibi remanſiſſet.* Multa utrinque dicta ſunt, & quamquam ultra verba non proceſſere, tamen, altero alteri invidente, reipublicæ detrimentum, ut neceſſe erat, irrogatum poſtea eſt. At Serinus ſimul primum domum rediit, ſuum familiarem ad Cæſarem mittit, qui doceret ſua fortiter acta; quæ etſi erant per ſe magna, latius tamen, inflatiuſque litteris, nunciiſque concelebrabat. In Serino enim quamquam multæ bonæ artes, in iis animi magnitudo, & audacia magis, quam militiæ peritia erat, tamen, lingua, an manu promptior eſſet, parum conſtabat: eo pro invidia lenienda majorem ſibi conflabat: quod quidem & ſibi periculoſum, & communi bono detrimentoſum fuit, quia privata gratia res magnæ utilitatis impeditæ. Cæſari ubi omnia nunciata ſunt, magnam in ſpem venit Caniſiæ recipiendæ, maxime quod Serinus ad omnium rerum inopiam adductum præſidium, ac munitiones paucis ante annis incendio deletas non adhuc refectas eſſe docebat. Huc accedente, quod paludes, quæ alio tempore magnum habent ad defenſionem momentum, hyeme glaciatæ aditum ad oppidum darent, pro effecto negotium omnes habebant. Caniſiæ vero Præfectum pollicitationibus permotum Serino locum introeundi ſe daturum pollicitum eſſe, omne expellebat dubium. Quibus rebus adductus Cæſar, ad con-

conciliùm Gratii habendum rem defert. Eo Serinus veniens, & ea, quæ Cæſari exponenda curaverat, commemorans, ut de concilii ſententia rem ſuſciperet, effecit. Mehemetes Rex, Acmeteſque, cognitis rebus a Serino actis, qui antea magnopere in ipſum accenſi erant, quod populationibus ſemper ſuis terrorem intuliſſet, quod propugnaculum ad Muram flumen excitare auſus eſſet, incredibile memoratu eſt, quantum hac re permoverentur, quum ſubito Ducem depoſcerent, qui illico, coactis copiis, contra cum contenderet. Hominem vero tam temerarium reperire non valuerunt, quod quiſque eam rem in ſe recipere recuſabat, quam non proceſſuram ſciebat, maxime hyemis tempore, quo præter frigus, rerum quoque omnium inopiam milites laturi eſſent. Spe igitur amiſſa quamprimum rei per vim obtinendæ, conſilium cœperunt ad artes recurrere: & magna præmia tribuere iis polliciti ſunt, qui vel vivum, vel necatum Serinum ſibi traderent. Quibus illectus ex Pannoniis quidam, inſidias Serino tendit. Qui, patefactis conſiliis, meritas perſolvit pœnas. At Serinus anxius erat, ne hyeme tranſacta negotii perficiendi facultatem amitteret; proinde Ratisbonam ad Cæſarem proficiſci conſtituit. Coram enim ei perſuaſurum ſperabat, magnum habere uſum ad Turcas populationibus prohibendos hyeme Caniſia potiri. Ne vero temere rem incognitam pronunciaret, prius loca ſibi exploranda decernit. Modico igitur paucorum Præfectorum præſidio eo contendit; & cupidine cuncta perſpiciendi captus, incautius ita oppido appropinquat, ut vix prius fuga, deinde quorundam Croatorum auxilio, qui ſive caſu, ſive Dei conſilio eo venerant, ſe ex Turcarum manibus eripiendi facultas fuiſſet. Sed ne hoc quidem periculo animo permovetur: nam mutatis ad celeritatem jumentis, Ratisbonam veniens, ab Cæſare petit, *ne dies prolatando occaſionem Caniſiæ Turcis adimendæ e manibus dimitteret. Si, ante quam hyems præcipitaret, res ſuſciperetur, duabus de cauſis rem ſucceſſuram ſperare, quod glacies iter ad oppidum expedire poſſet, quodque citiſſime, ut res poſtularet, auxilia convenire non poſſent. Si Caniſia Germanorum fiat, præter parem dolorem, quem Turcis redderet, nullo negotio conciliari ea conditione pacem poſſe, ut quiſque occupatum obtineret. Re ita ſe habente, clariorem ipſum inter Chriſtianos futurum, quod in tanta rerum iniquitate æquam feciſſet pacem, quam inter Turcas Acmetem.* Hæc ita in Cæſaris animo hæſere, ut quamvis in concilio Montecucculus, Strotiuſque rem non ſuſcipiendam cenſuiſſent, quod, quum inopia ærarii urgeantur, nullo conſilio in re, quæ procedere non poſſet, pe- An.1664

An. 1664 cuniam eſſent erogaturi, tamen ſive quia plus æquo Serini pollicitationibus fidebat, ſive quia, ut natura fit, gloriæ ſtudium, & proficiendi cupido ex difficillimis facillimas res redegerant, contra aliorum opinionem rem ſuſcipiendam exiſtimat. Hac de cauſa unicuique certas partes ad negotium conficiendum attribuit, & quibuſdam negotium dat, ut, quæ uſui ad id eſſent, compararent. Qui viginti bellica tormenta in propugnaculum ducenda curaviſſe contenti, reliqua, incertum pecuniæ, aliarumque rerum inopia, an privata gratia, intermittunt, uſque eo, ut, quum ver appropinquaret, magis Turcæ ad defenſionem, quam Germani ad oppugnationem ſe comparaviſſent. Acmetes enim apparatibus quoque, non Serini tantum vocibus permotus, & Caniſiæ Præfectum, quia in ſuſpicionem venerat, interficiendum curaverat, & Haſſanem, cujus fidem, & uſus militaris peritiam probabat, oppido præfecerat, & alia majore, quam potuerat, contentione paraverat, ne, adverſæ rei culpa in ſuam imperitiam collata, mors ſibi oppetenda eſſet. Ex his cognoſcere licet, quantum uſum in bello habeat, conſilia, rationeſque hoſtium manifeſta habere: nam Acmetes ut magis, magiſque rei occurreret, majori, quam unquam ante, diligentia contrahere in unum locum exercitum maturat, & pontem in Dravo flumine a Serino incenſum reficere inſtituit. Sic facilius obſeſſis ſubſidio venire poſſe confidebat. Sed induſtria neque naturam, quia reficere pontem non exigui temporis opus erat, neque Turcarum morem vinci poſſe conſpiciens, quod ante tempus in caſtra contendere nolebant, commodiſſimum eſſe ſtatuit, ſpe pacis detinere Germanos, donec, coacto exercitu, in aperto virium certamine ſpem haberet. Jam enim, extinctis rumoribus de fœdere inter Chriſtianos Reges icto, bellum trahere cupiebat. Quo inito conſilio, Reningherium ad ſe vocat, atque monet, *ut Cæſarem de concilianda pace iterum hortaretur, quandoquidem ſua opera factum eſſet, ut Rex potius æquas conditiones dare, quam belli fortunæ confidere paratus eſſet. Sperare ſibi ab Cæſare pro tanto beneficio gratiam relatum iri, quum ex maximo periculo, in quod haud dubie venturus fuiſſet, eum eriperet.* Eadem fere fuit litterarum ſententia, quas ad Lubcovitium miſit. Reningherius vero non minus neceſſarium putavit de Acmetis mandatis, quam de ludificatione Cæſarem certiorem facere; quoniam id eo pertinere animadverterat, ut, ab Germanis mora interpoſita, exercitum contraheret, priuſquam Caniſiam contenderent. His, & Acmetis litteris in concilio recitatis, prope omnes ne aures quidem vaferrimo homini, ab quo paulo ante

fuiſ-

fuiſſent decepti, præbendas cenſuere; immo, quod pacem peten- An.1664
do Turca magnopere Caniſiæ timere demonſtraviſſet, nequaquam tantam occaſionem e manibus dimittendam. Hæc ſententia ab Cæſare quoque probatur, poſteaquam de hoſtium poſtulatis cognovit. Hac ratione res ita Acmeti ſucceſſit, ut, quod animo propoſuerat, non arte conſequeretur, ſed ſive indiligentia, ſive quorundam perfidia, qui opportuno tempore, quæ uſui ad oppugnationem ſunt, parare neglexerant. Hoc quidem Chriſtianæ rei maxime detrimentoſum fuit, quod pecunia, qua anguſte utebantur, fruſtra profuſa, & milites inani labore conſumpti. Jam Serinus, quia initio veris paludes glaciatæ non erant, &, patefactis conſiliis, Caniſiæ Præfectus promiſſorum pœnas dederat, ſuam gloriam in dubium non eſſe devocaturum dictitabat. At Cæſar ex timoris confeſſione, quam pacem petendo Acmetes expreſſerat, conjecturam capiens rem feliciter ceſſuram, *ne animo ſe demitteret*, eum hortatur. Huc accedebat, quod, quum maxime Viennæ, Germaniæque timeret, magnum uſum habere judicabat, Caniſiam expugnare, ut Turcæ in id recuperandum oppidum inſiſtentes alias corrumperent opportunitates. Serinus igitur Cæſari ſemper præſtare operam paratus, dum milites in unum locum contrahebantur, cum hominum millibus quinque loca omnia circa Caniſiam adit, quum ut præſidia ex arcibus, caſtelliſque hyeme occupatis deduceret, (in diſcrimen enim ea venire poſſe intelligebat, quando refecto ponte copiæ, quas expeditas citra flumen in armis Iſmael habebat, flumen tranſirent) tum ut omnia incenderet, ne caſtellani juvare aliqua re Turcas poſſent. Quod quidem negotium tanta alacritate ſuſcepit, ac felicitate confecit, ut maximum ſui faceret terrorem, uſque eo, ut agreſtes nihil citra Caniſiam tutum arbitrati eo ſe recipere conarentur. At ubi, clauſis portis, ingredi prohibebantur, ne inutiles bello defenſorum inopiam onerarent, incertis itineribus fuga ad ſalutem contendere ſtudebant; qui fere omnes in Serini manus incidebant. Accidit etiam res tum parva dictu, quæ, quum magna ſpe Serinum compleviſſet, prodenda memoriæ videtur. Quum, confecto negotio, domum repeteret Serinus, nunciatur ei, carrorum vim maximam Sigeto Caniſiam duci. Serinus omnia intercipere cupiens, quingentos equites eo mittit. Turcæ, qui cum carris veniebant, erant numero centum. Qui ubi procul Germanos ad ſe venire conſpexerunt, fuga ſalutem petere conſtituunt. Germani poſteaquam præda potiti ſunt, citatis equis fugientes conſectantur. Ita paucos velocitas pedum tutatur. Captivi ergo ſigillatim, quæ cognoviſ-

An. 1664 viſſent, pronunciare juſſi *anguſte utire frumentarla milites, qui Caniſiæ præſidio ſint*, dicunt, *uſque eo, ut vix viginti dierum frumentum ſuppeteret*. Qua re lætus Serinus domum pervenire maturat, ut de iis Cæſarem certiorem faceret, *& ne diutius rem duceret*, oraret. Cæſar itaque, ne ſpes corrumperetur, ſi, nemine iter prohibente, Turcæ frumentum in oppidum conferrent, Strotio imperat, ut confeſtim ſuas copias Serino conjungeret. Item ad Buduanum, nonnulloſque ex Pannoniorum primoribus ſcribit, *cogerent, quas poſſent, copias, & ad Serinum quamprimum Caniſiam contenderent*. Dicto prius paruit Buduanus: qui Nicolai Serini juſſu prope Caniſiam veniens, itinera omnia obſedit, ut ſingularem etiam hominem ingreſſu, egreſſuque prohiberet. Paulo poſt idem facit cum ſuis copiis Serinus. Qui poſtridie ejus diei Gratium ſe contulit, ut cum Strotio conſilia communicaret. Strotius ibi remanſerat, etſi milites, quibus ipſe *præerat*, una cum copiis, quas fœderati contulerant, Caniſiam venerant. Gratii igitur conſultationibus habitis, omnes Serinum, Strotiumque hortati ſunt, *ne dies prolatarent. Magis occaſionis, quam contentionis rem eſſe. Facile occaſionem amitti, difficile ea amiſſa rem obtineri. Idcirco ſubito conaudum, ne Acmeti obſeſſis opem ferendi ſpatium detur*. In eandem ſententiam loquitur Comes Colonniſchius, qui principem locum in concilio obtinebat; ſolum addit, *maxima fore in Croatiam, Stiriamque ipſorum merita, ſi illud expugnarent oppidum, unde ſępius Turcę populatum eas regiones venire conſueſcant*. His rebus non parum permovetur Strotius, etſi antea eam rem non aggrediendā cenſuerat. Serinus jam, velut explorata victoria, non vulgare peperiſſe ſibi decus arbitrabatur. Propterea magis ei moleſtum fuit, quod fœderatorum copiæ alius dicto, quam Olachii, audientes eſſe poſſe negaverunt. Nam, quum poſt tot, tantaſque dilationes illuxiſſe diem lætatus eſſet, quo tantæ gloriæ fieri compotem poſſe confidebat, ea interpoſita cauſa, non ſolum non laturum ex labore fructum, ſed ante partam gloriam amiſſurum timebat. Ad Cæſarem ergo ſcribit, *non conſtare ſibi, utrum nonnullos, qui dies extraxiſſent, an fortunam queri deberet, quæ velut conſtantior uſque adhuc viſa, quam humanarum viciſſitudines rerum ſoleant, hanc rerum commutationem efficere velit, ut tot periculis partum decus aliorum culpa amitteret. Profiteri, ſe oppugnationem hyemis tempore ſuaſiſſe, dum glacies, & neceſſitudo, quæ ipſi cum Caniſiæ Præfecto intercedebat, præterea proximi ſubſidii difficultas in certam victoriæ ſpem rei militaris non imperitos erigere faciebant: nunc vero contra non ſuadere, quum ſpes illa ſupereſ-*

pereſſet, ad ſummam rerum neceſſariarum inopiam adductos menſem tolerare non valere; quo ſpatio auxilium eis ferre Acmetem non poſſe conſtet. Orare, ut vel oppugnationis conſilium dimitti jubeat, vel ſeverius eos caſtiget, quos moram non neceſſariam interponere compererit: præterea Olachium ad exercitum venire juberet, quum ſine illo profici nihil poſſet militum cauſa, qui ſolum ei ſe parituros profeſſi ſint. Litteris permotus Cæſar, Olachio mandat, ut ne horæ quidem mora illata ad Caniſiam proficiſcatur. Qui nihil ſibi ad celeritatem reliqui faciens, Gratium pervenit. Ibi exiguum moratus temporis, ut de rebus, quæ ad oppugnationem pertinerent, conſultaret, ſubito ad exercitum contendit. Ubi pervenit, ut tormenta, reſque omnes erant paratæ, non modo amplius non terendum tempus Duces ſtatuunt, ſed etiam, quoad fieri poſſet, tantam præſtandam alacritatem, ut parvo temporis ſpatio ea perficiant, quæ longo tempore antea vix confeciſſent. At Turcis non minus animi erat: nam excitati ab Haſſane, qui & uſum in re militari habebat maximum, & alacri, fortique animo erat, pluribus portis eruptionem facere conſtituerunt, atque, ubi minus firma militum pars eis videbatur, eo contenderunt, ut in fugam conjectos interficerent. At dum illi, in quos irruperant, impetum fortiter ſuſtinent, & cominus gladiis rem gerunt, Strotius, qui proximum obtinebat præſidiorum locum, quanto in periculo res eſſet cognoſcens, plures equitum turmas laborantibus ſubmittit. Quæ quidem res maxime fuit opportuna. Nam ſimul venientium ſigna conſpexerunt Pannonii, non modo firmantur, verum magna etiam alacritate ſe in Turcas incitant: quos pedes referentes conſectantur Germani, donec, quum propius oppidum eſſet ventum, acrius inſtantes tormentis obſeſſi propulerunt. Sic multis illatis, acceptiſque vulneribus, Turcæ in oppidum, Germani in caſtra ſe conferunt. Fama tamen adverſi prælii in Turcas vertit, quod, quum fuiſſent primo omnium judicio ſuperiores, ad quadraginta amiſſis, prope præcipites ſe fugæ mandaſſent. Sic conjecturam capiens Serinus, ſuos plurimum, hoſtes minimum virtute poſſe, ſtatim oppidum recepturum ſperabat. Hoc rerum ſtatu concilio habito, ut illico opera contra oppidum perducerentur, inter Duces convenit. Utque procedere citius res poſſet, inter ſe opus partiuntur, ac militum partem in opere verſari, partem in armis eſſe jubent, ut operi deſtinatos defenderent. Hac ratione ad æmulationem re deducta, brevi opera ita proceſſere, ut milites & ſuburbium adoriri auderent, & occupare poſſe ſperarent, etſi munitionibus, ac obſeſſorum eruptionibus, & loci natura fie- An.1664

bat,

An.1664 bat, ut magnæ contentionis res eſſet. Nam, quum quinquaginta paſſus in latitudinem foſſa inter oppidum, ac ſuburbium ab ea parte pateret, quæ ad occaſum ſpectat, pons in ea eſt, qui facultatem ſubſidii ferendi præbebat. Suburbium item alia nimis lata foſſa muniebatur, in cujus interiore labro firmos arborum truncos in plures partes ſecatos ordinatim defixerant. Hi quatuor cubitos a terra eminentes inferius, ſuperiuſque revinciebantur, ne facile proſterni poſſent. Hæ manu factæ munitiones licet magnam Germanis afferrent difficultatem, tamen longe maximam paludes afferebant, quæ, ne mœnibus, niſi diutino labore, appropinquarent, efficiebant. At Duces, militeſque virtute, & patientia majora ſuperare confidentes, turrim ligneam prope oppidum ab ea parte, quæ ad orientem ſolem vergit, adoriri conſtituunt. Olſthius Cohortis Præfectus ante omnes, tormentis prolatis, quingentis hominibus propius eam venit. Serinus bina hominum millia pro caſtris collocat, ut ſubſidii ſpe Olſthius confirmatus fortiorem animum gereret. At Turcæ continenter horis quinque tantam virtutem præſtiterunt, ut aditus Olſthio ad eam non fuiſſet, ni Strotius alia ex parte cum mille & quingentis in eos ſe incitaviſſet. Tum, munitionibus igne injecto, paulatim Turcæ ſe recipiunt. Quod ubi eſt ab Germanis animadverſum, ſubito in eos omnibus ex partibus provolant. Turcæ inopinata re perculſi, quum conſilii habendi tempus deeſſet, ac ſibi fugientibus nihil tutum, & recenti victoria elatis nihil impeditum eſſe arbitrarentur, ſuburbium incendunt. Optimum enim ipſis viſum eſt, locum delere, quem receptaculo hoſtibus eſſe poſſe judicabant, ſi fugientibus mixti intrarent. Facto forte Haſſan intervenit; qui certior factus de Strotii adventu, recentes ſuis defatigatis ſubſidio ducebat. At ſuos perterritos certiorem capeſſiſſe fugam videns, quia ejus victoriæ favore oppidum etiam occupaturos Germanos timuit, ſumma ope remedium tanto malo reperire enititur. Igitur pavidos primo increpans, deinde fugientes ſigniferos interficiens, & omnes eandem daturos pœnam pronuncians, niſi e veſtigio adverſi hoſtibus exiſterent, fugam comprimit. Ubi ergo prælium reſtitutum vidit, precibus, præmiorumque ſpe militem ad virtutem accendere ſtudet. Sic prælium minori detrimento diremptum eſt. Poſtridie tamen timens, ne ſuorum ignavia Germani oppidum occuparent, omnes orat, *ne Mehemetis Regis ſui, ſuam, omniumque opinionem fallerent, ſed priſtinæ virtutis memores acceptum incommodum ſarcire vellent*. Quibus vocibus permotis tantum acceſſit infamiæ delendæ ſtudium, ut potius locum, quem cœpiſſent, mortuos corpore tegere, quam inco-

incolumitatis ſpe eum relinquere conſtituerent. Hoc ita compro- An.1664
bavere, ut, quum continenter diebus tribus (res incredibilis) pugnatum utrinque magna pertinacia eſſet, nemo alium pugnæ finem ſibi propoſuerit, quam victoriam. Turcæ enim abditi in quibuſdam ligneis caſis, ac luto contectis, quas ad omnes caſus Haſſan excitaverat, ne vulneribus quidem affecti loco excedere exoptabant. Tantaque obſtinatio vix ab Haſſane vinci potuit; qui, quum ad extremum caſum rem perductam videret, ne inutili contentione ſuos conficeret, receptui cani jubet. Major pars, ut fugæ ignominia aboleretur, dimittere locum abnuit, ita ut, niſi morte eorum, qui nominatim appellati imperium contempſerant, reliqui Ducis dicto audientes eſſe didiciſſent, ad unum omnes concidiſſent, ubi paulo poſt Germani potiti loco eſſent. Diſcedentes caſis ignem inferunt, quæ, ut erant ligneæ, ita conflagrarunt, ut duorum dierum ſpatio Strotio milites eo mittendi facultas non fuerit. Itaque Haſſanem, quum non magis militum ignavia, quam temeritate accipi detrimentum poſſe intelligeret, apud pugnæ cupidos concionatum fuiſſe ferunt, eoſque docuiſſe, *ſemper cavendum eſſe, ne quid ſit nimium, neu quidquam tempore non opportuno audeant. Sæpe plus occaſione, quam audacia profectum eſſe. Et experientia eſſe compertum, ſicut erraviſſe eos, qui illius rei rationem non habuiſſent, ita magnam ſibi peperiſſe gloriam, qui, quum maxime opus fuiſſet, contentionem præſtitiſſent. Ex eo perſpici poſſe, quemadmodum res cedere potuiſſet, quum eos timor inceſſiſſet, quando audacia opus erat, atque tum virtute timoris ſuſpicionem vitare exoptaviſſent, quando cedere tempori oportebat. Proinde quantopere conſtantiam laudibus ferendam eſſe, quando ad ultimum ſupplicium progredi non dubitarent, tantopere amentiam incuſandam, quum de rerum ſumma ſuum, non Præfecti judicium facerent. Se æque in ſuis alacritatem, conſtantiamque, ac continentiam, prudentiamque deſiderare.* Hæc dicta tantum apud milites valuerunt, ut omnia omnino, quæ poſtea Haſſan imperavit, facere non dubitarent. Quæ fuit cauſa, quare Germanorum conatui poſtea locus non eſſet. Læti tamen eventu Germani, ut quam citiſſime victoria potirentur, aquam ex paludibus derivare conati ſunt. Sed quum plures nequicquam conſumpſiſſent dies, & rem vel impoſſibilem, vel difficillimam ſuſcepiſſe animadvertiſſent, conſilium deponunt, & cratium, tabularumque vim parant. Sed quum id quoque maximi laboris eſſe cognoſcerent, eos omnibus precibus deteſtantur, qui rem diſtraxerant; quoniam, ſi nondum hyeme confecta rem ſuſcepiſſent, tantum inſudare laborem non oporteret. Interim Olachius aliam turrim ligneam eadem

An. 1664 ratione, atque aliam, inſtitutam occupat. Quibus rebus perfe-ctis, ſubito contra oppidum, quod, quum maxime munitum, & parum in circuitu eſſet, arcis obtinet locum, aggerem jacere, atque reliquum conſilii explere Duces ſtatuunt. At rerum omnium inopia, quæ ad oppugnationem opus erant, impediti anguſte re frumentaria quoque utebantur. Omnia tamen hæc patienter ferebant, adeo ut, ubi tabularum, atque cratium numerus comportari cœptus eſt, paludes omnibus ex partibus perrumpere inſtituerent. Magnum vero detrimentum ab obſeſſis Germanis inferebatur, quum muris tecti tormentis ſine periculo apertos propellerent. At ubi Serinus ad lęvam, Strotius ad dextram contra urbem, Olachius contra vetus oppidum opera perduxerunt, ut proſpectus in eos non erat, ne repentinos quidem obſeſſorum impetus extimebant. Solum, quia controverſia inter Duces orta erat, quod oppidi quamprimum recipiendi ſpes non eſſet, ut Cæſar imperaverat, quæ ex diſſenſionibus oriri ſolent mala, timebantur. Litteræ vero Cæſaris ad Serinum redditæ concordiam omnibus reſtituere. Nam, quum Cæſar mandaſſet, ut victoriæ primo partæ fructum, negotium conficiendo, perciperent, nemo Serino reſiſtere audebat, ne & Cæſari reſiſtere videretur. Sub idem tempus res quoque accidit, quæ, ut non Serini modo, ſed reliquorum ſpem auxit, fuit cauſa, quare libenter durare ſpatium temporis in caſtris non abnuerent. Ex pluribus, qui ab Acmete ad Haſſanem miſſi erant, unus per medias Pannoniorum ſtationes noctis, ac paludum beneficio tranſiens, Haſſanem, militeſque hortatur, *ne labori ſuccumberent, quum parum abſit ab eo, quin Acmetes obſidione eximendi cauſa veniat*. Hæc ubi intellexit Haſſan, timens, ne ſubire deditionem cogeretur propter frumenti inopiam, ſi Acmetes cito cum exercitu non veniret, optimum eſſe judicavit eundem cum litteris ad Acmetem mittere. In litteris ſcribit, *ſe*, *quod exigue quindecim dierum frumentum ſuppeteret*, *diutius tolerare non poſſe*. Nuncius etſi regionum peritiſſimus erat, & per occultos tramites ibat, Croatorum tamen manus effugere non potuit. Ex eo Serinus cognoſcens, quindecim dierum ſpatio ſine vulnere oppidum recipere poſſe, conatum remittit omnem. Solum aggerem eo conſilio excitandum curat, ut ex loco ſuperiore tormentis obſeſſis nocens facilius eos ad deditionem impelleret. Sed quia indiligentia eorum, qui iis negotiis præerant, pulvis tormentarius deficiebat, ſicuti Serinus conſilio uti non potuit, adæque Strotius partem earum turrium, quæ erant contra locum, quem obtinebat, evertere nequivit, etſi procumbere cœperant. Ob eandem ſulphurei pulve-

ve-

Digitized by Google

veris inopiam Olachio aggerem ab obſeſſis inſtitutum excindendi facultas non fuit. Tamen non magnopere tanta ſive indiligentia, ſive perfidia perturbantur; quoniam magis ſe efferri poſſe ſperabant, quum & perfidos, avidoſque cives, & fortes, alacreſque hoſtes ſimul viciſſent. Sed Haſſan, quum tam brevi non eſſe ſubſidia conventura præſentiret, parce frumentum metiri inſtituit, ut, quoad Acmetes veniret, tolerare poſſet. Utque æquo animo id ferrent milites, in concionem aſcendens ita locutus fuiſſe fertur. *Multa me, ut hæc verba faciam, hortantur, ſed, ut alia omittam, quum certior ſpes me teneat a vobis impetrandi, quod poſco, ſummæ dementiæ eſſet, ſi de imminente periculo vos non docerem. Jam non dubito, eos parvo labore omnes alios ſupra inſudatos eſſe confirmaturos, quos fortem animum gerere cognoſco, adeo ut nihil ſupra ne ego quidem exoptare valeam. Quodque certius mihi conſtat, meo ſtudio veſtrum non cedere, eo nullum periculum pro veſtra ſalute recuſo; & nunc vigilias circumeo; die, noctuque omnibus intentus ſum; vobis & conſultor, & periculorum ſocius adſum. Sed quoniam nunc omnes noſtros conatus male caſuros provideo, permagni communis ſalutis intereſt, pro re, & tempore conſilium iniri. Sciatis, ergò velim, Acmetis litteras nuper ad me redditas eſſe, ipſum omnia expedire, ut nobis auxilio veniat. Hæc quum ita ſint, tamen, quia cito eum conventurum eſſe impoſſibile duco, ob eam rem pulcherrimum judico, vos inopiam tolerare, ubi paulatim metiri frumentum inſtituero. Nam, quum parcendo paulo longius tolerari poſſit, quis libenter hoc non ſuſtinebit, ne in eum caſum deduci neceſſe habeat, ut ad innatos hoſtes ſupplices manus tendat? Jam, ratione inita, quindecim dierum frumentum ſuppetere tantum conſtat. Propterea nolite quæſo tantam animi mollitiem præbere, ut facilius alia fortiſſimis viris digna audere, quam inopiam ferre velitis. Nam vir fortis dici is non meretur, cujus animus omnia æque non ſuſtinet. Neque quiſquam prudentis nomine appellari poteſt, qui, quum remedium malo repertum ſit, in periculum venire cupit. Reputate cum animis veſtris, ſi viri animus ferre poſſit, ut ſalus, & gloria belli in eo poſita ſit, ſi celeriter ſubſidium ſibi mittatur. Agitedum nunc me ſolum audiatis, ſi magnam ad vos gloriam pervenire exoptetis. Nihil omnino timendum erit, ſi huic rei proſpexeritis, quum loci natura, munimenta, &, quod plus eſt, veſtra alacritas, quam non augere, ſed reprimere mihi opus eſt, omnes tutos reddant.* Oratio vix præ ſtrepitu omnia perpeti paratos eſſe pollicentium audita eſt, immo ſe ignominiæ loco tuliſſe dicebant, *quod ipſe animos oratione accendendum judicaſſet, velut ſe ad omnia pericula ſubeunda paratos non cognoviſſet.* An. 1664

Gg 2 Ho-

An. 1664 Horum vocibus, & magis factis, quod, quum frumentum perparce metiretur, nulla vox fortibus viris indigna audiebatur, ſublatus Haſſan, legato ab Serino miſſo, ut milites ad deditionem impelleret, reſpondit, *ſe biennium ad deliberandum poſtulare; ſi quid velit, tunc reverteretur*. Tam audax reſponſum quum relatum ad Germanos eſſet, quin conſtantiam collaudarent, contineri non potuerunt, eo magis quod cito propter inopiam eum veniam eſſe imploraturum ſperabant. Cuncti præterea mirabantur, Turcas tanta obſtinatione pugnare, ut, quamvis anguſtiæ iter facere prohiberent, incredibili celeritate ſe reciperent, ubi ignem vallo intuliſſent, atque opera diſturbaſſent. Et quando quiſquam ſe ab aliis ſecluſum cognoſcebat, potius mortem ibi oppetere, quam vivus in Germanorum poteſtatem venire volebat. Ex Germanis vero quotidie captivi ad Haſſanem perducebantur, ab quibus omnia, quæ in caſtris gererentur, cognoſcebat. Jam, quo ſulphureum pulverem in caſtris conferrent, notum erat. Jam eum non fugiebat, vix omnes ad viginti millium numerum eſſe. Jam Chriſtianos rerum omnium inopia premi, & Duces non unum omnes ſentire non ignorabat. Propterea animus obſeſſis creſcit, adeo ut facibus, aliiſque rebus, quæ incendium excitare valent, maxime armati ex oppido erumpere, & ignem operibus inferre auderent. Quem ſic diſtulit ventus, ut puncto prope temporis non minimam operis partem incendium hauriret. Erat ergo Serini in magnis difficultatibus res, quod, quum reſtituere amiſſa opera magni laboris negotium eſſet, quia agger ſeptingentorum paſſuum ſpatio erat petendus, Olachius dimittendam oppugnationem cenſebat, & diſcedere ſe ab ſententia poſſe negabat, etſi id nulla ratione fieri etiam Strotius confirmabat. Ne igitur diſſenſio bono publico obſtaret, ut Olachius de omnibus Cæſarem certiorem faceret, conſenſerunt. Olachius ne falſa Cæſari ſe propoſuiſſe dici poſſet, ad Serinum, Strotiumque nuncium mittit, qui epiſtolam ab eis perlectam illico ad Cæſarem perferret. At, ut crebræ ex oppido eruptiones fiebant, nuncius, dum ad Serinum contendit, ab Turcis comprehenſus in oppidum ad Haſſanem perducitur. Qui non modo lætatur, quod omnia, quæ in caſtris geſta eſſent, comperiſſet, ſed etiam quia, quid gerendum eſſet, cognoviſſet. Facile enim, patefactis conſiliis, ſibi præcavere poſſe videbat; & in novo hoſtium conſilio novas belli rationes reperire difficile non ducebat. Itaque ne imparatus deprehenderetur, quum exteriores munitiones hoſtes adorirentur, cuniculos agere inſtituit, ut ibi ſulphureo pulveri incluſo ad extremum ignem inferens, & munitiones, ne uſui hoſtibus eſſent, evertere-

teret, & milites omnes, qui eo acceſſiſſent, interficeret. Præterea transverſas foſſas intra muros in juſtam altitudinem, latitudinemque perduci, ac vallo muniri jubet, ut impetus hoſtium tardandi facultas eſſet, ſi, ſuperatis muris, ingredi in oppidum vellent. Hæc opera etſi erant per ſe magni laboris, tamen quia milites, oppidanique laborem ſuſcipere non recuſabant, alia ad illa addere Haſſan voluit, ne tormenti genus, quod Germanis eſſe cognoverat, incautis noceret. Nam in ferreo vaſe tormentarius includebatur pulvis, cui ubi ignis ex parvo foramine eſſet illatus, vas manu in oppidum coniicitur; quo confeſtim fracto, homines, juxta ac domus male habentur. Cui ut occurreret rei domorum partem muris proximam detegi, itemque diverſis locis foſſas inſtitui jubet. Hoc operis genus magno uſui obſeſſis fuit: nam etſi illis tormentis ſolum, quum muros aggrederentur, uti conſtituerant Germani, tamen conſilium mutarunt, quia nova re permotos etiam, non inopia ſolum vexatos de deditione acturos confidebant. Nec dubitabant, quin hac re magnam ab Cæſare gratiam eſſent inituri, qui paulo ante Serino ſcripſerat, *ut omnibus modis inceptum perficeret*. Sed partim artificis inſcitia, partim Haſſanis diligentia factum eſt, ut nullum ab obſeſſis acciperetur incommodum. Expectabant tamen Germani victoriam, quando, quindecim diebus lapſis, frumentum eis deficeret. Sed ubi tranſacto tempore ſpem hanc amiſerunt, in caſtris quotidie alius alii temeritatem, ſive indiligentiam objectat, ac jam Duces ab contentionibus prope ad contumelias deſcendunt, quia Serinus, utpote pluribus locis hoſtem fuderat, ac ſuæ virtutis, audaciæque opinio inter omnes erat ſingularis, adverſæ rei culpam non in ſuam temeritatem, ſed quum in aliorum ignaviam, tum maxime perfidiam conferebat. Re vera Serino major audacia, quam belli peritia inerat; Strotius etſi belli non habebatur ignarus, tamen, quum militum ſanguine prope abuteretur, ac plus æquo ſuæ virtuti tribueret, majore animo, quam prudentia res, licet aſperas, aggrediebatur; Olachius quum parum in re militari uſum haberet, ſive inſcitia, ſive ut ſe rerum earum peritum præberet, omnibus reſiſtebat, ita ut quandoque a ſua ſententia divelli nulla ratione poſſet. Non immerito igitur, qui horum omnium naturam perſpectam habebant, ſecundum eventum expectabant nullum. Non enim dubitabant, quin plures diſſenſionum cauſæ inter eos orirentur; præſertim huc accedente, quod non modo tormentarius pulvis, aliuſque oppugnandarum urbium apparatus, ſed frumentum quoque militibus deeſſet. Jam duo menſes tranſierant, & licet Acmetes ſe Belgradum cogendarum copia- An.1664

rum

An.1664 rum cauſa contulerat, tamen partim quod plurimum temporis conſumpſit, ut copiarum adventum, quæ in Aſia hyemaverant, opperiretur, partim quia equites, quos Spahios Turcæ appellant, ad exercitum, niſi extremum æſtatis eſſet, ſe ituros negabant, ea illata cauſa, quod ſerius, quam conſuetudo eſſet, hyberna petiiſſent, ea celeritate, quam in animo habebat, ad ſuis opem ferendam uti non potuit. Sed poſteaquam alios præmiis, nonnullos pollicitationibus, pleroſque ſeditionis principum morte in officio permanere coegit, ac alia ſumma diligentia expedivit, majoribus itineribus Caniſiam ire contendit. Et priuſquam ad pontem perveniret, quem ab Serino incenſum docuimus, (eum ſi non eadem ratione, atque antea, nihilominus trabibus collocatis, ac ſuper eis aggere jacto, ut commodiſſime paludes exercitum tranſducere poſſet, reficiendum curaverat) regionis peritum præmiis excitat, ut litteras ad Haſſanem Caniſiam perferat, eumque hortetur, *ut priſtinam retineret virtutem, quoad exercitus ſubſidio ipſi veniret*. Nuncium non ita nox, ac paludes texere, ut ab Germanis non caperetur: qui cruciatuum metu confirmat, *Acmetem ſexaginta hominum millia, ſic animo paratum, ducere, ut prælio rem committat, ſi oppidi ingreſſu ipſum prohibere Germani velint*. Hæc eadem quum ex epiſtola cognoviſſent, concilio tempus Duces conſtituunt. Quod ubi venit, ac Olachius eam ſententiam dixit, quæ, abjecta ſpe oppidi recipiendi, ad reſpectum exercitus ſervandi, caſtra movendo, quemque averteret, omnes conſilium probare poſſe negant. Serinus *præſertim turpe eſſe* dicere, *authore hoſte de ea re conſilium capere, ex qua decus, dedecuſque quum gentis, tum ipſorum pendeat*. Docet *irriſui fore timorem, ſi contra ſe locus eſſet fraudi, cui Schedinovii opera contra Cutſchincium, Abbaſſumque locus fuiſſet: qui fama ingentis exercitus permoti Claudiopolis obſidionem reliquiſſent. Se non modo conjectura judicare, ſed certis authoribus comperiſſe, vix viginti hominum millia cogere Acmetem potuiſſe: alias vero copias etiamſi adjunxiſſet, magis impedimento, quam auxilio fore*. His rebus adducti reliqui, *loco manendum* cenſent, *ſi viginti tantum millia contra ſe venire comperirent: contra illico diſcedendum, ſi ampliorem exercitum, quam quem fundere poſſe ſperarent, Acmetem ducere cognoſcerent. Interim munitiones contra exteriorem hoſtem excitarent, ac de omnibus Cæſarem docerent*. Mittunt hac de cauſa ad Cæſarem Præfectum, qui per diſpoſitos equos, qua poſſet celeritate, ad eum perveniret, & poſtea illico ejus ad ſe referret mandata. Cæſar ab nuncio doctus, mediocres adventare copias ratus, *ne negotio deſiſterent*, Ducibus imperat. Et quo

fa-

facilius rem conſequi poſſent, Montecucculo mandat, ut, quæ An.1664
Altemburgum veniſſent copiæ, eas ſubſidio Serino mitteret. Hæc Præfectus incredibili celeritate rediens omnibus renunciat: qui quod cito auxilia conventura ſperabant, in ſpem re infecta non diſcedendi adducuntur. Dum copiarum expectatur adventus, petunt ab Olachio Strotius, Serinuſque, *ut, quoniam munitionibus plura millia paſſuum eſſent complexi, & maximam partem cuſtodiæ cauſa ipſi obtineant, partem copiarum ſibi ſubmitteret, donec auxilia ab Montecucculo miſſa convenirent*. Olachius infenſus eis erat, quod ſuam ſententiam eos ſpreviſſe ſuſpicabatur, quia ſe nullum in re militari uſum habere, ac ignavum eſſe exiſtimaviſſent. Quamobrem, ut parem eis dolorem redderet, ac vecordiam objectaret, reſpondet, *ſi ipſi munitiones defendere vererentur, eas ſibi attribuerent. Libenter ſe inferiore militum numero eas eſſe cuſtoditurum*. Interim Acmetes quum duorum dierum iter abeſſet, equites præmittit, qui hoſtium rationes explorent. Qui ubi revertuntur, ac caſtris ſe tenere Germanos renunciant, diverſus agitatur Acmetes, fortunamne periclitaretur, an aſtante ſe hoſtes oppido potiri pateretur. Certamen enim tranſigere cum Serino, cujus virtutis apud Turcas maxima erat opinio, verebatur, etſi per exploratores viginti millia numero hoſtes eſſe compererat. Nam, ne in inſidias incautus rueret, timebat, quum non ſine certa ſpe exercitum ab prudente viro expectari judicaret, cui par non eſſet. Quæ opinio ita ejus pectori inſedit, ut, quamvis Pannoniorum captivorum, qui fama Turcarum exercitus permoti domum pervenire properabant, orationem cum exploratoribus convenire cognoſceret, & cauſam adiicerent, quia Serinus non ita ingentem exercitum contra ſe venire judicaret, tamen ultra progredi non audebat. Tandem quum ab omnibus partibus idem confirmaretur, turpe eſſe ratus tantam timoris præbere opinionem, iter accelerat. Hoc Olachius, aliique non occultum habentes, concilio convocato dicunt, *jam exercitum non hebetem, non infirmum, ſed & numero hominum, & virtute militum ampliorem adeſſe. Quid igitur caſtris ſe tenerent, quum periculum eſſet, ne ea magno cum omnium periculo Turcæ adorirentur? Debere ſe ulteriorum regionum ſalutis habere rationem: nam, ſi Serinæ inſulæ occupandæ conſilium Acmetes caperet, & aditus in Stiriam ei ſine periculo pateret, & ſe commeatu intercludere poſſet*. Quibus rebus permoti omnes, in Serinum ora convertunt. Tum Olachius, aliorum cognita voluntate, *confirma adhuc, niſi pudeat*, inquit, *exiguas eſſe hoſtium copias, virtute, ac genere hominum contemnendas; ac in incepto perſta*;

quo-

An. 1664 *quoniam ego his omnibus teſtibus utar, ut, ſi res ad extremum perducatur caſum, abs te Cæſar rationem repoſcat*. Res contentione ad meridiem perducitur. Tandem Serinus deteſtatus nonnullorum perfidiam, qui dilationibus rem ſuſcipi opportuno tempore impediviſſent, in aliorum ſententiam diſcedit. Hoc ubi convenit, quo exercitum ducerent, deliberatur. Nam non minus eo reſpiciebant, ut nullum acciperetur incommodum, quam ut itinere Turcas prohiberent. Placuit ergo omnibus, ut de media nocte majora bellica tormenta præmitterent, poſtridie exercitum Muram flumen tranſducerent, & in ripis cuſtodias collocarent, ut tranſitu hoſtem prohiberent. Sic poſt ſex, & triginta dies negotio infecto diſceſſum eſt. Dum hæc ad Caniſiam geruntur, Suchius tantam audaciam præſtitit, ut Turcis lætitia nulla relinqueretur. Nam ubi poſt tot dilationes (quod res in invidia erat) copias magna ex parte ex delectibus ejus anni confectas idibus Martii accepit, eas labori non obiicere ſtatuit, niſi rem frumentariam expediſſet, ac omnia, quæ ad urbium oppugnationem pertinerent, comparaſſet, quum magnum dedecus ad ſe perventurum intelligeret, ſi amiſſa non recuperaret. Nam quum res, non cauſas, vulgum ſpectare intelligeret, propterea neminem eſſe quæſiturum ſuſpicabatur, quare non profeciſſet, ſed omnes Ducis indiligentiam deteſtaturos. Hac de cauſa ad Comitem Franciſcum Veſelinum litteras mittit, *ſe ſpem omnem in ipſius diligentia poſuiſſe, propterea quod, ſimulatque in Pannoniam perveniſſet, exercitum frumento eſſe juvaturum confideret, ut pollicitus eſſet*. His litteris acceptis, Veſelinus ut multis de cauſis, quas nunc memorare neceſſarium non duco, conſilium mutaverat, reſcribit ei, *in ſummum periculum venire ipſum poſſe, ſi exercitum in Pannoniæ fines introducat, quum tanta, ac tam ſecunda totius Pannoniæ voluntas in Turcas, ac Abbaſſum, cui Regnum adjudicare Mehemetem velle Acmetes profeſſus ſit, reperiretur, ut nemo eſſet, qui veteres ab Germanis illatas ſibi injurias ulciſci nolit. Idcirco orare, ne, exercitum ducendo, occaſionem ſuſpicandi eis daret, Germanos ſui opprimendi cauſa veniſſe, quum impoſſibile eſſet, ne tum propter timorem maxime plebs laberetur*. Quanta ſollicitudine Suchius, hoc nuncio accepto, afficeretur, impoſſibile memoratu eſt: quoniam, quum negotium in eo conſtare intelligeret, ſi egregia eſſet Pannoniorum in Cæſarem voluntas, quos commeatus exercitus ſuſtinere poſſe ſperaverat, nunc hac ſpe lapſus Cæſari quoque operam dandi ſpem amiſerat. Tandem quum multos dies, noctesque per dubitationem conſumpſiſſet, præſtare viſum eſt, in

Pan-

Digitized by Google

Pannoniam contendendo, fortunam periclitari, quam tempus An.1664 terere. Ubi pervenit, Rotalium, quem ab Cæſare miſſum in Pannoniam docuimus, convenit, ac de omnibus rebus docet. Exitus vero orationis fuit, *ſummo eſſe in periculo rem, niſi Pannonios de ſupportando commeatu, hortaretur*. Rem ſuſcipiens Rotalius, familiarem ſuum ad Veſelinum mittit, qui eum moneret, *ne gravaretur locum medium utriuſque colloquio deligere. Velle de communi re dicere*. Utriuſque conſenſu Sigmodatii colloquia haberi conſtituitur, quod caſtellum ad quindecim paſſuum millia a Trenchino abeſt. Item certa dies colloquio dicitur. Quæ ubi venit, Veſelinus una cum multis ex Pannoniorum nobilibus, ac Rotalius, Suchiuſque eo conveniunt. Ante omnes Rotalius verba faciens, *tanti apud Veſelinum, cæteroſque Pannonios Cæſaris gratiam valere* oſtendit, *ut magnam habeat fiduciam ea obtinendi, quæ peteret, maxime quod ea ex Pannoniæ uſu eſſe arbitraretur. Nam, ſi frumentum præſtarent, præter gratiam, quam ab Cæſare eſſent inituri, incurſionum timor quoque tolleretur*. Ad hæc Veſelinus reſpondens, ei gratias agit, *quod optimum de ſe, ac aliis feciſſet judicium. Sed quoniam temere res aſperas aggredi dementiæ ſit, omnia, quæ huic rei officere poſſint, patefacere velle. Non negare ſe, prius ſibi curæ futurum pollicitum eſſe, Pannonios frumentum ſubminiſtraturos: & neminem, plus quam ſe, ex illorum perfidia dolorem capere, quum per ſe ſtare appareat, quominus id non præſtarent. Se tamen ipſos teſtes habere poſſe, nihil Cæſaris gloria habere carius: Pannonios vero Turcis cupere, & Germanos odiſſe; propterea monere, ne mediocribus copiis confiderent, quum ingens metus ſit, eos a Turcis contra ipſos auxilia eſſe accerſituros*. Hæc ſimul audita ſunt, collaudat Suchius Veſelinum, quod hæc eo tempore enunciaviſſet, quo conſilium ſibi capere poſſit. Obteſtatur tamen, *ſibi adſit, exercitumque, quibus rebus poſſet, juvet, quum ſibi curæ eſset, Germanos haudquaquam Pannonios injuria laceſſituros*. Quod ubi quoque obſtinate ſibi negari vidit, non dubitandum exiſtimavit, quin vel regni cupidine inductus, vel Turcarum pollicitationibus permotus vetera odiſſet, novaque exoptaret. Sed hoc ſibi diſſimulandum exiſtimavit, ne ille ſibi timens aperte reliquos ad furorem impelleret. At durum videbatur conſilium probare, quod vel re integra ſibi diſcedendum eſſe exiſtimabat, vel magnopere rei frumentariæ timendum, ſi in incepto perſtare vellet. His difficultatibus circumventus diu in incerto habuit, quid ageret; tandem dum in majoribus anguſtiis res eſſet, nonnulli Nitria ad eum legati veniunt, *ac Turcarum ſervitutem diutius Nitriæ perferre ſe non poſſe*

An. 1664 confirmant. *Si quid auxilii in ipſo non ſit, omnes durius ſibi prius conſulere conſtituiſſe, quam pejora ab Turcis perferre: orare, itineris ut laborem ſuſcipiat; ſeſe reliqua eſſe perfecturos, quum ubi primum oppido exercitum appropinquare cognoſcerent, locum introeundi ipſi eſſent daturi*. Turcas præterea, qui ibi in præſidio eſſent, vivos, vel necatos, ipſi tradere pollicentur. Hæ res multum Suchii animo addidere, ſic ut eis fidem præſtans rem effectam haberet. Jam ad Nitriam caſtra movere conſtituerat, tamen, ne temere rem ſuſcepiſſe dici poſſet, Præfectos omnes ad concilium convocat, atque docet, *quanto cum dedecore re infecta, quaſi ii eſſent, qui hoſtibus, ac inſidorum dictis terrerentur, domum reverterentur. Conſiderarent, tum magis eſſe laudandam eorum virtutem, quum tot, tantiſque objectis difficultatibus ne timoris quidem præbuiſſent opinionem. Non negare ſe, non expedita re frumentaria, inter medios hoſtes rem aggredi difficillimum eſſe. Experientia tamen compeririſſe, non raro animi magnitudinem res ex quam maxime difficillimis longe facillimas redegiſſe. Præterea ſecundum eventum omnino ſe expectare, propterea quod Nitrienſium ſtudium maximum in ſe eſſe cognoviſſet*. His auditis prope una voce ab omnibus reſponſum eſt, *ſeſe neque negotio deeſſe velle, neque animo deficere, neque ſe decere exiſtimare, quam in partem, aut quo conſilio ducerentur, cognoſcere. Juberet, quod libeat, ſe pro Ducis gloria nullum recuſare periculum paratos eſſe*. His conſtitutis rebus, quod res in celeritate poſita videbatur, ne aut voluntatum commutatio fieret, aut, oppidanorum conſilio patefacto, Turcæ ſibi proſpicerent, illico caſtra movit. Ubi Nitriam pervenit, quamvis tormenta in muris diſpoſita, & vigilias collocatas videret, tamen oppidanis confidens, ſubito exercitum muris ſuccedere, ac tribus ex partibus oppidum adoriri jubet. Sic iis promiſſa efficiendi facultatem dari exiſtimabat. At poſteaquam ſpe conficiendi negotii rem ad noctem perductam vidit, & nonnullos ex ſuis vulneribus affectos, ac alios interfectos animadvertit, minime dubitandum exiſtimans, quin ſui fallendi cauſa (ut poſtea recepto oppido comperit) veniſſent, receptui cani juſſit. Eo die quinquaginta ex Germanis deſiderati ſunt. Nocte ſub armis morantur, ne ex oppido Turcæ erumpentes ſe incautos opprimerent. Poſtridie caſtra munire, aggerem inſtituere, tormenta diſponere. Quæ quidem opera brevi proceſſerunt: nam non modo ejus diei eventu animo non ſe demiſerant milites, verum tantum ardorem oppidanorum perfidia fecerat, ut omnibus rationibus docere eos vellent, nihil ipſorum virtuti infectum eſſe. Ubi Turcæ, qui oppido

pido

pido præſidio erant, magnam muri partem procubuiſſe, item Suchium magno militum ſtudio uti animadverterunt, locum parum manu munitum defendere diffiſi, ſe in arcem recipiunt. Eodem omnes belli apparatus, ac frumentum conferunt, ſic animo parati, ut potius ad extremum vitæ periculum adire, quam ſeſe dedere vellent. Multum enim loci naturæ confidebant: nam, ut arx poſita in monte excelſo, atque ex una parte prærupto, ab altera tantum parte aditum habet, nullo negotio ex loco ſuperiore eos depellere poſſe ſperabant, etſi ne foſſa quidem muniebantur. At Suchius aggere excitato, minora bellica tormenta in arcis perniciem diſponit. Quæ poſteaquam minime nocere muris cognovit, ad proximorum oppidorum Præfectos ſcribit, ut majora bellica tormenta Nitriam mittentes glorię expugnatæ arcis velint eſſe participes. At quia tormentis urbes diſpoliare periculoſum viſum eſt, gerere ei morem noluerunt. Hac ſpe dejectus Suchius, tamen inceptum omittere turpe ducens, nuncium ad Lubcovitium Viennam mittit, qui idem ab eo peteret. Lubcovitius, ne ſuæ culpæ tribui poſſet, tantam opportunitatem eſſe corruptam, ſubito ea comparat. Non ante tamen Kalendas Maii, quod longe ab Nitria Vienna abeſt, in caſtra pervenere. Tum Suchius milites cohortatus, ne labore permoverentur, tribus ex partibus tumulos terreos, qui fere arcis altitudinem adæquarent, excitari jubet. Hos ſingulari ſtudio duorum dierum ſpatio milites perficiunt. Igitur, ſubito tormentis ibi collocatis, magnam muri partem evertit. Nihilo tamen ſecius obſeſſi ſæpius eruptione pugnabant, ac tantam celeritatem adhibebant, ut uno, eodemque tempore ignem operibus inferre, operi deſtinatos concidere, ac poſtea ſe in arcem recipere prope viderentur. Pluries hoc tentant, donec Suchius, cuniculo ad eam partem acto, quæ ad occidentem vergit, ſpem omnem in deditione ponere eos ſubegit, maxime quod ſubſidii ſpem evanuiſſe credebant, quum, inſpectantibus ipſis, milites, qui Neoſelio veniebant, fuſi, interfectique eſſent, & carri loco prædæ ab Germanis habiti. Quibus ſuppliciter agentibus eo libentius Suchius conceſſit, ut iiſdem conditionibus uterentur, quas ſuperiore anno Germanis ipſi dediſſent, quo certius auxilia brevi conventura ſciebat. His rebus conſtitutis, Turcæ alio ſe recipere Pannoniorum præſidio maturant. Nondum e conſpectu Suchii abierant, quum Pannonii inter eos Raitaſium quendam, qui plurimum divitiis poterat, eſſe cognoſcentes, conſilio inter ſe habito, eum interficiunt, atque pecuniam loco prædæ habent. Summum flagitium fieri Turcæ exclamant, ac fidem multis cum lacrymis lædi

An. 1664

An. 1664 queruntur. Ad clamorem cito convenit Suchius: qui cognito caſu facinoris authores ſecuri percuti jubens, Turcas conſolatur, ac, ut eis pecunia reſtitueretur, eniſus eſt. Item Pannonios in oppidum ducens, Germanorum cohortem una cum Turcis mittit, Pannoniis pœnæ loco illud injunxit onus, ut opera ab ſe contra oppidum, arcemque excitata ſoli everterent, munitioneſque reficerent. Oppido præterea Spancavum cohortis Præfectum præficit. His rebus expeditis, etiam ſollicitudine afficiebatur, quod ſatis bellici apparatus, minus frumenti, quam crediderat, in arce repoſitum invenit. Timebat enim, ne hujus rei inopia in Leventium oppidum recuperandum animum intendere poſſet. Id oppidum ea maxime ratione occupare exoptabat, quod Turcas, qui Neoſelio præſidio eſſent, ab aliis ſecludere commodiſſimum judicabat. Dum in incerto haberet, quid conſilii caperet, nunciatur ei, magnas peditatus, equitatuſque copias contra ſe venire. Qua re cognita, magis, magiſque dubitatione æſtuat: nam, utrum contra hoſtes proficiſceretur, an caſtris munitis eorum expectaret adventum non conſtabat. Jam Leventium oppugnare periculoſum, & in Germaniam ſe recipere ignominioſum exiſtimabat. Igitur quum militum vocibus carperetur, quod beneficio fortunæ ad recipiendum tam opportunum oppidum non uteretur, docet, *primo rei frumentariæ inopia, deinde adventantis exercitus fama permotum ibi conſtitiſſe. Perſuaderi ſibi, idem conſilium ipſos quoque inituros fuiſſe, quando, exercitus quantus eſſet, aut quo conſilio foret, non conſtaret. Timere, ne, dum ipſi tutiora potius, quam fortiora conſilia probent, prælium inire abnuant.* Ubi omnes prælio dimicare paratos vidit, loco prope Nitriam opportuno caſtra ponit, atque communit, &, re frumentaria proviſa, hoſtium expectat adventum. At poſteaquam complures dies eo loco ſe tenuit, nec de hoſtium adventu fama quidquam perferebatur, in eam ſpem venit, Turcas exercitum oſtentaſſe, ut ſibi timorem iniicerent. Propterea, priuſquam re frumentaria laboraret, Leventium petere, ibique reliquum conſilii explere conſtituit. Mane quum agmen in portis eſſet, complures ex Pannoniis, in iis Joannellus, oratum veniunt, *ut, dum hoſtes abſint, Leventium per vim expugnare velit, ne Turcarum excurſionibus, qui ibi in præſidio ſint, vexentur. Se frumentum, reliquaſque res ſubminiſtraturos.* Hoc opportune accidiſſe gaviſus Suchius, rem ſuſcepturum pollicetur. Ipſos vero, ut præſtarent, quod promiſiſſent, monet. Itaque tum iter differre turpe ratus, octo millia paſſuum ex eo loco procedit. Poſtero die quingentos equites explorandi gratia præmittit; ipſe prope flumen Granum ſubſi-

ſubſiſtit. De tertia vigilia præmiſſi equites revertuntur, ac fama comperiſſe nunciant, Turcas trium dierum iter ab ſe abeſſe. Hos poſteaquam increpavit Suchius, quod levibus auditionibus permoti alia explorare intermiſiſſent, eodem, unde redierant, mittit. In equites ira ardentes mane nondum luce certa antecurſores hoſtium incidunt. Ex quibus quum quærerent Germani, quid veniſſent? ſe ſpeculandi cauſa agmen anteceſſiſſe confirmant. His auditis, tanta captivos ad Suchium perducendi eos cupiditas cœpit, ut reliqua interrogare prætermitterent. Sic, quum captivi viginti Turcarum millia parum abeſſe renunciarent, haud vana equites attuliſſe apparuit. His authoribus credens Suchius, magnopere ſibi præcavendum exiſtimat, ne locis apertis exercitum duceret. Nam in ſummum periculum rem deduci exiſtimabat, niſi anguſtiis exercitum contineret, atque de pugna deſperantes Turcas ad iniquam pugnandi rationem deſcendere cogeret. Hoc ut perficiat conſilium, vaſa militari more conclamari jubet. Quod dum fit, tanta tempeſtas cooritur, ut profectionis conſilium in poſterum transferre cogeretur. Nocte in concilio Præfecti omnes *unam ſalutis ſpem in eo poſitam* demonſtrant, *ſi, commeatu præparato, loci opportunitate defendere ſe poſſent*. Pannonii vero, quos nuper in caſtra veniſſe demonſtravimus, conſilium non probare. *Inveriſimile enim ſibi videri* dicebant, *Acmetem tot hominum millia contra ſe mittere voluiſſe, quum, ne Caniſia amittatur, ingens metus ſit*. At Suchius *Præfectorum conſilium ſe probare* profitetur, *propterea quod illos eo reſpicere intelligeret, quo ante omnia reſpicere Dux debeat. Seque ſuorum paucitatem loci æquitate quamprimum adjuvare velle, ut tempus ad conferendum ex caſtellis frumentum in caſtra relinquatur. Poſtea, fuſis hoſtibus, reliqua confectarum*. Itaque prima luce impedimentis, tormentiſque præmiſſis, ipſe multo jam die cum exercitu ſubſequitur, &, confecto juſto itinere, in planitie ſubſiſtit. Poſtridie inter montes ſe recipit, & locum nactus egregie natura munitum, ibi caſtra ponit. Dum milites caſtra muniebant, nonnullos ex Præfectis circummittit, qui gentes, quæ montes incolunt, de ſupportando commeatu hortarentur. Quorum diligentia factum eſt, ut, conquiſitis undique jumentis, tantum frumenti comportaretur, ut ſatis eſſet ad famem diu tolerandam. Joannellus quoque frumenti magnum numerum mittens, ſummam eſſe ejus in Cæſarem voluntatem demonſtravit. His rebus expeditis, Bectaſius Temeſuariæ, & Cutislir Agriæ Præfecti, qui exercitui præerant, ad ſex Turcarum millia Suchii caſtris ſubiiciunt. Facile enim eos ad pugnam elicere poſſe ſperabant, qui exiguas adeſſe An. 1664

Digitized by Google

An.1664 adeſſe copias crederent. At Germani caſtris ſe tenent. Quod ubi viderunt Turcæ, ad caſtra adorienda iri oportere exclamant. Tantam alacritatem reprimere Ducibus optimum viſum eſt, quia nunquam caſtra & natura, & manu munita expugnari poſſe cognoſcebant. Loci hæc erat natura. Planities, ubi caſtra locata erant, præruptis undique montibus continebatur, atque tantum in latitudinem patebat, quantum inſtructa acies explere poterat. Ab ea parte, quæ ad orientem vergit, ab montis radicibus mediocri acclivitate collis naſcebatur, ita ut aditus veluti per convallem eſſet. Suchius tamen timoris præbuit opinionem, quoad Turcæ de pugna deſperantes ad reliquos ſe recipere cœperunt. Tum enim equitatum, qui noviſſimos carperet, immittit. Quod ſimulatque fieri Turcæ animadverterunt, ac nonnullos ex ſuis interfici cognoverunt, ſigna convertunt, ut univerſi in eos impetum faciant. Tum equites, ut juſſi ab Suchio erant, omnibus, præter unum, incolumibus, qui in hoſtium poteſtatem venit, ſeſe recipiunt. Ex quo quum cognoviſſent, ad quingentos Pannonios pabulatum petiviſſe, ad eos opprimendos contendunt. Quibus quum facile eſſet ex locis ſuperioribus in planitiem proſpicere, cognito hoſtium conſilio, ad ſalutem diverſo itinere contendunt. Turcæ eodem die non longo intervallo ab Suchii caſtris caſtra ponunt. Quamobrem, ut locum tutum ab hoſtium impetu Suchius redderet, adverſum collem occupat, ac non levi præſidio teneri jubet. At mutat poſtea conſilium multis de cauſis: propterea, communicato profectionis conſilio cum Præfectis, de media nocte impedimenta, ac majora bellica tormenta, item peditatum ex novis delectibus confectum, compluresque equitum turmas, ad hoc metatores, qui caſtris locum deligerent, atque præmunire inſtituerent, præmittit, ipſe cum reliquis prima luce ſubſequitur. Magnumque haberi ſilentium jubet, quia plurimi intereſſe arbitrabatur, rem tegere, ne ad noviſſimum agmen demorandum hoſtium Duces equitatum mittere poſſent. Turcæ ubi multo jam die Germanos caſtra moviſſe cognoverunt, id frumenti, pabulique inopia factum exiſtimantes, eos ſubſequi cupiebant. Sed quum poſtea e conſpectu agmen abiiſſe cognoſcerent, multum proceſſiſſe rati ſe ſuis locis tenent. Ad hoc conſilium cum aliis cauſis hæc præcipue ratio eos deduxit, quod de re frumentaria non erat proviſum. Præterea hac ratione duas res conſequi poſſe confidebant, quod ſuos itineris labore non fatigarent, quod ſua cunctatione formidinem hoſtium minuerent, quin recto itinere domum contenderent: & ſic victoriæ occaſionem non amittebant.

bant. At Suchius, juſto ejus diei itinere confecto, conſtitit. Mane ut per exploratores cognoverat, neminem ex hoſtibus viſum eſſe, diem exercitui ad quietem dat, equites pabulatum emittit; eos tamen longius progredi vetuit. Sub meridiem bellica tormenta verſus Sanctam Crucem duci, ibique locum egregie natura munitum magnis operibus firmari jubet. Poſtero die eo exercitum ducit. Turcæ ad inſequendum parati, ubi primum rem frumentariam expediverunt, exploratoribus antecedentibus, ne in inſidias præcipitarent, eodem itinere ad Suchium contendunt, ac juxta eum caſtra ponunt. Mane inſtructa acie, æquum in locum deſcendunt, ut, ſi prælium Germani committere vellent, poteſtas non deeſſet. Ubi eos ſuis locis ſe tenere, & ſine ulla ſpe munitiſſima natura, & opere caſtra oppugnare dementiæ eſſe cognoverunt, quotidie equeſtribus præliis, quid ſui, quid Germani auderent, periclitabantur. Locus, quem caſtris Germani delegerant, ita natus erat, ut non magna planities inter duos ex omnibus excelſiſſimos montes eſſet, duoſque haberet aditus. Ab ea parte, quæ ad meridiem ſpectat, quia facilis erat, locus duplici foſſa, valloque muniebatur. Ab illa parte, quę ad ſeptentrionem pertinet, loca erant prærupta, qua vix ſingularis eques ire poterat. Hac equitatum tuto pabulatum emiſit Suchius, donec Turcæ, cognita re, magno circuitu trans montes equitatum, quo plurimum valebant, contra pabulatores miſerunt. Suchius ergo ne quotidie magno cum periculo pugnaretur, trans flumen Granum caſtra locare conſtituit. Nam, quum ea loca integra eſſent, & commode pabulari, & ſine periculo ſinguli commeari poterant. Accedebat, quod, ſi Turcæ eo venire vellent, in tranſeundo occupatos nullo negotio opprimere poſſet. Sed magna afficiebatur difficultate, quemadmodum conſilium, antequam hoſtes quidquam ſentire poſſent, perficeret. Nam, ne in dubium rem devocaret, timebat, ſi Turcæ, immiſſo equitatu, noviſſimum adorirentur agmen. Hæc ſecum volventi præſtare viſum eſt, fortunam periclitari, quam rerum omnium inopia premi. In Grano flumine duo pontes erant. Hac tranſire non difficile exiſtimabat, ſi in locis ſuperioribus certum militum numerum collocaret, qui premere noviſſimum agmen cupientibus Turcis reſiſterent. Hoc inito conſilio, mille equites Chelleri cuidam, totidem Zeiſeni cohortis Præfecto attribuit. Illum locum ſuperiorem prope proximum pontem capere; hunc locum inter pontes, non procul fluento, quod in Granum influit, obtinere jubet. Utrique vero mandat, ut extremos tegerent, Turcaſque repellerent. His conſtitutis rebus, Suchius copias ex caſtris educ- An.1664

du-

An. 1664 ducit, & albente cœlo triplicem aciem ducere incipit. Jamque primum agmen tranſierat, ac medium pontibus appropinquabat, quum Turcæ Germanos ex eorum manibus ſe eripuiſſe arbitrati, ſubito quinque equitum millia, ac peditum millia terna, quibus Cutislir præerat, mittunt, ut noviſſimos ſaltem male habeant. Cutislir viſa opportunitate loci, quem Cheller obtinebat, ad eum occupandum mille equites mittit, ipſe carpere extremum agmen cœpit. Sed ubi ſuos a Chellere in fugam conjectos vidit, eo cum maxima copiarum parte contendit; atque in loco occupando magna vi utitur, propterea quod in ea re victoriam conſtare judicabat, quum Suchium ſuis auxilium laturum arbitraretur, & ſic omnibus copiis acie dimicandi poteſtatem fore confideret. Neque ſpes Cutislirem feſellit, quin Suchius charitate ſuorum prælio rem committeret: ſolum, quod erat ei magis optandum, ſpe victoriæ labitur, ſimulatque Suchius ægre jam ſuſtinenti Chelleri quatuor veteranorum millia ſubſidio duxit. Nam, ut animo propoſuerant, potius per virtutem in acie interfici, quam victoriam non adipiſci, tanta alacritate ſe in Turcas ejecerunt, ut hi unam ſalutis ſpem in fuga conſiſtere arbitrati ſubito terga verterent. Eos tamen conſectati Germani, magnam partem eorum interficiunt. Reliqui quum ad flumen perveniſſent, tantus terror eis incidit, ut in flumen ſe præcipitarent. Sic quos reliquos ex cæde fortuna fecerat, eos prope omnes flumen abſumpſit. Hæc omnia tanta celeritate ſunt acta, ut Bectaſio Temeſuariæ Præfecto tempus ad ſuis ſubveniendum defuerit, etſi, ſuorum terrore animadverſo, ſubito reliquas copias ducere cœperat. Sed ut eos trucidari paſſim vidit, paululum ſubſiſtit, ut, qui animus militibus eſſet, cognoſceret. Quos ubi brevi oratione ad virtutem accendit, & delendæ maculæ cupiditate ardere animadvertit, ſarcire poſſe detrimentum ſperans, in Germanos impetum facere decernit. Germani docti ab Suchio, qui hoc fore providerat, negotii conficiendi ſtudio parati in armis erant. Igitur nihil dubitantes equites, ignavos, qui ſupereſſent, vincere, non expectant, dum ab Turcis pugna incipiat, ſed confertis turmis in medios erumpunt hoſtes. Hæc audacia tantum reliquorum animis addidit, ut, quum unuſquiſque ſuam probare operam ſtuderet, Turcarum ſigna turbarentur. Hæc quum ita eſſent, atque tantæ alacritatis miraculum Turcas obſtupefactos teneret, tamen nec vinci pertinacia cœpta eſt, propterea quod ad extremum octo Germanorum millia defeſſa Turcarum millibus duodecim recentibus paria non fore ſperarent. Omnes enim ſic animo erant parati, ut trucidari, quam initium fugæ facere

mal-

mallent. Quæ audacia tutior his fuit, quam primis pedum veloci- An.1664
tas: nam, ubi prælium nox diremit, ad ſalutem contenderunt. Germani vero ibi noctem confecerunt: qui impedimentis, bellicisque tormentis potiti eo magis lætantur, quod ſolum tercentorum morte victoria conſtaviſſet, quum ad quatuor Turcarum millia in acie, & in flumine periiſſent, atque reliquorum magna pars domum rediiſſet, adeo ut ex viginti millibus ad quinque millia redactis vix facultas ſe ab agreſtium impetu tutandi fuerit. Et ita cuncti ſive eorum fortunam, ſive ignaviam deſpiciebant, ut milites, qui Cernovitium caſtellum vix muris munitum obtinebant, quamvis quinquaginta numero eſſent, eos conſectari auderent. Ob ea Suchius ſuum laudibus effert conſilium, ac victoriam litteris concelebrat. Mittit præterea ad Cæſarem Præfectum, qui non modo de parta victoria eum faceret certiorem, verum etiam Leventium oppugnare ſibi in animo eſſe diceret. Quo nuncio accepto, Cæſar, omneſque, quod rerum commutationem fieri poſſe confidebant, lætitia afficiuntur.

Finis Libri Secundi.

Digitized by Google

DE BELLO PANNONICO

Liber Tertius.

SUCHII victoriæ non diutina lætitia Germanis relicta eſt, quum paulo poſt, ut ſupra diximus, ſuos Caniſiæ oppugnationem dimiſiſſe, ac Acmetem propugnaculum ab Serino excitatum expugnare velle cognoviſſent. Viennam enim Præfectus quidam ab Strotio miſſus conſulendi Cæſaris cauſa venerat, utrum defendi propugnaculum, an incendi placeret, ne uſui hoſtibus eſſet. Qui quum conſilium omnium, quos idoneos, ac ſibi fidos arbitrabatur habuiſſet, ea potiſſimum ratione, quoad poſſet, propugnaculum defendendum ſtatuit, ut majorem æſtatis partem ibi conſumere Turcas cogeret, qui poſtea, diminuto militum numero, majora aggredi non poſſent. Utque meliore conſilio res adminiſtraretur, placuit ei bello Montecucculum præficere. Cui, uti copias, quas Altemburgi coactas haberet, ad Muram ducat, præcipit. Eodem ut Pannoniorum copias mitteret, Veſelino imperat. Acceptis litteris, nihil ſibi Montecucculus, ut rem poſcere intelligebat, ad celeritatem reliqui fecit. Reſcribit tamen Cæſari, *quanto cum periculo rem eſſet ſuſcepturus, quod parum opere, ac natura munitum locum defendendi poteſtatem fore vix eſſet credendum. Se tamen omnia ad ejus præſcriptum facere paratum eſſe*. Providerat Montecucculus, ut uſus belli peritiſſimus erat, ma-

An. 1664

An. 1664 magnas ſibi eſſe ferendas difficultates: at ubi pervenit, majora patienda coram perſpicit: nam præter rerum omnium inopiam, qua exercitus premebatur, quum Turcis rerum omnium facultatem Draus, ac Mura flumina præberent, etiam illa res erat impedimento, quominus Acmetis conſiliis officeret, quod militum partem inopia, ac labor abſumpſiſſet, partem morbi vis abſumeret. Locis enim paluſtribus tandiu conſediſſe, omnes prope ad rem gerendam inutiles effecerat. Huc accedebat, quod Duces plus inter ſe irarum, quam adverſus hoſtem animorum habere comperiebat. In tanta rerum iniquitate quid conſilii caperet, non conſtabat. Nam copias flumen tranſducere, & Turcis pugnæ copiam facere, quum diſpar viribus eſſet, dementiæ videbatur: porro propugnaculum defendere, ac hoſtes tranſitu prohibere diffidebat. Hac de cauſa non parum miratur, Acmetem id conſecutum non eſſe, quum in eam belli rationem primo inſtitiſſet. Nam ſimulatque Caniſiam ingreſſus exercitum ex labore, obſeſſos ex inopia refecit, prope flumen caſtra fecit, & locis editioribus occupatis, atque ibi tormentis collocatis, Germanos, qui ſecundum flumen parati in armis erant, ex eo loco digredi impulit: qui, quod ſatis militum viſum eſt, ad riparum cuſtodiam reliquerunt. Conati ſunt ea nocte Turcæ inopinantes, ac ſomno oppreſſos cuſtodes fallere, & celeriter, priuſquam reliqui ſentire poſſent, copias flumen traducere, ſed, qui ad flumen excubabant, ex fremitu equorum conſilium cognoſcentes, rem ad Serinum perferunt. Serinus ſubito arma capere, ac ad omnem caſum ſe parare milites jubet. At, ut, nocte proſpectu adempto, certi quid eſſet, aut qui hoſtium numerus veniſſet, conſtare non poterat, ingens metus cunctos invaſerat. Sed Turcæ ubi ne cuſtodiæ quidem diuturnitatem negligentiores Germanos effeciſſe animadverterunt, qui occaſionis, non prælii rem eſſe ſciebant, nullam ad ſe recipiendum intulerunt moram. Hoc caſu admoniti Germani, firmiore præſidio ripas tenendas decernunt; quoniam in eo, ſi tranſitu hoſtem prohiberent, Germaniæ ſalutem conſiſtere non ignorabant. Ob eam rem, munitionibus inſtitutis, crebras ibi ſtationes diſponunt. Tum Turcæ millibus paſſuum duobus ab Germanorum caſtris caſtra faciunt. Ibi triduum moratus Acmetes, quum nihil profeciſſet, conandum ſibi aliquid de propugnaculi oppugnatione exiſtimat. Itaque de prima vigilia cohortem ad locum ſuperiorem occupandum, ex inferiore parte ſylveſtre, præmittit. Ibi tormenta collocat, ut inſulam, quam Draus, Muraque flumina efficiebant, quæ non procul propugnaculo erat, poſtero die occupare ſumma ope

Digitized by Google

ope eniteretur. Hoc enim occupato loco, propugnaculo aut per vim, aut per deditionem potiri nihil eſſe negotii exiſtimabat. Hoc conſilium, quia erat Germanis incognitum, Turcis, qui ad numerum tercentorum venerant, flumen ſine contentione tranſire, ac locum, quem Strotius obtinebat, occupare ſucceſſit, adeo ut, ſi alii tranſire flumen auſi eſſent, dum hi inopinantes Germanos occidunt, haud dubie rem obtinuiſſent. Sed dum ſoli primo magno impetu obvios interficiunt, deinde defeſſi non eandem præſtant alacritatem, ſpatium perterritis ad ſe ex timore recipiendos, & ad hoſtium paucitatem cognoſcendam datum eſt; maxime quod Strotius, ut creſceret ſuis animus, & apud primos gerebat, & ſummum flagitium fore exclamabat, ſi penes ignavos Turcas victoria remaneret. Cujus exemplo etiam, non vocibus ſolum accenſi milites, tanta vi in eos feruntur, ut ſubito ad unum omnes trucidarent. Dum ergo cuncti lætantur, quod non feræ temerariis veniſſent pœnæ, Strotii mortis ſenſus ad eos pervenit. Qui eo majore mœſtitia afficiuntur, quo leviore in prælio ſuas exercere opes fortuna voluiſſet, ita ut Turcæ non inulti amiſiſſe vitam viderentur, quum virum magni animi, ac conſilii interfeciſſent. Mira præterea huic morum elegantia, ut Italum decebat, ac tanta humanitas inerat, ut, quum cariſſimus omnibus eſſet, omnia, quæ petebat, adipiſceretur. Ob hanc rem, dum Cæſar quandoque eum ad Reges miſit, ipſum ejus prudentiæ non pœnituit. Ex hoc prælio quum Acmeti curam omnem in inſulam occupandam intentam eſſe Serinus cognoviſſet, locum maximis munitionibus firmandum curat. Quod quum animadvertiſſet Acmetes, rem majoris nunc contentionis dimittendam exiſtimavit, ubi propugnaculum non multum natura, vel operibus munitum expugnari poſſe confideret. Mons erat leniter declivis, qui pluribus continebatur collibus. Ejus radices flumen parum ſublevabat. Propugnaculum ergo ita in declivitate hujus montis poſitum erat, ut montis pars major impenderet, & colles, quibus erat circumventum, ejus altitudinem adæquarent. Non muris muniebatur; ſed terra coagmentata, quam longuriis, firmiſque arborum truncis firmaverant, muri ſpeciem præbebat. Inferioris partis ea erat munitionum ratio, ut terra in altitudinem muri congeſta colles duos, qui in ipſa acclivitate naſcebantur, complecteretur. In hujus munitionis medio, quam forcipem nominant, in eundem modum congeſta terra, ac in quincuncem diſpoſita eminebat. Hoc opus rivellinum appellant. Dextra vero, & ſiniſtra turres erant terra itidem, ac ligno firmatæ; quæ in eum modum elabo-

An. 1664

ra-

An.1664 ratæ, ut recentiores ſolent, baſtiones appellantur. Tandem foſſa has munitiones cingebat; cujus internum labrum columellis directis in longitudinem in terra collocatis, ac pluribus locis, ne revelli poſſent, revinctis muniebatur. Spatium vero exiguum his munitionibus complexus erat Serinus. Propugnaculo Comes Leslia pæerat. Hic Turcarum vim ab munitionibus prohibendi ſibi facultatem non eſſe confirmans, Serinum impulit, ut Avagherio nobili ex Gallia cuidam, qui poſſe, & audere ſe Turcas repellere profeſſus erat, id negotii daret. Avagherius duos dies Turcarum impetus fortiter ſuſtinuit: ſed ubi poſtea loci naturam, ac munitionum vitia coram perſpexit, de defenſione deſperans, *Serino optimum eſſe* exponit, *nocte propugnaculum incendere, ne, eo amiſſo, rei militaris decus amitteretur. Se brevi aliud propugnaculum æquiore in loco inſtituturum, ac majoribus munitionibus firmaturum*. Quæ poſteaquam ab eo libenter non audiri intellexit, milites de periculo, quod impenderet, docere conſtituit. Qui quum in magnum perveniſſent timorem, ne inulti trucidarentur, ægerrime, Serino imperante, ſtatis diebus eo contendebant. Quod ubi cognovit Serinus, miratus quærit ex eis cauſam. Illi conſtanter omnes *Avagherii vocibus permotos ſe timere reſpondent, ne, propugnaculo expugnato, per cruciatum ab Turcis interficerentur*. His rebus cognitis, jam alium propugnaculo præficere ſtatuerat Serinus, quum Montecucculus in caſtra pervenit. Quem ſubito convenit Avagherius, *ac non ſui timoris, ſed publici boni cauſa propugnaculum incendendum ſe cenſere* docet. *Ejus rei teſtimonium fore, quod ſuam ſalutem in dubium devocare non dubitaret, ſi in incepto perſtandum exiſtimaret*. Montecucculus etſi multis de cauſis locum dimitti optimum eſſe perſpiciebat, tamen quum quod Cæſari morem gerere exoptabat, tum quia omnibus malis illud ſubſidium ſuccurrere ſciebat, quominus illico propugnaculum amitteretur, quod ponte, quem caſtris conjunctum habebat, ſingulis quibuſque diebus recentes præſidii cauſa eo mittebat, non omittendum inceptum decrevit. His dictis, Avagherius auxiliis, quæ per pontem ſubmitterentur, confidens, in propugnaculum ſe confert, & eruptionem, Turcarum ut diſturbaret opera, facere milites jubet. Qui tantam virtutem præſtiterunt, ut, quum locorum anguſtiis impedirentur, tamen, compluribus interfectis, ſe receperunt. Poſtridie quoque eadem ratione magnum Turcis detrimentum intulerunt. Avagherio ergo, quum feliciter eruptiones expertus eſſet, in eam rationem belli inſiſtere commodiſſimum videbatur. Ob eam rem quotidie, quid quiſque vir-

virtute poſſet,periclitatus eſt,donec,dum ſuos cohortaretur,occiſus eſt. Hujus morte lætati ſunt Turcæ, magis vero Ciſſocarſii Centurionis fortiſſimi viri caſu, qui quum ex propugnaculo ſe ejeciſſet, ac digna ſe auderet, interfectus eſt. Hujus virtutem ſic probabat Serinus, ut lacrymas tum tenere non potuiſſet. Acmetes igitur quum opera ſæpius diſturbari intelligeret, eruptiones comprimere exoptans, pontis interrumpendi conſilium capit. Sed vix eum interſciſſum animadvertit, quum alium ab Montecucculo opportuniore in loco inſtitutum vidit. Conatur & hunc interrumpere, ſed quia ita aberat, ut tormentis adigi non poſſet, neceſſario conatu deſtitit, & omni contentione ad perficienda opera utitur, quum, iis perfectis, negotium ſubito ſe confecturum ſperaret. At ejus rei impediendæ cauſa Taſſus, qui in Avagherii locum ſucceſſerat, tria veteranorum millia nondum certa luce contra hoſtes ducit: & inopinantes Turcas nactus, ne ſpatium arma capiendi eis daret, celeritatem adhibere milites jubet. Quo præcepto diligentiſſime ab eis obſervato, huc res deducta eſt, ut circiter quingenti ex Turcis interficerentur, priuſquam, quid accidiſſet, cognoviſſent. Sed quum poſtea ſpe prædæ, etſi revocati ab Taſſo, ultra progreſſi eſſent, amplius tercenti cadunt. Inter hæc Spaar cum hominum millibus quatuordecim, ac Nadaſtius cum ſenis Pannoniorum millibus ad Montecucculum perveniunt. Qui ulterioribus regionibus proſpicere cupiens, firmiore præſidio, certas cuique partes ad cuſtodiam attribuendo, ripas tueri parat. Hujus rei magna cura Montecucculo, at major retinendi propugnaculi erat; & quum haud procul eſſe intelligeret, quin amitteretur, quod jam opera plene perfecta eſſent, ac tormenta plurimum munitionibus nocuiſſent, extrema tentare ſtatuerat. Itaque, rebus ad incendium excitandum aptis præparatis, Taſſo imperat, ut poſtridie cum maxima præſidii parte ad incendenda Turcarum opera contendat. Dum res diſtrahitur pluviarum cauſa, Decurio Germanus cum equitibus ſeptem ad Turcas tranſit, & eos quum de hac re, tum de munitionum vitiia docet. Quibus rebus cognitis, ſubito omnes in armis eſſe Acmetes juſſit. Turcarum majori diligentia animadverſa, Taſſus nihil dubitandum exiſtimavit, quin ab Decurione omnia Acmeti eſſent enunciata: propterea omnia ad Montecucculum perfert. Montecucculus non tantum ex ea re, quod eruptioni locum non eſſe videbat, quantum ex eo dolorem cœpit, quod, ubi minime firmas munitiones eſſe Turcæ cognoviſſent, ea ad propugnaculum adoriendum venturos ſuſpicabatur. Quod ſi fieret, in magnum diſcrimen venturum præſidium An.1664

non

An.1664 non ignorabat. His omnibus de cauſis incendere propugnaculum ei placebat. Qui ubi exiit rumor, Nicolaus Serinus Montecucculum convenit, ac palam de eo queritur, *quod locum, in quo Germaniæ ſalus poſita ſit, defendere negligat. Se, quod nullum recuſare pro publica quiete periculum conſtituiſſet, ad utramque rem paratum offerre, ſive ipſum in propugnaculum mittat, ut ſua vitæ periculo docere Turcas, docere Germanos poſſit, magnum defenſionis momentum animi magnitudinem eſſe, ſive quindecim hominum millia ſibi adjungat, ut ad caſtra hoſtium contendens hebetes Turcas occidione occidat*. Ad hæc Montecucculo reſpondere viſum eſt, *non oportere ſibi, quid agendum eſſet, præſcribi. Quumque ſibi Cæſar totius belli ſummam permiſiſſet, abs ſe, ſi quid gravius accideret, eum rationem repoſcere debere*. Serinus magnam ſibi irrogari injuriam credens, quum pro ſua egregia in Cæſarem voluntate ne mortem quidem ſubire poſſet, *ſe diſceſſurum* profitetur, *ne tot ſuos labores male cadere videret*. His dictis domum repetit. Montecucculus tamen, ne ſui incuſandi ei occaſio eſſet, concilio diem conſtituit. Suffragiis re permiſſa, *turpiſſimum eſſe nonnulli* dicebant, *optime de Cæſare meritos milites morti obiicere; ideoque præſidium deducendum, propugnaculumque incendendum* cenſebant. Pars, *quoniam rem ſuſcepiſſent, ut bellum in hyemem ducerent, adnitendum* exiſtimabant. Pars *nocte exercitum flumen tranſducere, ac acie dimicandi Turcis poteſtatem facere optimum* judicabant. *Hoc vero nulla ratione fieri* plerique demonſtrant, *quod, quum altiſſima, ac omni ex parte prærupta ripa eſſet, quam Turcæ teneant, facile ipſis eſſet magno cum detrimento ſe repellere*. Hanc ſententiam omnes probant; cæterum, utrum locum dimitterent, an defenderent, nihil convenit. Quod ubi cognovit Montecucculus, conſilium capit propugnaculum tutari, quoad Cæſar opportunum eſſe judicaret. Igitur neceſſarium ducens Cæſarem de omnibus facere certiorem, Præfectum ad eum illico proficiſci jubet, ut ſubito ejus mandata ad ſe perferri poſſent. Terrebat enim Montecucculum, tantam negotii conficiendi cupiditatem Acmeti innatam eſſe, quia ampliſſima munera ab Mehemete Rege ei miſſa erant, ut ne momentum quidem temporis tranſiret, quin novi aliquid auderet. At Germani fortiter Turcarum impetus ſuſtinebant, adeo ut, quum turrim ad ſiniſtram ſitam occupare tentarent, ad octingentis amiſſis repellerentur. Poſtero die haudquaquam ſuperioris diei eventu perterritus Acmetes, Germano Decurione duce uſus (quem ad ipſum perfugiſſe dictum eſt) majore conatu foſſam aggere complere, atque iter cratibus expedire ab ea parte, quam minime firmam eſſe cogno-

gno-

gnoverat. Quod quum vidiſſent milites, qui in præſidio erant, animo ſe demittunt, quia munitionibus confidere non poſſe ſciebant. Tamen a Taſſo docti unam ſalutis ſpem in virtute conſiſtere, ita pugnant, ut ingentem ederent cladem. Hoc die ex Turcis quingenti deſiderati ſunt. Hic prætermittendum nulla ratione videtur, Decurionem cum perfugis perfidiæ pœnas dediſſe, quum ad unum omnes concidiſſent. Pari item gloriæ eventu eodem tempore ab Germanis ad flumen pugnatum eſt: nam credens Acmetes, Germanos, qui ripas cuſtodiebant, ſuorum pugnæ intentos nihil eſſe negotii opprimere, ut flumen tranſirent, millibus Turcarum quinque imperat. Sed, ut apud Germanos nulla erat negligentia orta, Turcæ ſubito repulſi ſunt. Hoc die non minori ſollicitudine Montecucculus, quam Acmetes afficitur: nam etſi ſuos fortiſſimorum hominum opera edere paratos videbat, tamen, quum rem ad extremum perductam caſum videret, ipſis ſuccumbendum eſſe non ignorabat, maxime ſi cuniculi, quos ad hoſtium opera egerat, & operibus, & militibus non nocerent. Quamobrem ubi ignis vi parum detrimenti hoſtibus illatum cognovit, de defenſione deſperans, ponte in propugnaculum ſe confert. Ibi rem ita in anguſto eſſe coram perſpiciens, ut præſidii audaciam irritam eſſe provideret, poſtridie incendendum propugnaculum decernit, eo magis, quod Cæſar hanc poteſtatem ſibi permiſerat. Diſcedens igitur Taſſo præcipit, ut primo bellica tormenta in caſtra conferenda curet, deinde munitionibus ignem inferat, ac præſidium ponte in caſtra ducat. Taſſus quum ut Ducis dicto audiens eſſet, tum ut militum ſaluti conſuleret, illico bellica tormenta in caſtra mittere cœpit. Quod ſimulatque per exploratores ad Acmetem eſt allatum, de Germanorum conſilio conjectura judicans, milites orat, *ne ut veniſſent incolumes, ita & diſcedere Germanos pati vellent. Magnam ignominiam ad omnes eſſe perventuram, ſi, quum ventum ad finem eſſet, hoſtes e manibus dimitterent; & incendium hauriret, quod tot laboribus ſuam facere exoptaviſſent.* His plura ad ſpem præmiorum addens, effecit, ut militibus magnum negotii conficiendi ſtudium accederet: nam, ſubito ſarmentis, virgultiſque collectis, quidam foſſas complere, nonnulli munitiones traſcendere, plerique eminus miſſilibus pugnare, cuncti pro viribus eniti, ut penes ſe victoria ſit. Ita ſive Turcis animus creviſſet, ſive Germani de priſtina virtute remiſiſſent, gaudet Acmetes, quod foſſam ſui traſcendiſſent. Taſſo etſi inopinata res acciderat, tamen ſe non deſerit, immo tormenta contra eos, qui turribus ſucceſſerant, collocans, tantum profecit, ut vix ex Prætorianis ducentis, qui eo venerant, quinquaginta An. 1664

An.1664 ginta ſupereſſent. Hi tamen aliorum morte, contra, atque ſolet, ad iram accenſi terreum tumulum aſcendere conantur. Re vera, quum unus ab aliis ſublevatus in ſummum evaſiſſet, atque alios exceptaret, complures intravere. Qui omnes tanto impetu in tyrones, quibus is locus obvenerat, diſtrictis gladiis feruntur, ut ex illis pugnandi cauſa nemo conſiſteret. Horum terrore animadverſo, Taſſus centum veteranos eis ſubmittit. Hi etſi fugientes firmare non potuerunt, tamen ſoli prælium magno animo injerant, nec procul erat, quin eos reiicerent, niſi alii ab Acmete miſſi defeſſis Turcis adfuiſſent. Dum hic fortiter utrinque pugnatur, turpe eſſe alii Turcæ ſibi rati Prætorianorum non æquare virtutem, muniones, ut vel equitatui pateret aditus, perfringunt. Tum primum Germanorum pars ſibi diffiſi in omnem partem fugam petere, pars nequicquam orare barbaros, ut miſericordia in ſe utantur, pauci vero reſiſtere. Qui omnes parvo temporis ſpatio interempti ſunt, præter illos, qui viribus confiſi tranare flumen auſi ſunt. Taſſus quoque etſi gravi vulnere affectus, auxilio quorundam equitum in caſtra pervenit. Quod quidem magnæ fortunæ fuit: nam non pauci ſine vulnere interiere; quoniam Montecucculus præ metu, ne ſimul Turcæ tranſirent, pontem interſcindendum curaverat. Quamobrem non defuerunt, qui hoc conſilium reprehendendum exiſtimarent, quod nimium de aliorum ſalute ſollicitus facultatem ad ſalutem contendendi reliquis ademiſſet. Alii culpam etiam in Montecucculum conferebant, quum haudquaquam tantam calamitatem acceptam eſſe arbitrarentur, ſi eos milites præſidii cauſa in propugnaculo collocaviſſet, qui primo congreſſu terga non vertiſſent. Cujus rei tanta opinio ad omnes perlata eſt, ut nemo eſſet, qui Montecucculi caput, domumque non execraretur. Ab eo enim, quidquid ab Turcis perpetirentur, ſe laturos arbitrabantur. Maliſque nullum remedium eſſe poſſe ſperabant, quia non ſolum Pannonios omnes, ſed Montecucculum quoque cum Turcis conſentire ſuſpicabantur. Re vera ut immerito tanto viro hæc obiiciebantur, (ut iis, qui vere æſtimare rem voluerint, patet) ita jure Pannoniorum perfidiam Croati querebantur. Nam Cæſar etiam quum nullo ſtudio ab eis agi animadverteret, Rotalium, ut ſupra dictum eſt, in Pannoniam miſerat, qui eos ad ſanitatem reduceret. Rotalius ergo ut cum omnibus uno tempore agere poſſet, communi totius Pannoniæ concilio diem conſtituit. Qui ubi venit, *ſibi mirum videri* demonſtrat, *quod Pannonios ſemper optime de Cæſare meritos ab eo ſuum conſilium ſeparaviſſe rumor exiiſſet. Quod, ſi res ita ſe haberet, nihil aliud eſſe, quam ipſos patriam*

pro-

prodere conſtituiſſe. Hanc ſuſpicionem ab ipſis ſuſtineri, turpiſſimum ſe ducere. Propterea orare, ut, quum id verum non ſit, majore ſtudio, quibus poſſent opibus, in bellum inſiſterent. Hac ratione purgare ſe Cæſari, purgare ſe Chriſtianis omnibus poſſent. Hæc ubi cum aſſenſu audiri Veſelinus animadvertit, qui ad id tempus optimum ſtudium, egregiam fidem, ſummam in Cæſarem voluntatem ſimulaverat, nunc Pannonios palam ab conſilio deterrere ſtatuit. Igitur, *quam ſummum fuiſſet tum ſuum, tum Pannoniorum omnium erga Cæſarem ſtudium, eum de legibus quidquam diminuere æquum non eſſe* reſpondet. *Se legibus ſancitum habere, ne externos milites in Pannoniæ fines introducendi Regi poteſtas ſit. Quid igitur ſibi vellet, quum tot exercitibus ſe circumſtetiſſet? Timere ſe, ne, ſimulata Pannoniorum defenſione, eos in ſervitutem abſtrahi cupiat.* Extremum orationis fuit, *ſe, omneſque paratos eſſe obſiſtendi Turcis cauſa ingentes exercitus cogere, modo illico ſuis finibus Germani excedant; at ſi in incepto perſeverare velint, ſe ſibi conſilium capturum.* Ita nunquam tributum eſſe collocaturos Pannonios ſperabat, quod nunquam exercitus ex Pannonia educturi Montecucculus, Suchiuſque eſſent, ne vacuam ſine contentione Turcæ occuparent. Hoc quum cognoviſſet conſilium Rotalius, magnopere miratur eo temeritatis Veſelinum proceſſiſſe, ut eum id publice profiteri non puderet. Et quamvis omnem impetrandi ſpem ſibi ademptam videret, non tamen ſeſe deſerit, ſed magna humanitate, ne ejus amentia augeretur, *errare eos*, demonſtrat, *qui conſilium perpetuam Pannoniis injungendi ſervitutem Cæſari eſſe dictitarent, quum ejus conatus eo pertinerent, at ipſos ab Turcarum injuria prohibeat.* His dictis, magna controverſia inter Pannonios extitit. Pars enim Rotalio, pars Veſelino morem gerere cupiebant. Tandem, quum eſſet diu inter partes maledictis pugnatum, neutri ſatisfactum eſt; quoniam Rotalius infirma eſſe pro neceſſitate ſex hominum millium auxilia conqueſtus eſt, & Veſelinus ſuam ſpretam fuiſſe ſententiam doluit. Hæc ubi fama divulgavit, non mediocris Chriſtianorum omnium perturbatio facta eſt; quod, quum ſuperiores militum numero Turcæ eſſent, Pannonii defenſionem poſt omnia ducerent. Una tamen ſpes erat in Germanorum militum virtute, ac Ducum conſilio. Propterea Petri Serini virtutem cuncti laudibus ferebant: qui certior factus, quod Acmetes ex finitimis oppidis præſidia eduxiſſet, in Turcarum fines ſuas copias introducere parabat. Quumque adventum copiarum, quæ Franciſcus Cornarius Veneti Senatus nomine ſibi auxilio mittere conſtituerat, expectaviſſet, ne in longum dif-

An.1664

An.1664 differens rem tantam occaſionem amitteret, ab Montecucculo petit, ut equitum millia duo ſibi attribuat, quum majorem calamitatem hac expeditione Turcis eſſet illaturus, quam ſuperiore anno intuliſſet. Montecucculus plurimi intereſſe arbitratus, manus hoſtium diſtineri, quod petierat, ei concedit. Serinus, accepto equitatu, Draum flumen vado tranſire poſſe confidens, ea, quæ uſui eſſent ad faciendum pontem, parare neglexit. At ubi pervenit, vadum invenire non valens, quod flumen ex pluviis creverat, expectandum ſibi ſtatuit, dum pedibus milites tranſire poſſent. Turcæ ripas fluminis non ſatis valido præſidio tum tenebant, tamen, quum ſpatium interceſſiſſet, auxilia ex proximis oppidis eo venere. Hoc ubi Serinus animadvertit, timens, ne in dubium rem devocaret, irrito incepto domum repetere non dubitavit. Sub idem tempus Coppium cohortis Præfectum re infecta Varadino diſcedere Pannoniorum aviditas coegit. Nam invitatus rei bene gerendæ occaſione, quod ob multitudinem, quæ nundinas eo tempore frequentabat, ſuum adventum occultari poſſe ſibi perſuaſerat, cum Germanis ſeptingentis, Pannoniiſque tercentis Varadinum ire contendit. Confecto ſub lucem itinere, Pannonios ſigillatim, ne militum ſpeciem præberent, præmittit, ipſe cum Germanis mille ab oppido paſſus ſubſiſtit. Pannonii ubi in oppidum ingreſſi ſunt, neque occupaverunt portas, ut aditus venienti Coppio pateret, neque prope arcem conſtitere, ut de improviſo Turcas, qui in ſtatione pro portis erant, opprimentes arce potiri poſſent, ſed prædam agitare cœperunt. Turcæ primo improviſa re perturbati, in eos impetum facere non audebant, ſolum arcem retinere exoptantes, portas ſubito obiiciunt. Tandem, ſimul primum paucos numero Pannonios in prædando occupatos nihil eſſe negotii opprimere animadverterunt, in eos ſe eiiciunt, ac nonnullos interficiunt; reliqui, velut quid inopinatum accidiſſet, timere, negotio deficere, fugere. Sed opportuniſſimo tempore Coppius cum reliquis perveniens, fugam ſuorum comprimit, Turcaſque in arcem repellit. His rebus actis, quoniam iis indigebat, quæ ad arcis oppugnationem pertinebant, arcem nequaquam adoriendam conſtituit; ſed unum diem moratus, ut oppidum diriperet, eodem itinere ſeſe Zatmariam, cui urbi præerat, recipit. Hæc omnia quum non proceſſiſſent, tamen nec diutina moleſtia Germanis relicta eſt. Nam paulo quietiorem poſtea Pannoniam Cæſar habuit, adeo ut Veſelinus quoque Suchium in itinere conveniret, atque ſe de ſuperioris temporis conſilio excuſans frumento exercitum juvare polliceretur. Suchio ut inopinata res acciderat,

rat, in incerto habuit, quid ageret. Nam quum parum veriſimile eſſe videretur, ejus mentem ab ſuperiore conſilio receſſiſſe, ne ſui fallendi cauſa id ageret, verebatur. Tandem, quum reliqui Pannonii opibus, & animo bello ſervire paratos eſſe profiterentur, propere in Leventium caſtra movet. Quo ſimulatque pervenit, ad oppidi Præfectum legatos mittit, qui eum hortarentur, *ut potius ſuam indulgentiam ſe dedendo, quam vim experiri velit*. Perſuaſerat ſibi Suchius tormenta contra oppidum diſponere non oportere, quum deditione ſibi proſpecturum præſidium confideret. At ubi legati omnia ad defenſionem parata eſſe renunciarunt, caſtra munit, opera in oppidum inſtituit, tormenta diſponit. His tantum muri everſum eſt, ut Turcæ, oppidi defenſione diſperata, in arcem ſe reciperent. Hac re ſublatus Suchius, hoc majore conatu oppugnare arcem inſtituit. Tum Turcæ ſibi præmetuentes, legatos ad Suchium mittunt, qui, quacunque conditione ab ipſo ferretur, ſe contentos eſſe dicerent. Suchius ſatis ad gloriam perfectum exiſtimans, quum ſex dierum ſpatio ſine vulnere oppidi potitus eſſet, æquiſſimas eis dedit conditiones. Turcæ Germanorum præſidio, quibus Caſimirus Ferdinandus Metternicus cohortis Præfectus præerat, Strigonium incolumes perveniunt. Metternico ut gratiam referret, qui Leventio præfuerat, eum inſigni donat equo. His rebus factis, Suchius tempus terere turpe ducens, oppido Joachimum Neunutum præficit. Cui, oppidi ut munitiones reficeret, negotium dat; ipſe quia fama Turcarum exercitus præcurrebat, qua breviſſimum iter eſſe cognoſcit, ad ea caſtra, quibus, recepta Nitria, ſe tenuerat, occupanda contendit. Magno tamen circuitu ponte Granum flumen tranſire ei opus fuit, quia vado propter aquæ altitudinem non potuit. Acmetes quum de Suchii victoria, poſtea de Leventii oppugnatione accepiſſet, ad Præfectos omnes ſcripſerat, *ſuam æmularentur gloriam, ac omnibus, qui bello inutiles non eſſent, coactis contra Suchium proficiſcerentur*. Idem præterea, ut Moldaviæ, Valachiæque Principes faciant, præceperat. Budæ, Agriæque Præfecti, ſubito contractis copiis, auxiliorum expectant adventum. Interim Clemium caſtellum circumſidunt. Pannonii, qui ibi in præſidio erant, etſi ducenti numero, animo non ſe demiſerant. Sed quum nullam ſubſidii ſpem reſtare cognoſcerent, itemque munitiones parum firmas eſſe non ignorarent, ſalutis ſpem in deditione reponunt. Itaque quum vitam, ac libertatem pacti eſſent, eis portas aperiunt. At Turcæ contra jurisjurandi religionem ad unum omnes interficiunt, caſtellumque direptum incendunt. Hoc facto, Moldavi, Valachique An.1664

que

An.1664 que perveniunt. Conjunctis ergo copiis, fiducia pleni Danubium ponte ad Strigonium tranſeunt, quum non modo amiſſa ſe recuperaturos, ſed Suchii etiam exercitum deleturos confiderent. His rebus cognitis, Suchius, etſi ad paucitatem militum rem perveniſſe ſciebat, quod partem morbus abſumpſiſſet, pars pugnis, & oppugationibus, quod accidere neceſſe erat, interiiſſet, omnia tamen parabat, ut victoriam adipiſceretur. At erat magni periculi res; quoniam quum valetudine afficeretur, ne nocturnum quidem tempus ad quietem ſibi relinquebat. Ob eam cauſam, ne naturæ concederet, ingens timor erat. Quod quidem ſummo cum exercitus periculo futurum omnes non ignorabant. Propterea Præfecti eum adeunt, ac orant, *ut, quoniam exercitus ſalus in ipſius ſalute poſita ſit, ſibi parcat, donec commodiorem in ſtatum perveniſſet.* Idem ab eo Billottus medicus, qui in caſtra Cæſaris juſſu venerat, petens, ut ſe curari Suchius pateretur, obtinuit. Paucis poſt diebus Comes Traunius Cæſaris Conſiliarius in caſtra venit. Huic, quum fama percrebuiſſet, rem in anguſto eſſe, quum quod exigua in ſpe Suchius animam traheret, tum ob Turcarum multitudinem, qui ad oppugnanda caſtra veniſſent, Cæſar mandaverat, ut Præfectos hortaretur, ne prælio rem committerent. At Traunius ubi rem aliter ſe habere coram perſpexit, & ab Suchio accepit, *non dubitare ſe, quin hoſtes eſſet deleturus, ſi ſibi ſupplementum mittatur*, Suchium monet, *ut, quoniam magnopere communis ſalutis interſit, ipſum convaleſcere, Tirnaviam ſe reciperet*. Cui ut morem gerat Suchius, ſubito eo petit. Diſcedens Præfectis mandat, ut poſtridie caſtra moverent, & Neoſelio appropinquare contenderent, ne, quum longius abſint, timoris ſuſpicionem darent. Præfecti juſſa effecerunt, & ad Vagum opportuno loco caſtra poſuerunt. Dum Tirnaviæ moratur, turpe ſibi Suchius ducens belli rationum oblivisci, Eiſteri mandat, ut copias, quibus præſit, in caſtra ad Granum ducat; Buſeinum vero, ut exploratores circummitteret, orat. Buſeinus ubi Turcas Leventium magno impetu oppugnare comperit, ſubito de hac re Suchium docet. Qui magna ſollicitudine afficitur, quoniam, ne ſua cunctatione oppidum amitteretur, timebat. Ob hanc rem ſubito, ut convaluerat, ad exercitum venit, ut omnino ſuis auxilium ferret. Igitur quum unumquemque militem ſex dierum panem ſibi efferre juſſiſſet, illico Leventium petere cupiebat. Dum parum ab profectione aberat, præmiſſi exploratores revertuntur, ac ad duo Turcarum millia ad ſe iter habere demonſtrant. Suchius antecurſores adeſſe, cæterum exercitum adventare ratus, iter diſ-

differens,magnam equitatus partem in venientes mittit.Equites pleni animorum contra eos proficiſcuntur. Sed ubi propius ventum eſt,inſignibus,armiſque Germanos eſſe animadverterunt. Quumque ad eos læti acceſſiſſent, Eiſterem cum hominum millibus duobus adeſſe, cæterum tria veteranorum millia, quibus Comes Quintinus Ermeſteinus præſit, quinque dierum iter abeſſe cognoſcunt. His rebus ſtatim per equites in caſtra perlatis, ubi Suchius ſub meridiem auxilia ad ſe recepit, conſilium Præfectorum omnium habet. Quorum pars *expectandum auxiliorum adventum* cenſere, alii, *quum victoriæ ſpem ſibi præciſam viderent, quod pares hoſtibus numero non eſſent, nequaquam fortunam tentandam* exiſtimare. Horum increpant ignaviam reliqui, ac illico ſuis opem ferendam eſſe demonſtrant. Quorum ſententiam Suchius probat. Itaque præmiſſis de tertia vigilia impedimentis, ipſe cum exercitu multo jam die profectus, decima diei parte reliqua, mille paſſus a Sanbenedicto conſiſtit. Poſtridie, inſtructa acie, paulatim procedebat, quum mille Scythas Granum tranſiſſe, ac prælium cum antecurſoribus commiſiſſe cognoſcit. Sed ignoranti, utrum ſui, an hoſtes ſuperiores diſceſſiſſent, equites tria militaria ſigna referentes interveniunt. Qui ducentos ex Scythis primo congreſſu cecidiſſe, ex ſuis vero triginta interiiſſe demonſtrarunt, ubi incautius conſectati eos eſſent, qui dedita opera pedes referebant. Hæc res eam lætitiæ cauſam omnibus præbuit, quod, quum tercenti mille fudiſſent, virtute Turcas ſibi pares non eſſe arbitrarentur. Hoc die quum ſub cujuſdam montis radicibus conſediſſent Germani, hoſtes eos montes tenere conſpiciunt, unde ad flumen Granum pervenire, ac nullo negotio ripas occupare poſſent. Hoc ne accideret, quum magnopere ſibi præcavendum Suchius exiſtimaret, Eiſterem cum compluribus equitum turmis, ut Turcis impedimento ſit, præmittit, ſeque cum omnibus copiis ſubſecuturum polliceretur. Hoſtes tamen eiſdem locis ſe tenent, & Suchius locum caſtris prope flumen deligi jubet. Quum hoc ſtatu res eſſet, Joannellus cum quingentis militibus in caſtra pervenit, qui ut magnis impedimentis venerant, Turcas perterruerunt, quum ampliores copias Suchio auxilio veniſſe arbitrarentur. Itaque convocato concilio, optimum eſſe conſtituerunt, obſidione abſiſtere, ut, Suchii exercitu deleto, ſine contentione oppida reciperent, quæ nunc expugnare magni periculi res eſſet. Hac conſtituta re, ut militum animos Budæ Præfectus, ad quem ſumma imperii reſpiciebat, confirmaret, *Etſi*, inquit, *vobis mirum videri non ignoro, me ad illud conſilium deſcendiſſe, ut negotio infecto di-* An.1664

An.1664 *diſcedam, tamen quo ampliore animo ſitis, ſimulque ut monerem, vos advocavi, ne meam, ac omnium opinionem fallere velitis, quum dimicandi facultas erit. Nam hoc vobis perſuaſum habeatis, velim, quod victoribus omnia parent, eoque, ſi victoriam adipiſcemur, ſine contentione non Leventium modo, verum Nitriam etiam, atque alia oppida, miſſis ultro legationibus, recipiamus oportet. Non igitur ignominiæ loco ferendum eſt, oppugnationem relinqui, ſed potius conſilium laudibus concelebrandum, quod maxima hoſtibus inferetur calamitas. Jam victoria in manibus eſt; quid dubitatis eam exercere? Jam hoſtem tenetis; quid cunctamini, quin digna fortiſſimis viris audeatis? An neſcitis, Suchium tantos ſibi ſumpſiſſe ſpiritus, prælio ſecundo facto, ut, quaſi explorata victoria, alieno loco prælio dimicare non dubitaverit. Spernunt Germani, quos ſecum virtute exæquari non poſſe judicant. Quum ipſis unius prælii ſecunda fortuna fuiſſet, virtute ſe viciſſe, & virtute ſe victuros exiſtimant. Non cum Bectaſio Temeſuariæ Præfecto, ſed mecum Suchio negotium nunc erit. Nunquam committam, ut locus fraudi contra me ſit. Omnia ſumma ratione acta fortuna ſequatur, oportet. Confidant audaciæ Germani, confidant peritiæ belli; præſtent, quam poterint, audaciam. Contemnunt noſtram virtutem: nam ego quoque, timoris præbendo opinionem, eorum amentiam augebo, quo rem ſummo conſilio adminiſtrare negligentes partum antea decus amittant.* His dictis, cupidiſſimis omnibus, oppugnatio dimiſſa eſt; nec erat quiſquam omnium, qui de eventu dubitaret, ſi manus conferendæ copia foret. Spes tamen ſubito minuitur, quum propter obſeſſorum audaciam, qui noviſſimum carpere agmen auſi ſunt, tum quod tantum animi quibuſdam ex Germanis eſse cognoverunt, ut flumen tranſire, & magna verborum contumelia ſe ad prælium evocare non dubitarent. Poſtero die dum lux adventaret, ventus cooritur, quo quum arbores offenſæ levius ſtreperent, agminis iter facientis tumultum eſse rati vigiles, rem ad Suchium perferunt. Qui ſubito milites ſe expedire jubet, aciemque inſtruit, ut vel tranſire flumen conantes prohibeat, vel, ſi prælii committendi impoſita eſset neceſſitas, negotio non deeſset. At ubi oriente ſole omnia ſuperiora loca præ multitudine hoſtium vix cerni poſſe cognovit, fortunam rei bene gerendæ occaſionem dare velle exiſtimans, exercitum flumen traducere conſtituit. Sic enim vel pugnæ facultatem futuram, vel, hoſtibus prælium detrectantibus, ſuos alacriores ſe facturum confidebat. Igitur ubi, ad concilium re delata, omnes Præfecti *non expectandum* cenſuere, *dum initium tranſeundi ab Turcis fieret, ut impeditos flumine opprimerent, quan-*

Digitized by Google

quando cunctando minime ſibi confidere hoſtes demonſtraviſſent , hu- An.1664
juſcemodi verba fecit. *Quam nunc tentare fortunam oporteat,
iis perſuadere difficile non eſt, qui nihil fortuito accidere perſuaſum
ſibi habent. Omnia Deo authore fieri jam conſtat, adeo ut non ſemel
expertum ſit, levi de cauſa maximarum rerum commutationem eſſe fa-
ctam. Hac de re in religionem vertendum exiſtimavi, ſi, quæ ven-
tus capere arma coegiſſet, ponere vos ego juberem. Non ergo expe-
ctandum ſtatui, dum flumen tranſire conentur Turcæ, ut veſtram
experiar virtutem. Repræſento jam Deo authore diem. Nunc glo-
riam, nunc decus deleti exercitus veſtrum fieri oportet. Satis eſt,
uſq; adhuc nos tempus conſumpſiſſe. Satis ſuum timorem ſignificavere
hoſtes, quum Budæ Præfectus, ſuis ab oppugnatione reductis, in mon-
tes ſe recepit. Satis Ducis imperitia apparet, quando ripas fluminis
occupare primo neglexit. Fluminis quum minima ſit altitudo, quid
veremini opportunitate uti? Planities iſta trans Granum palmam
vobis victoribus parat. Trans flumen locus eſt, qui Turcarum clade
nobilitabitur. Ferax gloriæ ſeges eſt, ſi virtutem præſtare parati
eſtis, quia quos montes nunc complere conſpicitis, eos brevi diſſipa-
tos fugere videbitis. Deſiderata enim multitudo ea eſt, non vetera-
ni milites, quæ quum uſus belli imperita ſit, ſi e caſtris egredi aude-
bit, nequaquam in acie conſiſtet. Poſtremo illos eoſdem eſſe, ſcia-
tis, velim, quos ſine contentione fudiſtis, fuſoſque conſectati eſtis.
Non animus eis, ſed Dux eſt mutatus, qui nunquam timidis virtu-
tem addere valet. Agitedum ad laudem, ad prædam properate. Ve-
ſtra enim præda eſt, & vobis reſervatur, quidquid videtis.* Hac
oratione ita permoventur milites, ut tyrones etiam, non vetera-
ni ſolum inter ſe cohortarentur, ne, quum fortuna præclari faci-
noris caſum daret, ipſi negotio deſint. Quorum alacritatem quum
cognoviſſet Suchius, confeſtim tribus locis omnes tranſire flumen
jubet. Qui tantam adhibuerunt diligentiam, ut, quum prope
temporis momento major pars trans flumen eſſet, reliquos prohi-
bere deſperans Budæ Præfectus caſtris eo conſilio ſe teneret, ut
curſu exanimatos nullo negotio opprimeret, ſi caſtra adoriri con-
ſtituiſſent. Eo audaciæ Germanos proceſſuros quum veriſimillimum
judicaret, illico omnes ſe lavare jubet. Hæc Turcarum more gra-
viſſima ceremonia eſt, quod criminum maculas hac ratione abole-
ri putant. Hoc facto, Dux omnes hortari, ut temeritatis Germanos
pœnitere cogant, obſecrari, triplicem inſtruere aciem, ac omnia
trepidanter adminiſtrare. Dum hæc agebantur, Germani jam flu-
men tranſierant. Quumque non amplius prælio ſuperſedendum
Suchius exiſtimaret, Covario, & Capraræ cohortium Præfectis
 mil-

An. 1664 mille attribuit equites, qui prælium inirent; ipſe cum reliquis copiis lentius ſubſequitur. Ne tum quidem Budæ Præfectus caſtris egredi voluit, ſolum verſus fluentum, qua tranſire Germanis opus eſſe cognoſcebat, mille & quingentos mittit equites, qui iter Germanorum morarentur, quoad e ſylvis Valachi ſe eiicientes ab tergo eos adorirentur. Quod nulla ratione factum eſt. Nam, quum de improviſo in occupatos in aſcendendo omnibus copiis impetum facere ſtatuiſſet, partem copiarum ad eorum demorandum iter mittere nihil opus erat, ne, priuſquam ipſe ſubſidio ſuis veniret, miſſi equites funderentur, ut accidit. Ubi ergo Suchius Valacos per ſylvam miſſos animadvertit, Eiſterem cum hominum millibus binis eo mittit, qui Valacorum ſuſtineret impetum. Quod non ſolum præſtitit Eiſter, verum etiam, poſtquam acriter utrinque pugnatum eſt, eos in fugam conjecit. Eodem tempore, quum fortiter ab equitibus, quos Caprara ducebat, pugnaretur, Budæ Præfectus quatuor Prætorianorum millia, & equitum millia duo ſubſidio ſuis mittit. Quorum adventu tantum Turcis innaſcitur ſtudii, ut impetum ferre Germani non potuiſſent, niſi Suchius cum hominum millibus duobus eis adfuiſſet. Hi etiam, poſtquam prælium reſtituerunt, tanto impetu in Turcas feruntur, ut paulatim pedes referentes in eum locum digrederentur, ubi Suchius inſidiarum cauſa Blochium cum tercentis veteranis collocaverat. Sic Suchii conſilium fortuna comprobavit, quia, quum hi ab tergo de improviſo ſeſe oſtenderent, omnem pene exercitum inſtare Turcæ arbitrabantur, eoque ſe fugæ mandabant. Hoc acrius Caprara inſtat, ac jam omnes certiorem capeſſebant fugam, quum recentes copiæ a Budæ Præfecto miſſæ pugnam redintegrant. Atrox adeſt prælium, ac unuſquiſque pro viribus ſuam probare operam enititur, donec mille pedites cum bellicis tormentis defatigatis ſubmittit Suchius. Nam tum primum Turcarum ſtrage repletis campis, Matiovirtio duo equitum millia, & mille attribuere pedites Suchius valuit, ut Moldavos, Scythaſque adoriretur, & funderet. Nihil enim actum ad Pannoniæ ſalutem exiſtimabat, niſi exercitum omnem ad internecionem redigeret. Matiovirtius rem ſuſcipiens, milites, *ut gloriam confecti negotii ferre velint*, hortatur. *Interiiſſe quidquid roboris fuiſſet, ignavos, inerteſque ſupereſſe. Enitentur ergo incruenta victoria potiri*. His vocibus alacriores facti milites, magno animo in hoſtes irrumpunt. Moldavi, Scythęque quum incurſionibus, quam præliis meliores eſſent, tamen ſive quia nullam in fuga ſalutem perſpiciebant, ſive quia mille Prætoriani ſuo exemplo eos alacres feciſſent, ſive Budæ Præfecti vocibus per-

Digitized by Google

permoti, diutius, quam quis crediddiſſet, Matiovirtii impetum tulerunt. *Maximam ipſorum gloriam fore* demonſtrabat Budæ Præfectus, *ſi acceptum aliorum ignavia detrimentum ſua virtute ſarcirent. In ipſorum animi magnitudine Turcarum nominis decus poſitum eſſe. Præſtarent maximam audaciam, quoniam tutior ipſis ea eſſet, quam fuga.* Itaque nec Matiovirtio extremum auxilium experiri cupientes propellere facile fuiſſet, niſi tormentis Cniges Scythas perterruiſſet. Hi ante omnes fugæ ſe mandantes, ut reliqui ab inermis pedibus auxilium peterent, effecerunt. Sic Neoſelii, & Budæ Præfecti deſtituti interficiuntur. Quum tribus locis hoſtem ſuperatum Suchius vidiſſet, ſpe conficiendi negotii fugientes perſequi conſtituit. Igitur milites, etſi continenti labore defeſſos, hortatur, *ut, quoniam ad finem laborum eſſet perventum, æquo animo nunc ſuam præſtarent operam. Periculoſum eſſe, ſpatium perterritis ſui confirmandi dare.* Milites ad omnia parati imperio parent. Ubi via, quæ Leventium ferebat, paululum progreſſi, hoſtes loca ſuperiora capere, ac munire conari animadverterunt, ne ſui colligendi facultatem eis relinquerent, eo contendunt. Tum, deſperatis rebus, omnes fugæ ſe mandant. Hos, quantum viribus efficere potuerunt, conſecuti pedites, magnum numerum eorum conciderunt. In iis Agriæ, ac Leventii quondam Præfectos. Dum hæc adminiſtrarentur, Eiſter cum cohortibus duabus in caſtra irrupit. Hic inermes etiam, non repugnantes ſolum interfecti. Præda parta ingens. Turcarum amplius ſeptem millia cæſa. Ex Germanis, ratione habita, quingenti deſiderati, totidemque vulneribus effecti. Moldavi, Valachique omnes, ac Scytharum magna pars ex fuga domum contenderunt, reliqui ad ſex millium numerum ponte Danubium tranſeuntes, ad Acmetem pervenerunt. Suchius noctem exercitui ad quietem dat; poſtridie Leventium petens, primo Templa adit, ac magna omnium lætitia gratias Deo agit, deinde ſigillatim illos, quorum egregiam fuiſſe virtutem animadverterat, & generatim Pannonios, Germanoſque collaudat. Præterea nuncium ad Cæſarem mittit, qui ſe decem hominum millibus paulo minus Turcarum millia triginta viciſſe nunciaret. Cui munificentiſſime Cæſar præmia tribuit. Atque plurium dierum ſupplicatione indicta, litteras ad Suchium remittit, *ſe ſemper ipſius fidem, virtutemque probaviſſe, at nunc maximi conſilium facere.* Quibus litteris permotus Suchius, militaria ſigna, ad centum numero, quibus erat potitus, ad Cæſarem Viennam referri juſſit. Conſilium item Præfectorum habuit: quid tamen agendum videretur, convenire non potuit, quum duæ ſententiæ concilium diſti- An.1664

An. 1664 nerent, una eorum, *qui Neoſelium oppugnandum* cenſebant, *quia, quum gravis peſtilentia præſidii magnam partem conſumpſiſſet, ac rerum omnium inopia eſſet, vel per vim, vel per conditiones oppido potiri poſſe ſperabant; maxime quod Acmetes ab Montecucculo, quominus eis opem ferat, impediatur*. Altera nonnullorum, *qui quum, rebus ſic ſtantibus, munitiſſimam oppugnare urbem magnæ contentionis negotium eſſe arbitrarentur, exercitui jam laboribus confecto onus fruſtra non injungendum* exiſtimabant. Igitur quum unuſquiſque ab ſua ſententia diſcedere ſe poſſe negaret, res diſputatione diſtrahebatur, niſi Suchius *errare eos* demonſtraviſſet, *qui diſſenſionum, & non victoriæ exercendæ tempus eſſe exiſtimarent. Sibi contentionibus opportunitates corrumpere nunquam placuiſſe: ideoque, ne controverſia diutius alatur, quod de profectione in ſextum diem collocaturus fuiſſet, nunc repræſentaturum*. Poſtridie ergo Sanbenedictum petit, ibique citra Granum flumen caſtra ponit. Hic nocte cum animo ſuo reputans Neoſelium recipere ſuarum virium non eſſe, ne tempus deſes conſumeret, Barcanium e regione Strigonii caſtellum occupare decernit. Rem hanc nullius periculi eſſe exiſtimabat, quum quod non magnis munitionibus ſciebat firmatum eſſe caſtellum, tum quod exiguas copias ibi in præſidio eſſe cognoverat. Caſtellumque ea maxime ratione ſibi opportunum fore non ignorabat, quod, ſi ſubſidia poſtea ſibi mitterentur, Strigonium poſſet expugnare. Quod ſi accideret, maximo cum periculo oppidorum citra Danubium poſitorum eſſe intelligebat, quum, qua Turcæ ſubſidio ſuis venirent, non eſſet. Si ſemel maximi periculi hoc negotium eſſe cognoſceret, poſſe tum Neoſelium aggredi. Igitur ubi nuncium ad Cæſarem oratum miſit, *ut ſibi auxilia mitteret, ſi victoriam exerceri cuperet*, Kalendis ſextilis maximo uſus militum ſtudio Barcanium venit. Duplicique inſtructa acie, Mansfeldio imperat, ut cum octingentis peditibus ad muros ſuccederet; quo animus ei amplior eſſet, lentius quingentos alios ſubſequi jubet. Interim ipſe pedites, equiteſque alios alio itinere per hortos, qui caſtellum cingebant, propius foſſam ſine periculo ducit, cujus externum labrum palis in terram defixis muniebatur. Quod opus ſubito Germani ſcindunt. Conati ſunt Turcæ hos eruptione propellere. Quæ quidem res Germanis ſalutem attulit, qui eos in caſtellum ſine vulnere rejecerunt, quando magnum accipere potuiſſent detrimentum, ſi ſe in Mansfeldium ejeciſſent, qui temere ſpatium, quod inter hortos, & foſſam intercedit, occupaverat. Nam, eo ſuperato, ab tergo alios adoriri poterant. Et licet pauci poſtea ſe in Mansfeldium ejeciſſent, tamen tantum

tum

Digitized by Google

tum opportunitate loci,& tormentis proficiunt, ut, Mansfeldio vulnerato, milites jam initium fugæ facerent. Quod niſi in his anguſtiis rem eſſe Suchius cognoſcens integros contra Turcas duxiſſet, haud dubie calamitas accepta eſſet. Vix enim centum terga non vertiſse, & ex eis ægerrime quintum quemque ſine vulnere relictum eſſe conſtabat. Itaque quum terra, ſarmentis, virgultiſque ad hoſtes obiectis ſe muniviſſent Germani, tum omnibus copiis eruptionem nullo conſilio Turcæ faciunt. Sub idem tempus tormenta contra pontem diſpoſita ita ei nocuerunt, ut, ſex navibus depreſſis, Turcæ locum retinere diffiderent. Tormenta item in murorum perniciem collocata tantum detrimenti Turcis inferunt, ut, quum nullam reſtare ſpem viderent, fuga ad ſalutem contendere conſtituerent. Igitur noctu igne domibus illato, lintribus, navibuſque perfugiunt. Suchius ubi ab igne pontem quoque hauſtum vidit, ad Comaram pluribus de cauſis caſtra movet, quarum altera erat, ut exercitum ex laboribus reficeret, altera, ut citius auxilia ad ſe reciperet. Ibi quum fruſtra diu expectaviſſet, Cæſarem convenire ſtatuit, atque orare, *ne rei bene gerendæ facultatem dimitteret, quum, nullo hoſte prohibente, oppida trans Danubium ſine periculo poſſet expugnare*. Cæſar, ut in eam ſpem venerat, Turcas diſcedere ab armis poſſe, ſi valido exercitu ab ea parte urgerentur, non alienum ſuis rationibus putabat, ampliores Suchio attribuere copias. Optimum tamen conſilium omittit, quod præſtare cuncti dixerunt Montecucculo, ut fines tegat, quam Suchio, ut alienum occupet, auxilia decernere. Nicolaus Serinus quoque quum hac de re, tum aliis de cauſis, ut exercitus ſibi permitteretur, non obtinuit, tametſi *aliorum culpa Caniſiam ſe non expugnaviſſe* dicebat. *Se exiguis copiis aſperiora & aggredi auſum eſſe, & conficere valuiſſe. Non eſſe dubitandum, quin, ſi ſibi, quod petat, non negetur, magnam Turcis inferat calamitatem. Acmetem, quòd propugnaculum cœpiſſet, præſidiumque trucidaſſet, Montecucculo acceptum referre debere, quum, ſi locum ipſe defendiſſet, nunquam ejus conatui locus fuiſſet*. Hac oratione complures criminando effecit, ut prope omnes contra ipſum pro ſua exiſtimatione niterentur. *Serinum propugnaculum nullius uſus ad Muram excitando Turcas ad bellum incitaviſſe* demonſtrabant. *Serinum Caniſiam contra aliorum opinionem oppugnando milites fruſtra labori objeciſſe, & pecuniam nequicquam profudiſſe. Serinum eadem re coegiſse Acmetem citius, quam Turcarum conſuetudo ferret, exercitum in Pannoniæ, & forſan in Germaniæ perniciem ducere. Hominem eſſe arrogantem, temerarium, ac nullius conſilii. Non eſſe dubitandum, quin, ſi ei exerci-* An.1664

An. 1664 *citus tradatur, rem in periculum deducat, quam alios contemnendo, & ſibi plus æquo fidendo impoſſibilia eſſet ſuſcepturus. Non veriſimile præterea eſſe, eum Cæſarem proditurum, quum privatim externorum amicitiam colat. Jam conſtare, Franciſcum Barberinum Cardinalem, ac Venetos eum re pecuniaria juvare. Jam non abeſſe ſuſpicionem, quin in gratiam cum Ludovico Galliæ Rege veniſſet. Igitur vel, ut ei morem gerat, conſulto male ſe geſturum, vel excurſionibus, quibus nihil ad ſummam rerum proficitur, Turcas ita laceſſiturum eſſe, ut nunquam omittere bellum velint*. Hæc, & hujuſcemodi ſæpe dicentes, Cæſari, ut paci ſtuderet, perſuadent, ac in bellum eo conſilio animum intenderet, ut ſibi parere pacem poſſet. Cæſar vero ne Serinum ab ſe alienaret, cujus maximam inter Pannonios, Croatoſque eſſe authoritatem cognoverat, ei ſatisfacturum pollicetur, ubi Montecucculum eo rem deduxiſſe cognoviſſet, ut Turcæ in Germaniam contendere nequeant. Hæc enim res omnium curarum caput erat; quia id Acmetem ſummopere cupere ſciebant. Re vera Acmetes, ubi propugnaculum, quod nullo uſui eſſe cognoverat, incendit, Muram flumen tranſire vehementer exoptabat. Et quia apertam vim non procedere expertus erat, fraude rem obtinere conſtituit. Itaque de improviſo caſtra movet, & Pannoniæ fines populari ſibi in animo eſſe ſimulat, ut, ſi ſui prohibendi cauſa cuſtodes ex ripis Montecucculus deduceret, ipſe de improviſo iter convertens ſine periculo exercitum flumen traduceret. Hoc vero fore ſuſpicatus Montecucculus, omnes ſuis locis ſe continere jubens, tria equitum millia exploratum mittit. Hæc ubi viſa eſſe Acmeti enunciatum eſt, Montecucculum jam fraude captum ratus, illico eo redire, unde profectus erat, exercitum jubet. At ſimul contra tam peritum Ducem fraudi locum non fuiſſe coram perſpexit, tantus dolor inceſſit, ut, alienata mente, in quam belli rationem inſiſteret, diu in incerto haberet. Tandem caſtra juxta Montecucculum ponit, adeo ut alter alteri exercitui nocere tormentis poſſet. Nocte tamen, ne majorem æſtatis partem conſumeret, conſilium diſcedendi, ac Danubium ponte tranſeundi capit, ut vel Montecucculum eandem fraudem timentem falleret, ubi Suchii exercitum deleret, vel cum eo ad inſequendum parato æquo loco ſigna conferret. Montecucculus quum ex tumultu de Turcarum profectione ſenſiſſet, fraudem veritus, firmiore præſidio ripam teneri jubet. Majorem tamen equitatus partem ad noviſſimum agmen carpendum mittit. Equites longo ſpatio perſecuti Turcas, ubi ad quingentos occiderunt, nonnulloſque cœperunt, ſe in caſtra recipiunt. Ex his alio iter Acmetem habere Montecucculus cognoſcens, con-

conſilium convocare ſtatuit, maxime quod Badenius, qui auxiliorum ab Germaniæ Regulis, Civitatibuſque miſſorum imperii ſummam obtinebat, in caſtra eo die perveniſſet. Omnium, qui concilio interfuere, una fuit ſententia, quæ, ubi trium dierum ſpatio Acmetem iter ad Muram non convertiſſe cognoviſſent, moram ad eum inſequendum non inferendam cenſebat. Montecucculus tamen magna afficitur ſollicitudine, quod fruſtra magnis itineribus ſe eſſet extenſurus, ut plurium dierum iter progreſſos conſequeretur, quum illi altiſſima flumina ſine contentione tranſire, & , quo placeret, ſe vertere poſſent. Sed quum diu dubitatione æſtuaſset, tandem Nadaſtio tria Pannoniorum millia, & equitum millia duo attribuit, ut illico ad Arrabonem flumen contendat, ripaſque occupet, &, quum opus ſit, tranſitu Turcas prohibeat. Hoc enim magnopere ſibi præcavendum exiſtimabat, quum nullo negotio in Auſtriam pervenire Turcæ poſsent, ubi hoc tranſiſsent flumen. At, ſi ad ſiniſtram flecterent, & Jaurinum obſiderent, aut ſi ad dextram Volceas paludes verſus iter retorquerent, tempus ad ſuis ſubveniendum interceſsurum ſperabat. Optimum conſilium fortuna comprobavit, quia Nadaſtius ad Arrabonem perveniens, ſubito cuſtodias diſpoſuit, adeo ut Acmeti magno impedimento eſset, ubi depulſus ab conſilio Suchii opprimendi (in itinere copias, quæ ex cæde ſuperfuerant, recipiens acta cognovit) iter eo convertit. Non multo poſt Montecucculus, ubi quum Germanorum, tum Ludovici auxilia, quibus Comes Colignius præerat, ad ſe recepit, ac copias omnes recenſuit, ut, quid roboris eſset, perſpiceret, ad Nadaſtium pervenit. Dum omnia in Germanorum caſtris gratulatione plena eſsent, quod eo tempore, quo Acmetis conſiliis officere poſsent, veniſsent, res accidit, quæ ſalutem ipſis attulit. Tria equitum millia permota fama, quod duo Turcarum millia non procul inde pabularentur, ad ea opprimenda ſubito contendunt. In itinere quum ex agreſtibus ampliores ibi eſse copias cognoviſsent, Chermendum iter convertunt. Cui caſtello dum appropinquarent, in incautos Scythas incidunt: qui unam ſalutis ſpem in fuga eſse rati, in proximam ſylvam ſe recipiunt. Germani ubi nonnullos interfecerunt, & pleroſque cœperunt, longius ſuccedere non audentes, quamquem ad finem loca aperta intercederent, ſe in caſtra conferre ſtatuunt. Igitur quum lentius progrederentur, ut ex locis ſuperioribus in flumen proſpectus erat, cognoſcunt Pannoniorum maximam partem multitudine Turcarum perterritam ripas dimiſiſse, nec procul abeſse, quin Turcæ tranſeant, niſi eos ipſi prohibere in- An.1664

Digitized by Google

An.1664 inſtituerent. Ob hanc cauſam inter ſe cohortati, ut tam opportuno tempore ſuam probarent operam, nulla interpoſita mora, eo contendunt. Horum adventu nequaquam perturbantur Turcæ, ſed utpote illi, qui partam jam victoriam retinere enituntur, maxima utebantur contentione. Germani vero quum unum illud eſse tempus intelligerent, quo maxime contentione opus eſſet, tanta vi in eos feruntur, ut omnes terga vertere cogerentur. Hoc die octingenti ex Turcis conciderunt. Germanorum vero circiter ducenti deſiderati; in his Eques Santagnanus, ac Marchio Caſtrinovi, nobiliſſimi Galli. Qui alios virtute præcedere cupientes, ante omnes cum aliis ex Gallia nobilibus progreſſi ſunt, ut fortiſſimos ex Turcis ad ſingulare certamen evocarent. Sed quum ex Turcis nemo repertus eſset, qui, ſe plurimum virtute poſse, demonſtrare auſus eſset, ne rei militaris gloria amitteretur, plures in eos impetum faciunt. Paululum ſe defendunt Galli, tandem circumventi duo interficiuntur, duo auxilio aliorum, qui, cognita Turcarum perfidia, venerant, vulneribus affecti inter manus in caſtra afferuntur. Poſtero die Acmetes iterum, ſi rem obtinere poſſet, tentare conſtituit: ſed Montecucculi diligentia repulſus ſecundum flumen iter agere cœpit, ut vel occaſionem nactus alio loco exercitum tranſduceret, vel, ſi Montecucculus ſui inſequendi ſtudio de cuſtodiis eo loco remitteret, de improviſo iter convertens tranſiret. At ubi omnes ſuo loco ſe tenere animadvertit, perveniens Zacanium, quem locum tyronibus obvenisſe per captivos cognoverat, ſubito magno ſublato clamore ſuos, fluminis vadum tentarent, hortatur. Germanis quia Duces adſunt, fortiter ſe gerunt. Tum Acmetes omnia loca diligenter ab hoſtibus teneri animadvertens, magna difficultate afficitur, qua ratione eis detrimentum inferret. Incertuſque agitabatur, ſi, hoc depoſito conſilio, novum quæreret: poſtremo regionis peritos ad ſe vocari jubens, ex eis, an alio itinere in Germaniam ire poſſit, quærit. Illi itinera campeſtria, quæ inter Arrabonem, & Muram flumina intercedant, haudquaquam difficilia, ac anguſta ad Stiriam pertinere, quibus ex locis in Auſtriam pervenire nihil negotii eſse reſpondent. Hac de re magna lætitia Acmetes afficitur, &, veluti jam parta victoria, magnis præmiis eos afficit, atque palam collaudat, quod eorum opera periculum vitaret, in quod venire neceſse erat, ubi Arrabonem tranſire periclitatus eſset. Sub veſperum ergo concilium cogit; magis ut pro novo conſilio laudem ferret, quam ut de rebus conſultaret. Jam eam ſe iniiſse rationem pronunciat, qua ſine vulnere Viennam quoque poſset oppugnare. Quod quum

eſ-

eſſent nonnulli admirati, *Quid admiratione afficerentur*, inquit, An. 1664
quum nibil ſuæ virtuti, ac diligentiæ, quibus omnia ſibi peperiſſet, eſſet infectum. Alia ad hæc addit, ut majora de ſe prædicaret. At ubi Caplanus, qui ob eximiam virtutem magni habebatur, conſilii rationem accepit, in hunc modum locutus fuiſſe dicitur. *Nunquam tibi, Acmetes, repugnare auderem, niſi boni publici, ac communis gloriæ ſtudium me ad audacter dicendum impelleret. Hæc eſt publicæ ſalutis charitas, ut pro ea ne temeritatis quidem notam ſubire timeam, quum ei reſiſtere non dubitem, cui egregia geſta ſummum magiſtratum conciliarunt. Quæ quidem quum tanta ſint, de iis ſilere potius, quam pauca dicere præſtat. Tamen, ut ingenue fatear, in dubium devocari res poteſt, quum periculum ſit, ne fames victorem conſumat exercitum. Quid profici poſſe ſperas longius procedendo, quando de re frumentaria proviſum non eſt? An hoſtes neceſſariis rebus exercitum eſſe juvaturos ſperas? & non dubitabis potius, quin omnia ex agris in oppida conferant, atque pecora longius removeant, ut omnia ad uſum nobis deſint? An frumentum ex horreis avebi flumine poſſe confidis? & non potius timebis, ne omnia Montecucculus intercipiat? Quid ergo in periculum venire exoptas, quando hoſtium delendorum facultatem nanciſci nullo negotio poteris?* His auditis, ab ſua ſententia diſcedere Acmetem non puduit. Quod etſi cuncti laudibus ferebant, tamen timens, ne Caplani authoritas augeretur, ſuaque minueretur, aliquo fortiter facto maculam delere ſtatuit. Hæc cogitanti nihil accidere gratius poſſe viſum eſt, quam ſi per vim flumen tranſiret, & perterritos hoſtes in fugam coniiceret. Igitur quum prope Sangottardum flumen non nimis in latitudinem pateret, eo loco fortunam tentare decernit. Tantaque cupiditate pugnandi ardet, ut nullum ſpatium ad conſilium ineundum ſibi relinquens ſubito milites in flumen ſe demittere juberet. At, ubi ſuos ægre Germanorum vim ſuſtinere cognovit, id fieri arbitratus, quod itineris labore confectos periculo objeciſſet, perpaucis amiſſis, receptui cani jubet. Reliquum diei conſulendo conſumit, non quemadmodum flumen tranſiret, & victoriam adipiſceretur, ſed quomodo victoria uteretur. Nunquam Turcas ab Germanis ſuſtineri poſſe confidebat, quando ex omnibus viginti hominum millia legiſſet, quæ eodem loco eos adorirentur. Conſtitutum præterea ex omnium ſententia eſt, ſimulatque victoria potiti eſſent, quam minimum ſpatii ad ſe colligendum hoſtibus relinquere non oportere, ſed eos primo ad internecionem perſequi, deinde oppida expugnare, ac Germaniam perdomere. Hæc non in animis ſolum, ſed in

Mm ocu-

An. 1664 oculis Præfectorum ita eſſe videbantur, ut, velut jam parta victoria, Budæ Præfecto Acmetes mandaret, ut majora bellica tormenta, atque alia, quæ ad oppugnationem uſui eſsent, ſubito mittat. Nec minorem rerum ſuarum fiduciam gregarii habebant, quum ne oculorum quidem ſuorum aciem Germanos laturos ſibi perſuaſiſsent. Conſulitur quoque de locis, quæ quiſque obtinere debeat. De qua re quum eſset pluribus ab nonnullis diſceptatum, Acmetes Iſmaelem Boſsenæ Præfectum, qui Regis ſororem uxorem duxerat, mediæ aciei præponit; Halium Prætorianorum Præfectum ſiniſtrum cornu; Caplanum dextrum obtinere jubet. Mehemetis Aleppi Præfecti copias inter cornua diſpertit, quæ, quos laborantes cognoſcerent, eos confirmarent. Simulachium cum equitum millibus tribus paulo ſupra, Curcum vero cum equitum millibus quatuor paulo infra eum locum, ubi ipſe cum exercitu eſset, tranſire flumen, & ab tergo circumvenire hoſtes jubet. Multa præterea, quæ memoriæ prodenda non videntur, conſtituta ſunt. Ad occaſum ſolis concilium dimittens Acmetes, ut ſe quieti darent, quo majore alacritate ſequentis diei laborem ferre poſsent, milites hortatur. At mane quum conſilium perficere exoptaret, animadverſum eſt, Baldaſsarem Gallum Piſtorienſem ad Germanos tranſiviſſe. Huic quod ad diſſimulanda omnia altitudo ingenii erat, captus ab Turcis ita Acmetem familiari amicitia ſibi conjunxerat, ut, quum in ejus familiarium numero eſset, omnium eſset conſiliorum particeps. Quumque Turcarum conſuetudinis tædio affectus jamdiu fugæ occaſionem quæreret, opportuniſſimo tempore inter Turcarum lætitiam, ac negligentiam nocte meditata perficiendi facultatem nactus, ad Montecucculum tranſit, *ac ſe Piſtorienſem eſſe* demonſtrat: *Acmeti adeo acceptum fuiſſe, ut omnia ejus conſilia manifeſta haberet. Quæ omnia, quum utile etiam, non gratum ſolum ipſi eſſe intelligeret, enunciare paratum eſſe*. Montecucculus opportune id ſibi accidiſse ratus, eum omnia aperire jubet. Qui ſubito, quæ ſupra dicta ſunt, ordine exponit; ſimul quid roboris in Turcarum exercitu ſit addit, quas cohortes firmiſſimas Acmetes habeat, quem numerum omnes expleant, quid uniuſcujuſque Præfecti natura, aut ſtudium ferat, quique magni conſilii, aut virtutis habebantur. Certamini ſequentem eſse dictum diem, ac eo loco flumen tranſire Acmetem velle confirmat. Hæc ubi Montecucculus audivit, quod pluribus præſentibus agitari nolebat, id quærit ex ſolo. Magnaque lætitia afficitur, quod Acmetes de Sangottardo caſtello expugnando ne cogitaviſset quidem, licet ea ſine contentione tranſire flumen ponte poſset. Huic rei quum maxime

xime

ximc præmetueret Montecucculus, locum ſecreto muniendum curabat, ne res in ſuſpicionem veniret. Acmetes ergo hoſtibus conſilia enunciata ſuſpicatus, magna afficitur difficultate, ſi in eandem belli rationem inſiſteret. Dum rei militaris peritiſſimos conſulenti, quid ageret, non conſtabat, idem Caplanus, *Quid de belli ratione commutanda cogitas*, inquit. *Non is Turca eſt, qui ſolum inopinantem hoſtem vincere audet: efferatum etiam ira, atque odio per virtutem ſuperabit. Ne animo deficias. Quæ Germanorum animis virtus primo inerat, ea ſolum, patefactis conſiliis, in pugna patebit: non animus, non audacia eis crevit. Ne dubites fortunæ beneficio uti.* Quibus verbis confirmatus Acmetes, de omnium conſilio paulo ſupra eum locum poſtero die copias flumen tranſducere, & cum Germanis congredi conſtituit. At Montecucculus animo victoriam providebat, quia Turcas alieno loco prælium committere audentes temeritatis pœnas daturos confidebat. Cæterum aciem ad hunc modum inſtructam eſse voluit, ut ipſe cum veteranis Cæſaris militibus lævum cornu, Olachius cum militibus, quibus præerat, atque Colignius cum Gallis dextrum cornu, Badenius cum auxiliaribus cohortibus mediam aciem tenerent. Hoc ea maxime ratione fecit, quod, quum cohortes, quas Germaniæ Reguli, Civitateſque contulerant, minus firmas haberet Montecucculus, ab lateribus facilius ſubſidia mitti poſse ſciebat. Itaque quum uterque exercitus utrique eſset in conſpectu, ac tormentis pugnaretur, paucis Montecucculus milites ad virtutem accendit. Reliquum diei, quia prælium expectabat, in armis omnes eſsent, præcipit. At ubi noctem adeſse, nec ullam in partem ab Turcis fieri ſignificationem cognovit, ut nocturna quiete membra levent, monet. Ubi illuxit, Acmetes ſecundum flumen iter agere, & uno tempore in itinere, invento vado, copias flumen tranſducere conari. At Germani tanta vi utuntur, ut Acmetes de ſecundo eventu deſperans ſuos revocaret, & paululum ex eo loco procederet. Noctu tormenta bellica prope flumen, ſic animo paratus, diſponit, ut oriente ſole fortunam omnino periclitaretur. Nam, quum ſemel, atque iterum repulſus eſset, ſi conatu deſiſteret, timidiores ſuos, confirmatiorem hoſtium exercitum fieri judicabat. Montecucculus nocte etiam progreditur, ut juxta Acmetem caſtra poneret; iterumque ſuos monet, ut in poſterum magnum animum gererent, quum Acmetes prælio non eſset ſuperſeſsurus. Poſtero die ubi plura equitum millia ex hoſtium caſtris emiſsa cognovit, timens, ne alio loco tranſire vellent, Comiti Joanni Sporchio imperat, ut eorum rationes exploret. Sporchius ut paulatim loci regionem An.1664

Mm 2 ho-

An. 1664 hoſtes ſuperare animadvertit, non dubitandum ſibi exiſtimat, quin pabulatum irent. Proinde, quid ſui, quid Turcæ virtute poſsent, periclitari cupiens, flumen tranantes tanta vi aggreditur, ut ne minimam quidem temporis partem impetum ferre poſsent, ſed incitati fuga in caſtra ſe reciperent. Dum hæc geruntur, Acmetes paulo infra eum locum, verſus vicum Chiesſalum, iter habet. Eo loco ſuorum virtutem experiri optimum ducebat, propterea quod ibi ad decem paſsus flumen in latitudinem patere arbitrabatur. In itinere paucis milites (tantam in eorum virtute ſpem habebat) ad dimicandum confirmat. *Flumen facili tranſitu eſſe: hoſtes perterritos, quum nunquam laceſſiti extra munitiones egredi auſi eſſent. Nunc rem eo ductam, ut locus non magno præſidio eis ſit. Deberent indignari, quod in tanta vicinitate pauci inertes conſpectum tot fortiſſimorum militum ferrent. Jam victoriam, jam gloriam, jam ante omnia prædam in ipſorum manu eſſe. Forti igitur, alacrique animo eſſent, & ſibi, fortunæque gratias agerent.* Hæc quum dixiſset, Scythis, ut primi ſe in flumen demitterent, imperat. Scythæ unis excurſionibus, latrociniiſque nati in acie rem committere timebant; ideo iniquo animo lentius progrediebantur. Quod ubi vidit Iſmael, ipſe prælium inire decernit. Sic enim egregie rei geſtæ gloria invidiam, qua æſtuabat Acmetes, vincere poſse arbitrabatur. Eodem tempore Caplanus, Mehemeteſque aliis locis ſuos tranſducere flumen conantur. Horum tamen alacritatem non ita fortuna comprobavit, ut Iſmaelis audaciam: qui ut in locum minime munitum, quem cuſtodiebant tyrones, impetum fecerat, ad ſex hominum millia flumen traducere, & rei militaris imperitos in fugam dare valuit. Cujus rei eventu magnos ſpiritus ſibi ſumunt Turcæ. Et quum Comes Fucherus hominum millia quatuor contra eos duxiſset, tamen pars in loco muniendo erant occupati, pars fortiter pugnabant, adeo ut initium fugæ facerent Germani, ubi Fucherus inter primos agens occidit. Itaque res ſummis erat in anguſtiis, quum quidquid adderetur ſubſidii, id fugientium timore periculum augeret. Nam ne duæ quidem cohortes, quarum alteræ Smigdius, alteræ Naſsovius præerat, hoſtem inſolentem ſupprimere valuerunt, quin pars loco cederent, pars, Naſsovio mortuo, armis abjectis, ut ſibi ignoſceretur, orarent. Sed ira exulceratos Prætorianos ab inermibus non abſtinere non puduit. Hujus ſævitiæ pœnas Princeps Carolus a Lotharingia ab eis repetit, quum equites, quibus præerat, confertis turmis in eos impetum facere juſſit, & ipſe, ubi plurimum laboris, ac periculi eſse cognoſcebat, eo proceſſit. Venientis humerum haſta ex Turcarum

Præ-

Digitized by Google

Præfectis unus appetit. At Carolus, citato equo, & periculum vitat, & gladio eum confodit. Tantæ audaciæ miraculum obſtupefactos Turcas tenet, donec Montecucculus cum tribus veteranorum millibus pervenit. Tum primum diſperſi colliguntur, & pugnantes Germani firmantur. Tum primum acriter utrinque pugnatur, quum Germani Ducem, qui ſe in mediam dimicationem intulerat, imitari conarentur, & Turcæ audaciam calonum, quos ſpes prædæ ad conſectandos perterritos evocabat, non adæquare turpe ſibi ducerent. Germanis vero animus creſcit, ubi calones, animadverſa contentione, præcipites ſe fugæ mandantes effecerunt, ut reliqui Turcæ pauliſper intermitterent prælium. Quod ubi cognovit Acmetes, calones deteſtatus, ſuos hortatur, *ne inertium fuga perterrerentur: levem eſse timoris cauſam, quando iidem Germani inſtarent, qui ne primum quidem impetum ſuſtinere potuiſſent*. At ubi cohortationes non audiri animadvertit, ſex Prætorianorum millia contra illos, qui in ſiniſtro cornu conſtiterant, mittit. Item Curcum quingentis paſſibus ſupra, & Hibraimum paſſibus ſeptingentis infra eum locum, ubi res gerebatur, tranſire flumen, & circumvenire inopinantes jubet. Magnum uſum habere Acmetes judicabat, hoſtes tot locis diſtinere, ut, quum alter alteri auxilio eſſe non poſſet, aliquo loco victoriæ initium fieret. Ad hos vero caſus omnes (ut manifeſtum Acmetis conſilium ex Gallo habuerat) hæc ſubſidia comparaverat Montecucculus, ut Carolus a Lotaringia, cum mille, & quingentis equitibus Curco officeret, & Sporchius cum equitum millibus binis Hibraimum repelleret. His locis primum tanti periculi res non fuit, quantum terroris Prætorianorum millia ſex fecere, quæ lęvum cornu circumvenire conabantur. Olachium ſiniſtro cornu ab Montecucculo præpoſitum ſupra demonſtratum eſt. Hic ut rei militaris non ſatis peritus erat, ab confertis minus detrimenti accipi poſſe arbitratus, aciem arcte ſtatuit. Sic cuſtodes ex ripa, & palude, quæ ab tergo erat, deducere neceſſe fuit. Quod vitium ab hoſtibus non fuiſſe animadverſum magnæ fortunæ fuit, quum difficulter eo loco depelli potuiſſent, quem nullo cœpiſſent negotio. Nec facile Montecucculo tum fuiſſet binis cohortibus, quas ſubſidio ſuis duxit, ferociorum hoſtium impetum retardare, quando, etſi locus illis præſidio non erat, tantam prę̨ſtiterunt virtutem, ut diu varia fortuna pugnaretur. Quãobrem erat in magnis difficultatibus Germanorum res, maxime quod, creſcente hoſtium numero, Carolus, & Sporchius vix loco non ceſſerunt, quando tyronum cohortes, Turcas negotium confeciſſe exclamando, fugam capeſsunt. Ex his nonnulli Gratium adeuntes, An. 1664

quo

An.1664 quo jam Turcarum victoriæ fama per eos, qui primo fugerant; pervenerat, Montecucculum victum confirmant, Acmetemque, ne hora quidem ad quietem exercitui data, ulteriores in regiones iter habere addunt. Quum inter omnes ſermo hic congrueret, ita multiplicatur terror, ut pars in ſylvas, pars in paludes, alii alios in locos, qui ſalutis ſpem offerebant, ſe reciperent. Neque fama Germaniæ finibus ſe tenet, quin Itali communem dolerent caſum, & maximo afficerentur metu. Fugientium quoque voces minus peritos impellunt Præfectos, ut ad Montecucculum accurrerent, & omnibus orarent precibus, *ne ſuis ſubveniendi ſtudio exercitum in periculum deduceret. Non ignorare ſe, excellentiſſimam eſſe ipſius virtutem, tamen contra tantas difficultates humano conſilio provideri non poſse*. Montecucculus *ſibi maxime mirum videri* demonſtrat, *quod alii, pluſquam ſe, de eventu rerum præſentire arbitrarentur. Sequimini me*, clariore voce inquit; *& extrema experiri conamini. Victoria haud dubia eſt, quando veterani ſuperſunt. Pugnæ nunc, non concilii tempus eſt*. His dictis, citato equo acies circuire, atque omnes confirmare incipiebat, quum ei Badenius occurrit, *atque rem in anguſto eſſe* dicit. *Præſtare reliquis conſulere copiis, quam ſpe prælii reſtituendi exercitum amittere. Sperare ſe, exercitus ſumma ſalva, alias rei bene gerendæ occaſiones nanciſci Germanos poſſe*. Hac oratione permotus Montecucculus, ut conſultatio haberetur, conſenſit, ne collegæ in imperio prope paris animum offendens diſsenſionis cauſa oriretur, & ſic maxima fortuna e manibus dimitteretur. Brevis vero, ut inſtans poſtulabat periculum, conſultatio fuit, quoniam etſi non minima Præfectorum pars *exercitum omnem in periculum deducere ſummæ dementiæ eſse* profitebatur, *quia, quum integri primos tranſitu prohibere non potuiſsent, nunc perculſi noviſſimos ferociores impedire non valerent*, Montecucculus tamen, *ipſorum judicii rem non eſse* demonſtrat, *ea re terreri, qua recreari maxime deberent. Ab Turcis eos, qui in re militari uſum habeant nullum, fuſos eſse; non eſse dubitandum, quin, ſi recentes, ſi integros, ſi veteranos adducat, & omnibus copiis labore confectos hoſtes aggrediatur, Turcarum nomen prope deleatur. Alacri, fortique animo eſsent, quia aliis conſiliis locus non ſit, quum in fuga nulla ſit ſalutis ſpes. Nam præter periculum, in quod venire poſsent, ubi illico ſe Turcæ conſectentur, timendum etiam eſse, ne ab Germania eos prohibendi facultas ſit*. Probant, ac ad cœlum ferunt conſilium Galli, nec ſe itineris laborem ſuſcepiſse confirmant, ut partam jam belli gloriam amittant, ſed ut majorem ſibi pariant laudem. Hæc ubi ſuperat ſententia, Montecucculus in eam par-

tem,

tem, quam ſors obtulit, ad ſuos ad virtutem excitandos contendit. Idem faciunt reliqui Præfecti. Sic ſubito Germani ad ſex millium numerum ad eam partem, ubi plurimum periculi erat, perveniunt. Atrox certamen adeſt, quia Turcas gloria, & prædandi ſtudium, Germanos ſalutis ſpes ad virtutem excitat. Et haud dubie inclinari Turcarum acies poſſe videbatur, ſi Galli eodem tempore inſtarent: idcirco ad Colignium Montecucculus Præfectum mittit oratum, ne moram inferret. Colignius ex ripis cuſtodes deducere nolebat, ne ea flumen Turcæ tranſeuntes ſe aliis intentum rebus circumvenirent. Inque eo perſeveraſſet, niſi Fuilladius, qui equitatui præerat, vir non minoris audaciæ, quam virtutis, eum docuiſſet, *extremis rebus medendum extraordinariis conſiliis: nec conſiderati hominis eſſe magis futuri, quam præſentis periculi rationem habere. Si Germanos Turcæ ſuperaverint, nullam reſtare ſalutis ſpem. Eniteretur igitur una cum eis vel vincere, vel mori.* His impulſus vocibus Colignius, acriter pugnantes Turcas omnibus aggreditur copiis. Inter hęc Montecucculus mille, & quingentos Carolo, totidem Sporchio ſubmittit pedites. Quorum adventu confirmati Germani equites, tanta vi in Turcas feruntur, ut puncto temporis eos funderent, fuſoſque conſectarentur. Plures in fuga interficiuntur, reliqui vel vi fluminis abrepti, vel a ſuis oppreſſi pereunt. Ab his initium victoriæ factum eſt, quoniam alio loco quamvis ab Germanis, & Gallis Turcæ premerentur, tamen, quum in Acmetis conſpectu ſuam probare operam exoptarent, negotio non deſiſtebant. Hortatur quoque eos Acmetes, *ne ſubito terrerentur: virtute, & patientia omnia vinci. Cum iiſdem rem eſſe, quos primo adventu fudiſſent. Summæ rei diſcrimen ex timidis fortes eos feciſſe; ſed non ita, ut diu contra conſiſtere audeant, ubi eoſdem eſſe Turcas cognoverint. Nihil referre, utrum primo, an nunquam ſe viros eſſe demonſtraviſſent, quando victoria penes hoſtes remaneat.* His vocibus inſtinctos Turcas quum Montecucculus innixos ſtare videret, licet atrox cædes circa eorum ſigna eſſet, ſuos monet, *ne ſe obſtinatione ab Turcis ſuperari paterentur. Virtute ipſos reſtituiſſe prælium, virtute victoria potiantur, oportet. Si nunc contentionem non præſtarent omnem, nequicquam ad conandum aliud expectaturi tempus eſſent. Actum de ſalute, de religione, de patria eſſe, niſi Turcas repellerent.* His, & aliis excitati Germani, etſi extrema tentabant, tamen adhuc ancipiti pugnabatur prælio. Quod ubi cognovit Montecucculus, Pium, & Fuilladium cum hominum millibus tribus magno circuitu per ſylveſtres locos ad hoſtes An. 1664

cir-

Digitized by Google

An. 1664 circumveniendos mittit. Qui ubi pervenerunt, ac de improviſo hoſtes adorti ſunt, tantum profecerunt, ut ii nullius magis rei, quam fugæ memores arma abiicerent. Conatur tamen Acmetes recentes defeſſis ſubmittere, atque precibus, & præmiorum ſpe perculſos confirmare. Quæ ubi fruſtra eſſe animadvertit, precibus ad minas verſus, prælium reſtituere adnititur. At ab hac quoque ſpe repulſus, nominatim aliquos ex Præfectis appellat, & ſe ſequi jubet. Qui quum verſari in media pugnæ mole nollent, imperio non parent, etſi eum in flumen ſe demiſiſſe cognoſcebant. Tum Acmetes in maximum venit periculum, quoniam ex infimis quidam ordinibus Germanus miles eum confectatus eſt. Quamobrem, deſperatis rebus, conatu deſiſtit, & quia, ne illico flumen tranſirent victores, timebat, tormenta, impedimenta, ac ſarcinaria jumenta relinquens, ut fugæ ſimilis diſceſſus videretur, effecit. Quum horæ iter proceſſiſſet, & Montecucculum ne equitatum quidem ad ſe conſectandum miſiſſe cognoſceret, loco admodum natura munito ſubſiſtit. Quum tantus Acmetem invaſiſſet timor, tamen metus ne, an dolor apud eum plus valuiſſet, facile judicari non potuit, quum complures ipſe gladio interfeciſſet, viginti Præfectos capitis damnaſſet, & quadraginta loco moviſſet, & gregarios, quos fortiter ſe geſſiſſe cognoverat, in eorum locum traduxiſſet. Miſit præterea ad Montecucculum legatos oratum, *ut quos haberet in poteſtate Præfectos, eos liberaliter habeat, donec vel eos pecunia redimeret, vel per conditiones ſibi reſtituerentur*. Maximo igitur dolore afficitur, quod omnes, quorum mentionem ſupra fecimus, eandem tuliſſe fortunam, atque Emirus tulerat: qui quum vexillum Mehemeti ſacrum unus geſtare per leges poſſet, quod ab Mehemete prognatus eſſet, in flumine deprehenſus interfectus eſt. Præter vexillum militaria ſigna centum quinque & viginti quoque amiſſa. In acie millia Turcarum ſeptena; millia autem novem in flumine periiſſe fama divulgavit. Præfecti propter virtutem notiores deſiderati ſunt omnes. Unus Caplanus primum pro occiſo ſublatus, deinde magna diligentia curatus convaluit, & ſuæ audaciæ fructum tulit, quum officio maritimo ab Rege præficeretur. Ex Germanis, Galliſque circiter mille conciderunt: ſupra vero mille vulnerati. Qui dubiis rebus in fuga ſpem omnem poſuerant, in vincula conjecti ſunt. Qua de re gratulatio inter eos fit, qui paulo ante perterriti ad vota, Divoſque multis cum lacrymis ſe converterant. Non minori lætitia afficitur Cæſar, ubi per Maſcherium cohortis Præfectum fortiter omnium acta, ac ſummum Montecuc-

culi

Digitized by Google

culi conſilium cognovit. Propterea templum D. Dominico ſacrum, Deo gratias agendi cauſa, adit. Atque ut optime de ſe meritis militibus gratiam referret, celeriter frumenti vim in caſtra mitti, ſtipendiumque omnibus dari jubet. Pleroſque, quos virtute reliquos præceſſiſſe acceperat, militaribus donis, ac pecunia donat: Præfectis nonnullis, in iis Pio, & Taſſo ipſorum virtutis memorem fore ſcribit. Montecucculo majore cum imperio belli ſummam permittit: Sporchium, Schedinavium, Pium, Spaarum ad ſuperiores ordines pro merito traducit. Præterea quatuor peditum millia, ac equitum millia bina Altemburgo ad Montecucculum contendere jubet, ut majore vi victoriam exercere poſſet. In caſtris ubi Cæſarem tam gratum ſe præbuiſſe, ac ita fortia facta probaſſe compertum eſt, multo major alacritas negotii conficiendi omnibus innaſcitur. Proinde ad Montecucculum concurſus fiebat, ac nunquam ſuper conſilium, ac diligentiam fortunam fuiſſe palam dicebant. Alia ratione bellum adminiſtrari potuiſſe negabant. Galli præcipue, qui ſub peritiſſimis Ducibus militiæ operam dederant, maximum eſſe Ducem Montecucculum confirmant. Nec aliam opinionem de tanto viro Acmetes habebat; quoniam eum unum ſuis conſiliis offeciſſe expertus erat. Non defuerunt tamen alterius gloriæ invidi, qui ejus diei exitum potius Acmetis imperitiæ, ac temeritati, quam Montecucculi conſilio, ac virtuti tribuendum exiſtimarent; propterea quod nulla ratione veteranos Germanos, Galloſque ille ita deſpexerat, ut ad iniquam pugnandi rationem deſcendere non dubitaviſſet, quando rem conſequi potuiſſet, ubi Sangottardum expugnaſſet. Acmetem ergo in tanto ſuorum metu unum recreabat, quod, imbre coorto, aqua Arrabonis fluminis ripas ſuperaviſſet, ut hoſtem ad ſe inſequendum tardaret. Nam magnam accipere calamitatem expectabat, (tantum Germanos, Galloſque recentis victoriæ opinione, & virtute poſſe arbitrabatur) ſi pugnæ eis copia foret. Quumque Præfecti omnes infamiæ notam delere exoptarent, ac ob eam rem peterent, *ne dubitaret aliquod oppidum aggredi, ut ſuam experiretur virtutem*, tamen ſummæ dementiæ ſe accuſandum eſſe Acmetes profitetur, ſi, fortibus viris amiſſis, fortunam periclitari exoptaret. Ob hanc rem, & aliis de cauſis ad Albam Regalem caſtra movet. In itinere cum copiis, quæ ab Aſia veniebant, ſe conjungere ſperabat. At tantus erat omnium timor, ut ſemper Germanos adventare arbitrarentur. Nec dubium erat, quin calamitatem accepiſſent, ſi reliqui Duces Montecucculo auſcultare voluiſſent. Demonſtrabat Montecucculus, *turpe eſſe perculſis hoſtibus parcere: & quoniam ad fi-*

An. 1664

An.1664 *nem laborum perveniſſent, ne gravarentur itineris incommodo victoriam confirmare*. At ii, quibus Cæſarem dominatu auctiorem eſſe non placebat, rei frumentariæ anguſtias, ac exercitus defeſſi pericula vereri ſimulantes, inſudati jam laboris fructum percipere impediebant; quia neque cum omnibus copiis conſequi Acmetem voluerunt, neque equitatum ad noviſſimum agmen carpendum, ac ad explorandum mittere optimum ducebant. Montecucculus tamen Nadaſtium, qui hoſtium exploraret rationes, cum Croatis, Pannoniiſque mittit, ipſe poſtero die caſtra movet. Ubi Sopronium minoribus itineribus pervenit, Sulzbachiū ad Cęſarem mittit, *qui diceret, ne mirum videatur, ſi iter a propoſito diverſum habendo rei bene gerendæ occaſionem dimitteret, propterea quod aliqui privata conſilia in difficultates viarum, atque in rei frumentariæ anguſtiarum ſimulationem conferant. Præciperet, quid agendum in tanta diſſenſione putaret: ſe omnia facere paratum fore*. Sub idem tempus Bernardus Calenus Monaſterienſium Epiſcopus, & Badenius Durlachius Marchio in caſtra perveniunt. Hos, ut ſupra demonſtravimus, Germaniæ Reguli mittunt ſpecie continendarum copiarum in officio, re autem ipſa, ut Cæſarem uti victoria impediant. Idcirco non immerito quidam dixit, eo tantum tempore experientia compertum eſſe, dilationem aliquid commodi attuliſſe: nam ſi citius, quid in mandatis eis darent, conveniſſet, haud dubium erat, quin prius in caſtra perveniſſent, & ſic adipiſci victoriam impediviſſent. Simul primum Calenus, Durlachius ad munus evocati fuere, de iis rebus, quæ eis in mandatis darent, diſceptari cœptum eſt. Sed magno temporis ſpatio conſumpto, Kalendis Junii Joannes Philippus Scenbornius, & Guido Ubaldus Tunnius, Maguntinorum alter, alter Salisburgenſium Archiepiſcopus Ratisbona diſcedunt. Interim, qui remanſerant, de aliis diſcernunt controverſiis. Comes Valdechius, qui Olachio adjutor ſubmiſſus erat, equites ut circum ſe cuſtodiæ cauſa haberet, petebat. Diſceſſerunt in duas partes omnes. Pars petenti adeſſe, pars ei morem gerendum negare. Tandem etſi majori parti placuit, ut ex iis, quos circum ſe haberet Olachius, quinque & viginti Valdechio attribueret equites, tamen, contradicentibus nonnullis, re infecta Valdechius diſcedit. Sexto Kalendas Sextilis Tunnius Ratisbonam repetit. Eodem biduo poſt Scenbornius venit. Qui, quantum authoritate valent, enituntur, ut controverſiis finis fieret; ſic communi conſenſu, quid ex uſu Germaniæ eſſet, decerni poſſe cognoſcebant. Horum authoritate cuncti permoti, nonnulla mandata Caleno, collegæque dare contenti fuere. Quorum hæc erat

ſum-

ſumma. Curæ ipſis eſſet, ut omnes in eadem permanerent libertate, utque Cæſar auxiliis ſolum contra innatos Chriſtianorum hoſtes uteretur. Caverent, ne ad diſſenſionem res deducatur, ex quibus omnia oriri mala neceſſe eſt. Stipendium militibus reddendum curarent. Darent operam, ne pabuli, ac frumenti inopia eſſet. In officio omnes continerent, ne injurias milites cumulantes Pannonios ab Cæſare alienarent. Moldaviæ, Valachiæque Principes ab Turcarum amicitia averterent, & eos, alioſque Cæſari, ſi poſſent, conciliarent. Conſilia ſoli haberent; nec quidquam aliis enunciarent. Monerent Duces, ut omnem diligentiam, quam neceſſitas requirat, adhiberent. Bellum, niſi de communis totius Germaniæ concilii ſententia, non componerent. Maguntinorum Archiepiſcopum de omnibus, quæ in caſtris gerantur, certiorem facerent. Hæc ſcripta mandata eis dederunt. Cæterum alia addiderunt, quæ nunquam divulgata dicuntur, quum, ut penitiſſimo pectore ea abſconderent, eos monuiſsent. Hæc omnia Cæſari ſunt enunciata, ut ea probaret. Qui conſulto tempus primo traxit, deinde iis rebus ſe eſſe contentum confirmavit. Sed ne tunc quidem ad exercitum contendere Calenus, Durlachiuſque valuerunt, quia, quum Cæſarem vellent adire, petebant, *ut litteræ ad eum communi nomine, quæ muneris teſtimonio eſſent, mitterentur*. Sed controverſia orta, Calenus ſubito diſcedit, Durlachius fruſtra aliquot expectavit dies. Idem facere decreverant illi, quos conſilii cauſa delegerant: ſed, quum ex eis duo ſacramento cavere negarent, ſe nihil, niſi quod ex uſu totius Germaniæ eſſet, acturos, omnes maxime perturbantur, *& haudquaquam diſcedendi poteſtatem ſe ipſis facturos, niſi jurarent*, profitentur. Hi rem ad Cæſarem deferunt, qui, concilio convocato, rem diſtrahit. Quod ubi Calenus, Durlachiuſque cognoverunt, ad exercitum eo tempore contendunt, quo omnes gloriæ, & prædæ ſtudio Albam Regalem petere cupiebant. Quum pervenere, profectionem in poſterum transferunt. Interim concilio habito, *ſummæ ſe iniquitatis accuſandos* dicunt, *ſi majoribus obiicere laboribus milites vellent*. Nec aliud obtinere ii valuerunt, qui *turpe eſſe* demonſtrabant, *ipſorum adventum exploratam interpellaviſſe victoriam*, quam ut, viginti diebus ad quietem exercitui datis, hoſtem conſequerentur. Hæc ſententia ea de cauſa etiam ſuperat, quod Sulzbachius Vienna reverſus, Cæſarem ad Duces rem omnem rejeciſſe confirmavit. Plura alia demonſtravit Sulzbachius, quæ memoriæ prodenda non exiſtimo. Quibus reſponſis acceptis, Montecucculus eo Cæſarem nihil mandaviſſe ſuſpicatur, quod pax fa-

An.1664 cta eſſet. Hæc exierat ſuperioribus diebus fama, quod magnis itineribus nuncius ab Reningherio miſſus Viennam petierat, ſed rei fides non fuerat, quod Cæſar ſummo ſtudio ab Ferdinando Maria Bavariæ Duce, & ab aliis, quorum ſummam in ſe voluntatem perſpexerat, auxilia accerſeret, & ab Germaniæ Regulis rei pecuniariæ ſubſidia peteret. Sed Montecucculus, aliique omnia occulta habebant, quamvis quotidie Viennæ conſultationes de pace haberentur. Jam Acmetes diffiſus bellum trahere ſine veteranis, quos jam ſuperioribus amiſerat pugnis, fractus calamitatibus ab Suchio, & Montecucculo illatis, dejectus ſpe auxiliorum Abbaffi, & haudquaquam Pannonios ſe cum Turcis conjungere velle exiſtimans, item Provincias magno, ac diutino bello confectas de omnibus abnuere cognoſcens, firmare pacem optimum judicabat: porro in ſpem veniebat, ſi in hyemem bellum duceret, tempus ad omnia paranda interceſſurum, ut inſequente æſtate amiſſam recuperaret gloriam. His de rebus vagus, incertuſque agitabatur. Erant in caſtris Mehemetes, & Haſſan, quibus familiariſſime Acmetes utebatur, quod eos magni conſilii viros eſſe exiſtimabat. At hi, utpote Chriſtiani, qui vanam ſuperſtitionem amplexi erant, timebant, ne Acmetes crederet, ſe Baldaſſaris Galli veſtigiis inſiſtere velle. Ob hanc rem nequaquam ejus abditos ſenſus elicere enitebantur, ſed ſolum, ut ſuſpicionem omnem vitarent, ſimulque in familiariorem uſum ſe ei inſinuarent, ſermones illos ferebant, quos aptos ad depellendas animi moleſtias arbitrabantur. Acmeti enim poſt pugnam nox quieta nulla erat. Igitur quum media nocte requieſcere non poſſet, Haſſanem, Mehemetemque ad ſe vocat, atque omnia, quæ ſuperius retulimus, exponens, eorum ſciſcitatur ſententiam. Tum Haſſan, *neſcire ſe* dicit, *utrum majores nunquam ſe novo onerare bello noluiſſent, quia Deo magnam aviditatem cordi non eſſe judicaviſſent, an quod ſolos ad omnia ſufficere non poſſe cognoviſſent. Non ignorare tamen, eos id inſtituiſſe, & magno cum periculo alios eorum ſpreviſſe exempla. Nec alia de cauſa ſuperiore anno, licet inopinantes Germanos deprebendiſſet, ipſum minus opinione profeciſſe, & boc anno calamitatem accepiſſe. Haud dubium eſſe, in majora mala Turcas præcipitaturos, niſi in majorum veſtigiis ponere pedes velint. quum invitati prædæ, gloriæque occaſione Chriſtiani Reges jungere arma poſſint. Præſtare expugnati Citai laudem ſine periculo ſuam facere, quam Pannoniæ perdomendæ ſtudio in periculum venire. Se libere, audacterque locutum, quia, quum ipſius gloriam primam babeat, non ſine maximo dolore rem non ſucceſſiſſe cognoſceret.* Vera Haſſanem locutum confirmat Meheme-

hemetes, & in una pace periculi vitandi rationem conſtare docet. An. 1664
His rebus magna ſollicitudine afficitur Acmetes, quia, ne pacem petendo ſuum metum ſignificaret, & Germanos ferociores efficeret, verebatur. Quum hæc diu ſecum volviſſet, commodiſſimum judicavit, in bellicos apparatus ingenii, animique vires profundere omnes. Sic Reninghero, ſic Cæſari, ſic Chriſtianis omnibus terrorem inferre poſſe ſperabat, adeo ut ab eis mentio pacis inferretur. Hæc ſpectans, quotidie ad ſe Reningherium vocabat, ſermoneſque compoſitioni aptos ſerebat. Quod quum præter conſuetudinem fieri Reningherius animadvertiſſet, ab armis Acmetem diſcedere velle conjectat. Quamobrem, quid propoſiti haberet, cognoſcere exoptans, in eum ſermonem ingredi optimum judicavit. Acmetes quum nihil aliud expectaret, quam ut ab ipſo initium de pace agendi naſceretur, ſubito *ſe pacem Cæſari dare paratum eſſe* demonſtrat, *quando æquas accipere conditiones non reſpueret.* Reninghérius nihil certi reſpondens, noctis ſpatium ad conſilium capiendum poſtulat. Quod ubi obtinuit, magna difficultate ad liberandum afficiebatur: nam ſi bellum non componeret, quum Acmetis, quia explorandi cauſa eam inſtituiſſe orationem ſuſpicari poterat, tum maxime Cæſaris iram verebatur, quod optatam pacem, quum poſſet, non firmaret: porro ſi pacem faceret, in maximum periculum ſe venturum arbitrabatur, ſi probare conditiones Cæſar negaret. Hoc accidere veroſimilius poſſe judicabat, quum, commutatione rerum facta, voluntatis quoque commutatio fieri poſſet, eo magis quod vel exercere victoriam, vel æquiores obtinere conditiones res daret. His difficultatibus circumvento conſilia cum Caſanova, quem Cæſar ſibi adjutorem ſubmiſerat, communicare optimum viſum eſt. Res diſputatione ad primam lucem perducitur, tandem, ut iis conditionibus, quas antea Cæſar propoſuerat, rem ad otium deduceret, convenit, quia ſi Cæſar ſe revocaviſſet, enunciandam ipſis rem curaviſſet. Hic omnia commemorant, quare Cæſari pacem firmare oporteret, quæ ut ſuperius recenſui, & infra proponenda ſunt, nunc libenter omitto. Mane igitur Reningherio Acmetem conveniente, conditiones convenere omnes: ſolum controverſia extitit, quod, *ut alii Tranſylvaniæ Principatum adjudicare liceret*, Acmetes petebat. *Abbaſſum ingratum Turcis fuiſſe: idcirco non pertinere ad Turcarum gloriam magis, quam ad Regum omnium ſecuritatem hoc inſtitui exemplum, ut ab tanto vitio mortales deterreantur*. Sed quum hoc probare ſe poſſe Reningherius negaret, viginti annorum inducias æquis conditionibus paciſcitur: quarum hæc erat ſumma.

An.1664 ma. Michael Abbaffus Tranſylvaniæ Principatum obtineret; qui ſexies centena nummorum aureorum millia Turcarum Regi ſolvere debeat. Abbaffo mortuo, Tranſylvanorum ſuffragio Princeps crearetur. Eiſdem legibus, ac inſtitutis Tranſylvani uterentur, ac in eadem libertate, atque ante bellum, permanerent. Zatmarienſem, ac Bihorienſem pagos Cæſar obtineret. Turcæ Varadinum, Neoſelium, aliaque Tranſylvaniæ oppida, quæ recepiſſent, retinerent. Cæſari Nitriam, aliaque oppida munitionibus firmare liceret: Turcis vero hæc poteſtas non eſſet. Zechelidis arx, ne alicui officeret, ſolo æquaretur. Hæc omnia latinis, ac Turcicis litteris conſcriberentur, ac exempla ad Cæſarem, & Mehemetem mitterentur. Utque fides dari, & accipi poſſet, utrinque legati cum donis mitterentur. His rebus actis, ſuum familiarem Acmetes ad Regem mittit, qui doceret, *ſe ad hoc deſcendiſſe conſilium, quod nullam uſus belli peritiam, ac virtutem militibus eſſe cognoviſſet: æquiſſimis conditionibus caviſſe, ne rerum egregie ab majoribus geſtarum gloriam ignaviſſimi homines ſuis turpiter factis amitterent. Ne igitur dare fidem magno cum periculo abnueret*. Tanta pacis cupido Acmetem tenebat, ut non immerito nonnulli opinati eſſent, eum Varadinum, Neoſeliumque iterum Chriſtianorum fieri paſſurum fuiſſe, ſi eam unam compoſitionis conditionem eſſe Reningherius profeſſus eſſet. At Reningherius timens, ne Cæſaris animum offenderet, ſi alias conditiones proponendo, ut a compoſitione Acmetes abhorreret, efficeret, ſolum illis contentus fuit. His conſtitutis rebus, Cæſarem de omnibus facit certiorem: qui Conſiliariorum ſuffragiis rem permiſit. Inter quos quum controverſia exiſteret, res diutius ducta eſt, ita tamen, ut nunquam in vulgus allata fuerit. Et quia conſultationibus Viennæ habitis, nihil convenerat, Eberſtorfium venandi cauſa ſe Cęſar confert; ibique quotidie, quos idoneos ducebat, ad concilium convocabat. Tamen, quia non una omnium ſententia erat, ex die dies ducebatur. Tandem, quum eſſet amplius quadraginta diebus diſputatum, Lubcovitius in hunc modum differuiſſe dicitur. *Si quis unquam in longiorem diem conferre rem adhuc velit, quod prudentis viri eſſe ſibi perſuaſiſſet, recte æſtimare rem, in qua omnium ſalus poſita eſt, haud dubie eum errare confirmo. Nam non ſemper, quæ prudentia appellatur, ea eſt, ſed plerunque timor, & rerum imperitia. Eo non tantum contendo, ut mea obtineat ſententia, quantum peto, ut, quod iniri conſilium debeat, illud opportune ineatur. Aut arma parare, aut ab armis diſcedere oportet. Quid ergo, quaſi uno conſilio opus ſit, utriuſque curam omittitis? Non in-*

inficias eo, priuſquam res aggrediaris, conſulere oportere, ſed conſultando opportunitates dimittere optimum eſſe nego. Nam quem ex Chriſtianis eſſe putatis, qui iſtam conſilii rationem non deteſtetur, quum nos uti victoria nolle intelligunt? An omnes ita rerum imperitos eſſe putatis, ut occidione occidi perterritos Turcas, oppida expugnari, aut ſaltem amiſſa recuperari potuiſſe non cognoſcant? Non idcirco mei conſilii eſt bellum trahere, ſed iniquiſſimis conditionibus minime ab exercitibus diſcedere, quando æquioribus componi res poteſt. Nunquam me legiſſe, aut audiviſse recordor, ea parte aliquem fuiſſe contentum, qua, priuſquam victoriam adipiſceretur, contentus erat, niſi in ſupplices, & ſubjectos miſericordia ſe uſum eſſe demonſtrare voluiſſet. Videte igitur, ſi infeſtiſſimo, ac potentiſſimo hoſti parcere deceat, ab quo non injuriæ modo, ſed calamitates nobis illatæ ſunt. An ab injuria hujus beneficii memoria Turcas temperaturos in reliquum tempus exiſtimatis, quando, ut libera facultas ſit in Pannoniam exercitus introducendi, Varadinum, Neoſeliumque retinere enituntur? Nulla ratione ei parcitur, quem non ſolum aliis nunquam peperciſſe compertum eſt, verum, quum facultas ſit, minime ignoſcere in animo habere conjectas. Dementiæ eſt, miſericordia uti, quando in miſeriam converti poteſt. Nunc tantæ potentiæ imminuendæ tempus eſt. Nunc in multas ætates belli differendi occaſio videtur, quum, deleto exercitu, opportuniſſima oppida in poteſtatem redigere poſſumus. Et hoc non difficile eſſet, quum quod omnes Germani auxilia, & pecuniam conferre parati ſunt, tum quod Alexandrum Pontificem Maximum Chriſtianorum Regum unum conſilium effecturum ſperare licet. Quæ ſi non procederent omnia, tamen Montecucculo optimo Duci, fortiſſimiſque Germanis ignaviſſimos adverſis rebus exterritos delere facile erit. Quod ſi hanc accipere ſententiam nolitis, (neque, ut vos in eam traham, tendo) ſaltem reſpiciatis, oro, utrum induciæ inſidiarum quidquam habeant, necne. Nam dulci compoſitionis nomine nunc capi non modo turpe, ſed nefas ſapientiſſimis viris eſt, propterea quod periculum eſt, ne Pannonii frequentibus excurſionibus vexati Turcarum fidei ſe permittant. An eos, qui per ſe parum fidi ſunt, hac impulſos occaſione id conſilii non eſſe inituros confiditis? An omnia belli fortunæ committere, quæ varios afferre ſolet caſus, periculoſum non ducitis, quia, quum longe viris, armis, pecunia opulentiſſimus Turca, quam Cæſar ſit, rem ſecundam non ceſſuram judicatis? Et cur potius non reſpicitis, quid accidere nobis poſſit, quando, paratis de integro omnibus, ingentem exercitum ad Germaniam oppugnandam ducent, quum hoc tempore, quo Turcarum res in An. 1664

ex-

Digitized by Google

An.1664 *extremo ſita eſt, vobis diffidatis. Nec conſuetis, nec extraordinariis remediis tunc ſiſti poterit: actum de Pannonia, Germaniaque erit. At rem non ita ſe habere ex eo potiſſimum cognoſco, quod, quum, florentibus ſuis rebus, magno rerum omnium apparatu contra nos incautos veniſſent, tamen victi nunc pacem petunt, quam irritam fecerunt.* Lubcovitio, ubi finem dicendi fecit, nonnulli aſſentiebantur, quod nimis durum videbatur, victores iis conditionibus uti, quæ ab victis latæ eſſent. At Portia rogatus ſententiam ita locutus fuit. *Etſi præter omnium opinionem accidit, ut victoria penes nos remaneret, tamen magis mirandum viſum eſt, Acmetem paci ſtudere. Nam ſicut nemo ignorabat, Turcis in tanto imperio neque pecuniam, neque alia, quæ ad bellum pertinent, deeſſe poſſe, ita exercitum ex variis hominum generibus conſtantem, cui plures præſunt Duces, victoria difficile potiri poſſe cuncti arbitrabantur. Sed Deus, cui Chriſtianæ Reipublicæ excidium cordi non eſt, eam dedit Acmeti mentem, ut ad iniquam pugnandi conditionem deſcendere non dubitaret, licet ſummum Ducem Germanis adeſſe intelligeret. Qui quum nihil intentatum relinqueret, & loci æquitati conſideret, non tamen procul fuit, quin auxiliarium cohortium ignavia maxima acciperetur calamitas. Quum ergo & aliis ex rebus, & ex ejus diei eventu fortunam ſæpe fallere expectationem omnium conſueſſe cognitum ſit, cur omnia ei committere pulcherrimum ducitis? Sed hæc, & his ſimilia libenter omitto, quia, ſi multum hæc cogitatio apud omnes poſſet, qui bellum gerere vellet, non reperiretur. Propterea de iis potiſſimum dicam, quæ inclinare ad compoſitionem nunc animos poſſunt. Bene, & pro ſua dignitate Lubcovitius de omnibus diſſeruit: quæ ut referam, ſatis cauſæ non videtur, quum ea neque ut probem, neque ut refellam, inclinat animus. Quis enim non eſse æquum non intelligit, eaſdem accipere conditiones victorem, atque dubiis in rebus accepiſset? Quis victoriam non provideret, ſi ſummo ſociorum ſtudio Cæſar uteretur? Haud dubium eſset, quin veniri in certiorem profectus ſpem poſſit. Sed quum ſuſpecta Cæſari Germanorum etiam, non Gallorum ſolum auxilia ſint, atque tantam belli molem ſuſtinere ſolus non poſſit, quis, bellum trahendo rem in diſcrimen deduci, probare poteſt? Eo res ducta eſt, ut magis Germani nunc, quam Turcæ ſint pertimeſcendi. Nam his armatis reſiſtitur armis, at illis, dum Cæſari invident, & occulte dolo nituntur, quando melius offici poteſt, quam in otio? Non enim abeſt ſuſpicio, quin nonnulli, ut Cæſarem ad bellum incitent, auxilia mittant, quæ utilia non ſunt. Hac ratione eum, imminutis opibus, infirmiorem redigi poſſe confidunt. At hæc opinio certo ipſos falſos habebit; quoniam ve-*

veneno illitum eſſe munus cognitum eſt, quum non pecuniam, ſed milites illos conferre voluerunt, qui initium fugæ faciendo rem in dubium devocarunt. At hoc ſatis non fuit, quin operam darent, ne partam victoriam Cæſar exerceret. Quod ſi hæc omnia in unum congruentia haud dubiam eorum non facerent voluntatem, nonne novis rebus ſtudere Germaniæ Regulos illos apparet, qui contra omnia vetuſtatis exempla fœdus cum Ludovico Galliæ Rege fecerunt? Nonne alta nimis cupere Ludovicum ex eadem re cognoſcitis? An incerto authore rumor exiit, Ludovicum conciliare ſibi velle Germanorum animos eo conſilio, ut in Romanorum Regem eligi poſſit. Ad hanc rem ſuſcipiendam adjuvat adoleſcentia, adjuvat animi magnitudo, adjuvat ſumma potentia. Videte igitur ſi gerere bellum expediat, quando ex Turcis victoriam parere nequimus, & in aliam partem mens trahatur, oportet. At dicunt vel bello, vel æquiore pace opus eſt, ne Pannonii deſtituti ſibi diffidant. An inita ratio non eſt, qua Turcas a Pannoniæ noſtræ finibus prohibere poſſumus, quum urbes muniendi, propugnacula opportunis locis excitandi nobis ex conditionibus facultas ſit? Quid igitur alias proponendo conditiones Turcis iterum bellum, & arma ſpectandi occaſionem dabimus, quum nunc omnibus ex partibus metus ſeſe oſtendat, & alio tempore, Germanis unum ſentientibus, certiore ſpe victoriam adipiſci poterimus? Hac oratione cuncti permoti, non eſſe cunctandum cenſent, quin negotium perficiant, maxime quod Philippi Hiſpaniæ Regis legatus Cæſarem hortabatur, *ut, quibus poſſet conditionibus, rem ad otium deduceret, quia Philippus ipſi auxilio eſſe non poſſet alius belli timore*. His de cauſis jam belli componendi cupido Cæſarem cœperat, ſed ne Germaniæ Regulorum animos offenderet verebatur, ſi, ipſis inconſultis, fidem daret. Igitur quum alius aliud diceret, Aveſperghius *haudquaquam dici poſſe* confirmat, *inſcientibus eis ab armis diſcedi, quando quum Goeſio, tum Reninghberio conciliandæ pacis facultatem permiſſam omnibus enunciatum eſset*. Non ingrata Cæſari hæc ratio fuit; propterea ubi hæc omnia eis ſcripſit, immortales omnibus agit gratias, quod communis periculi rationem habuiſſent. Docet *æquiſſimas eſſe conditiones, quia non amplius Tibiſcus flumen ſuum imperium finiret, & Pannoniæ, Germaniæque novis munitionibus conſulere poſſet*. Hæ litteræ Germaniæ Regulis voluptatem non attulerunt, etſi tributo ſe vacaturos intelligebant; ſed pars ſe ſpretos querebantur, quod, inſcientibus omnibus, tranſacta res ſit, pars occaſionem rei bene gerendæ omiſſam eſſe dolebant, alii alia privata cauſa conſilium improbabant. Dum hæc agebantur, etſi caſtra pervaſerat

An. 1664

An.1664 rat rumor, eſſe pacem factam, tamen, quia Acmetem caſtra ad Strigonium moviſſe intelligebant, de ratione belli adminiſtrandi conſultare neceſſarium ducebant, maxime quod non aberat ſuſpicio, quin pontem ibi reficere Acmetes vellet. Eaque Montecucculo confirmatur opinio, ubi poſtridie per ſpeculatores cognovit pontem eſſe refectum. Propterea de Præfectorum conſilio Rodulphum quendam, qui navibus longis præerat, naves cum mille & quingentis conſcendere, & Strigonium pontis interrumpendi gratia contendere jubet. Cui ut animus amplior eſſet, ut Zeiſes cohortis Præfectus cum armatorum millibus binis eodem proficiſcatur, præcipit. Quæ ut proſpere cederet res, Rodulphus, Zeiſeſque tempus definiunt, quo rem ſuſciperent. At quum Zeiſes in parandis rebus ad pontem interrumpendum aptis paululum moratus eſſet, ad noctem præſtitutam non venit. Rodulphus ubi pervenit, negotio deficere nolens, ignem navibus pontis infert. Jam quatuor conflagraverant naves, quum Turcæ certiores de periculo per vigiles facti, arma ſumunt. Tum Rodulphus, ad viginti amiſſis, ſe Comaram recipit. Zeiſes mane per captivos Rodulphum diſceſſiſſe cognoſcens, iter Nitriam convertit. Quod ubi ad Montecucculum perlatum eſt, quum jam, concilio convocato, fere omnium ſententia fuiſſet, ne, diminutis copiis hoſtem perſequendo, rem in diſcrimen deduceret, optimum eſſe judicavit iterum ad Arrabonem contendere, ibique auxiliorum adventum expectare. Interim nuncius ab Cæſare ad Montecucculum venit, qui Traunium, & Suchium tum ipſius, tum Caleni, Durlachiique adventum Poſonii expectare docuit. Montecucculus ſubito Poſonium contendens, cum Suchio agit, ut copias, quibus ipſe præſit, educi ex Cituorum inſula, & Altemburgum iter dirigere jubeat, ut alter Strigonium oppugnaret, alter venienti ſubſidio ſuis Acmeti officeret. Paulo poſt Calenus, Durlachiuſque veniunt: qui conſilium non probavere. Ea ſpe lapſus Montecucculus, ut ſaltem perterritum hoſtem aggredi liceat, petit; quoniam, conjunctis exercitibus, periculum non eſſet, ne militum paucitate calamitatem acciperent. Hoc fieri oportere Suchius, Trauniuſque confirmant. At Durlachio, quid labori, ac inopiæ optime de Cæſare meritos milites obiicerent, rogitante, quum Turcæ in manus eſſent venturi, Calenus *ad Vagum flumen exercitum rapere optimum eſſe* demonſtrat, *propterea quod eo loco Pannoniam, Germaniamque juxta tegerent, & quacumque iter habentibus Turcis occurrere poſſent, ac flumen perrumpere conantibus certa ſpe officere valerent. Utque flectere, qua placeret, poſſent,*

duos

duos eſſe inſtituendos pontes proponit, alterum prope Comaram, alterum prope Guttam. Hæc vicit ſententia, etſi Montecucculus acerrime repugnavit, adeo ut poſtea nonnulli exiſtimarent, Cæſaris ad eum mandata fuiſſe delata, ut in aciem rem illico committeret. Nam, ſi Turcarum exercitum deleret, fidem dare nolebat, ſi vero æquo prælio diſcederetur, ſublata proficiendi ſpe, bellum componere exoptabat. Sed hanc vanam fuiſſe ſuſpicionem mihi conſtat. Conſilio inito, Calenus Comaram, Jaurinumque petit, ut munitiones coram perſpiceret; Durlachius Viennam proficiſcitur; Montecucculus vero ad exercitum contendit. Qui vix eo pervenerat, quum per exploratores cognoſcit, Turcas ſtativa non procul Strigonio habere, & primum agmen trans Danubium ſtare, majorem vero exercitus partem citra flumen reliquam eſſe. Huic rei etſi fidem præſtare non poterat, quod non tam rerum imperitum Acmetem exiſtimabat, ut primum agmen ab reliquis ſecluſum deleri nullo negotio poſſe non cognoſceret, tamen hoſtium rationes explorare ſua magni referre ratus, Buſeino Comaræ Præfecto negotium dat, ut Turcarum exploraret conſilia, & ad ſe perferret. Buſeinus Rodulphum cum navibus, qui omnia cognoſceret, mittit. Rodulphus rem ſuſcipit, & ubi Turcas prope ripas conſpicatur, e navibus fortiſſimos ex militibus egredi, & ad eos intercipiendos contendere jubet. Qui omnes etſi conſtanter non aliter Turcarum agminis ordinem ſe habere dicebant, tamen, ut certiora perferret, ulterius procedit. At Turcæ ſive ab exploratoribus, ſive ab iis, qui Germanorum manus effugerant, docti, opportuna loca occulte occupant, & in utraque ripa tormenta diſponunt. Ubi inſidias naves intrarunt, tum ex omnibus partibus tormentis eis nocere Turcæ incipiunt. Erat magni periculi res, quum neque procedi, neque retrocedi ſine periculo poſſet: &, ab omnibus remigandi labore ſuſcepto, in majus Rodulphus periculum venerat, quia Danubius in duas diffluens partes inſulam efficit; eoque majus accipiebatur detrimentum, quum non nimis in latitudinem pateret. Tum neceſſario in inſulam expoſitis militibus, Rodulphus deſperata ope humana, ad Deum, Divoſque, ad vota ſe convertit. Hic videre licuit ſubitam rerum commutationem, quum, adverſo vento in ſecundum ſe vertente, omnes conſcenderent naves, & inter medios hoſtes, non magno accepto detrimento, evadere potuiſſent. Rodulphus ubi ad Buſeinum pervenit, non magis neceſſarium de ſuo periculo eum docere exiſtimavit, quam vera ea comperiſſe nunciare, quæ ad Montecucculum allata eſſent, quum ſermonem inter omnes captivos congruere cognoviſſet. Buſei- An.1664

Digitized by Google

An.1664 ſeinus ſubito omnia Montecucculo enuncianda curat: qui inopinantes Turcas ab aliis ſeclufos opprimere nullo negotio poſſe ratus, ſpe eo incitatus ferebatur. At quum in itinere omnes flumen tranſiſſe comperiſſet, conſilium, iterque commutat. Duobus caſtris Meutinum caſtellum, quod non procul Vago flumine eſt, venit. Ibi quum propter inopiam frumenti, tum quod, interrupto ponte, tempus intercedere neceſſe erat, quo refici poſſet, plures ibi dies ſtativa habet. Quum eſſet jam de re frumentaria proviſum, Acmetem primo ad Barcanium, poſtea ad Neoſelium caſtra moviſſe cognoſcit. Tum conſultandi gratia conſilium habet. Plerique igitur, *ſe magnopere mirari* dicebant, *cur in turpiſſimis non haberent rebus, tempus intra vallum terere, & perculſis hoſtibus parcere, quum ſua inſcitia, vel inertia id fieri per orbem terrarum fama percrebuiſſet, maxime quod conjunctis copiis, quibus Suebius præerat, cum exercitu nunc nulla ratione vitare ſuſpicionem poſſent*. Horum verbis tantum ſtudium negotii perficiendi omnibus injectum eſt, ut contra hoſtem eundum ſtatuerent, ſimul primum cum copiis Nadaſtius rediiſſet, qui explorandi cauſa diſceſſerat. Nadaſtius non ita multum moratus, in caſtra perveniens, *rem magni eſſe periculi* docet: *Acmetem vacuum ab hoſte eſſe; propterea oppida expugnandi facultatem ei non deeſſe*. Quibus rebus permotus Montecucculus, quia, nondum refecto ponte, omnibus copiis proficiſci nequibat, tres cohortes, quæ præſidio eſſent, Nitriam, Leventiumque mittit. Sed Acmetis conſilium non eo pertinebat, ut oppida oppugnaret: ſed ſatis habebat eo tempore hominum opinionem tenere, quo fortuna ſe inclinaviſſet, quum ſua prudentia fieri videretur, ne victores Germani ſecum congredi auderent. Perfecto ponte, iterum de profectione agitur; at, quum milites biduo pane caruiſſent, in majores rei frumentariæ anguſtias incidere poſſe arbitrabantur, ſi ultra progrederentur. Propterea *ſe Ducis dicto audientes non fore* dicebant, *quum caſtra moveri juberet, niſi ſaltem dierum quindecim cibum ſecum ducerent*. Hoc impoſſibile omnibus videbatur: nam etſi frumentum eo anno anguſtius non provenerat, & horrea certis locis conſtituta erant, tamen indiligentia eorum, qui iis negotiis præerant, frumentum deficiebat. Præterea ne carrorum quidem magnus numerus ſuppetebat: proinde Galli, quibus decem carri erant attributi, Montecucculum adeunt, ac ſumma inopia ſe affici queruntur: utque conſulere ſibi poſsent, viginti alios carros depoſcunt. Hos Montecucculus conſolatus, ad eos, qui negotio præerant, ſeverius ſcribit, & Cæſarem ab ipſis pœnas eſse repetiturum minatur, niſi carrorum vim compararent, & de

re

re frumentaria providerent. His litteris perterriti, eam rem ſibi cogitandam ſuſcipiunt, adeo ut aliquo ſtudio frumentum in caſtra ſubvehendum curarent, carroſque ſumma diligentia conquirerent, & ad exercitum mitterent. His expeditis rebus, nemo dubitabat, quin contra hoſtes tanta ira omnes ferrentur, ut temporis puncto omnia ea perficerent, quæ magno temporis ſpatio alias fuiſſent perfecturi. Sed Chriſtianos plus irarum adverſus ſe, quam audaciæ adverſus Turcas habere apparuit, quum diſſenſionis cauſa inter Donevalium cohortis Præfectum, & Pium oriretur, qui ab verborum contumeliis ad vim, & ad arma deſcenderunt. Quæ fuit cauſa, quare caſtra movere Montecucculus non potuit. Hac re compoſita, nec caſtra moventur. Sic aliæ ex aliis diſſenſionis cauſæ oriebantur. Conſultationes tamen quotidie habebantur: ſed eo tempore magis facto, quam conſulto opus erat. Montecucculus unus, qui hoſtem e manibus dimitti turpe ducebat, quum per pavidos agreſtes quatuor Turcarum millia non procul abeſſe cognoviſſet, ſubito quatuor equitum millia, quæ vado flumen tranſirent, contra eos mittit. Germani lentius progrediebantur, ne itineris labore confecti, quum prælium iniretur, minus acriter inſtarent. At ubi Turcas infeſtis ſignis ad ſe venire, & ampliorum copiarum, quam arbitrati erant, ſpeciem præbere animadverterunt, non mediocriter perturbantur, quod parum fidis authoribus fidem feciſſent. At quum intelligerent eo maxime tempore ſalutis ſpem in animi magnitudine, & audacia ponendam, inter ſe cohortati, locum capiunt ſuperiorem: & orbe facto, ad omnes caſus ſe parant, adeo ut fortiter Turcarum exciperent impetum, donec æquo prælio diſceſſerunt. Turcæ ubi in caſtra pervenerunt, conſtanter Acmeti omnes renunciant, Montecucculum ingenti cum exercitu adeſſe. Hoc faciunt, ne inertes viderentur, quod victores in caſtra non rediſſent. Ob ea tanta Turcarum perturbatio facta eſt, ut confeſtim caſtra propius Neoſelium locari Acmetes juberet, ut, ſi uſus adeſſet, oppidi muris ſe defenderet. Terror vero abiit, ubi per exploratores cognitum eſt, Montecucculum eiſdem ad Vagum flumen caſtris ſe tenere. Et timor in iram vertit, ubi ne ſeptena quidem Turcarum millia Germanorum millia quatuor vincere potuiſſe animadvertit. Igitur in eam cogitationem Acmetes venit, ſe nullo prælio victorem diſcedere poſſe, quando neque ſuorum numero, neque ſuorum virtuti confidere poſſet: propterea magna ſollicitudine afficitur, quando exploratores enunciatum veniunt, Montecucculum Vagum tranſiſſe: timebat enim, ne bellum Cæſar trahere vellet, quando Montecucculus itine-

An. 1664

An.1664 itineris laborem ſuſcepiſſet. Eadem de cauſa Turcæ ſibi præmetuere, non neceſſarii belli authorem deteſtari. *Conſulto ab Acmete bellum ſuſceptum* dicebant, *ut fortiſſimos viros periculis objectaret. Ipſum etiam, non alios ſolum non eſſe proſpere ceſſurum bellum ſciviſſe. Jam cometam fuiſſe maximi periculi pronunciam. Jam lunæ defectionem calamitatem portendiſſe. Jam Dei iram in Turcas omnes Acmetem armaſſe, quum contra, atque Solimanus ſacramento confirmaviſſet, Arrabonem flumen tranſire conatus eſſet. Non ſatis pœnarum Turcas luiſſe eum arbitrari, quia exitium ab ipſis arcere nollet. Se ſibi conſilium capturos, quandoquidem unius morte ſibi proſpicere poſſent.* Acmetes igitur, quum quod occulta hæc non habebat, tum quia ex eis, quæ acceperat, Cæſarem ab armis diſcedere nolle conjectabat, diverſus agitatur: nam, quum alienum ſuis rationibus eſſe arbitraretur omnibus aperire, induciarum conditiones conveniſſe, in ſuorum favorem venire non poſſe judicabat. Libenter igitur ab exploratoribus cognoſcebat, Montecucculum ſeptem paſſuum millia ab Arrabone conſediſſe. Quod, ut ſuis animus creſceret, ab timore naſci palam dicebat. Re vera Montecucculus ulterius progredi non poterat, propterea quod ii, qui rei frumentariæ præerant, ſatis habuerunt operam dare, ne paucorum dierum ſpatio frumentum deficeret. Igitur, quum horum indiligentia occaſionem nonnullis tribuiſſet privatam cauſam in hujus rei timorem conferendi, profectionis conſilium in Kalendas Octobris translatum eſt. Interim nuncius ab Cæſare ad Reningherium venit, qui eum conditiones probaviſſe demonſtravit. Ob hanc rem Acmetes ad lætitiam excitatur, quia Regem etiam conditionibus contentum eſſe cognoverat, proinde Montecucculo captivos tradi jubet, ſuoſque, *ne quid Germanorum, Pannoniorumque violarent*, monet. Simili ratione juſſu Cæſaris Montecucculus facit. Fit ergo gratulatio inter Turcas: qui Acmeti gratias agunt, quod omnium habuiſſet rationem. Ad horum gaudium etſi acceſſio nulla eſſe poſſe videbatur, tamen incredibile memoratu eſt, quanto majore lætitia afficerentur, quum Iſmaelis, quem fortiſſime pugnantem cecidiſſe demonſtravimus, bona publicat, & pro rata parte militibus, Præfectiſque diſtribuit. Tum lætitiæ ſigna omnes mittere: tum Acmetem ſummum eſſe Ducem dicere: tum Iſmaelis ignaviam deteſtari. Tanta commutatio pecuniæ ſtudio omnibus injecta eſt. In Germanorum caſtris nihil ſimile Turcis erat: hoſtem enim ex manibus ereptum dolebant plerique; paucis tyronibus nuncius gratus fuit: cæterum ne auxiliaribus quidem Ducibus, qui imperio delectabantur, voluptatem attulit. Calenus ſubito Ger-

Germaniæ Regulos de omnibus certiores facit. Qui jam ex Cæſaris litteris, ut ſupra dictum eſt, rem cognoverant. Pannonii ubi illis conditionibus inducias firmatas acceperunt, concilium indicunt: & qui antea, tanquam nihil contra ſe ageretur, minime de defenſione cogitabant, nunc mente, animoque in hanc rem incumbentes, de Cæſaris conſilio queruntur, *quod ex compoſito Neoſelium hoſtium eſſe paſſus eſset, ut, quum perpetuo ſe in armis Turcæ haberent, de ſuis commodis agere non poſſint. Se tamen ſuæ ſalutis rationem habere, nec inultam tantam injuriam relinquere velle. Nihil aliud in re eſse, quum contra, atque legibus cautum ſit, inſcientibus omnibus, induciæ ſint firmatæ, quam quod ſervorum loco ſe Germani habere vellent. Omnino rationem ſervitutis grave jugum demendi quærendam.* Quum omnes maxima ira flagrare Cæſar acciperet, Pannoniorum primores Viennam ad ſe vocat. Qui ſimulatque ad diem venerunt, Lubcovitius eadem cum ipſis agit, quæ Cæſarem ad Germaniæ Regulos ſcripſiſſe retulimus: addit præterea *Cæſarem rei non defuiſſe, quum, ſi ipſi pro magnitudine periculi bello ſtuduiſſent, Neoſelium recuperari potuiſſet, quamvis illud oppidum Pannoniorum perfidia amiſſum eſſet. Proinde ſibi mirum videri, cur publico conſilio fidem dare nollent, ut pace frui poſſent, ubi Acmetes Turcas, & Cæſar Germanos ex ipſorum finibus deduci jubeat.* Ad hæc nihil reſpondere ipſis viſum eſt, propterea quod, aliis inconſultis, nullum inire conſilium poſſent: eo temporis ſpatium poſtulant, ut cum aliis rem communicent. Conditionem non reſpuit Lubcovitius, etſi rem diſtrahi non parum ei diſplicebat. Ob hanc rem nihil certi reſponſum legato eſt, qui ab Mehemete Rege ad Cæſarem venit. *Solum non mediocri lætitia Cæſarem affectum eſſe* demonſtrat ei Lubcovitius, *quod induciæ factæ ſint: quumque nonniſi laceſſitus ſpectare arma Cæſar conſueſcat, ſperare perpetuam amicitiam ei cum Rege fore.* Idem Lubcovitius Reningherio Cæſaris verbis mandavit, *ut Acmeti perſuaderet, ſumma ope Cæſarem eniti, ut, fide ab Pannoniis quoque data, induciæ exirent.* Dum hæc geruntur, copiæ jam in Auſtriam pervenerant, nec, ubi in hybernis collocarentur, convenerat. Idcirco in concilio Cæſar agit, ſi eas dimitti expediret. Utque in duas omnes diſceſſerant partes, alii, *ſe iniquos fore* dicunt, *ſi, quum uſus exercitus non ſit, ſublevare provinciarum inopiam nollent*, alii Montecucculi authoritate permoti *non prius dimittendum exercitum* cenſebant, *quam idem ab Acmete factum cognoviſſent.* Non defuit vero, *qui conſiderati hominis eſſe* dixit, *alicujus rei ſpecie exercitum in armis habere, ut tam Pannoniis, quam Germanis eſſe* An.1665

im-

An1665 *impedimento poſſit*, *quominus novis rebus ſtudeant*. Hæc ut ſuperabat ſententia, conſilium in vulgus edendi cœperunt, Cæſarem hanc optime de ſe meritis militibus gratiam referre turpe ſibi ducere, ut, confecto bello, hyemis tempore eos dimitteret. Ex hac re factum eſt, ut Cæſar exercitus retinendo nullam Acmeti, nullam Pannoniis, nullam Germaniȩ Regulis ſuſpicionem daret. Placuit etiam in plures locos cohortes diſtribuere, ut, quam minimo poſſent provinciarum incommodo, militum commoditati proſpicerent. Gallis, ubi placeret, hyemandi optio eſt facta. Jamque Colignius, ut ſibi Boemia ad hyemandum concederetur, petierat, quum Ludovici litteræ ei redduntur, *in Alſatiam iter confeſtim haberet*, *ne diutino bello confectis civitatibus*, *quæ ſub Cæſaris ditione ſint*, *incommodi quidquam ferret*. Hæc res ſimul optimæ Ludovici in Cæſarem voluntatis, ſimul maximi in Chriſtianam Rempublicam ſtudii indicio fuit. Cæſar vero, ut gratus in referenda gratia videretur, oppidorum Præfectis imperat, ut Gallos in itinere liberaliter habeant, rebuſque omnibus juvent, & tertium quemque diem ad quietem eis darent: Colignium ampliſſime donat, & quoniam Viennam non venerat, (quam rem in ſuperbiam nonnulli vertebant) litteras ad eum miſit, *ſe neque ipſius maximæ virtutis ignarum eſſe*, *neque immemorem fore*. Alia præterea miſit, quæ eis dono daret, quorum egregiam cognoviſſet virtutem. Re vera omnes Galli egregiam Chriſtianæ Reipublicæ operam dederunt, at Fuilladius tam fortiter ſe geſſit, quum plura ſigna manu cœpit, atque plurimos ex Turcarum Præfectis interfecit, ut ſine laude tanta virtus prætermittenda non videatur. Hic neque Ludovici Galliæ Regis animi altitudo præteriri poteſt: qui militaria ſigna, quibus, prælio ad Arrabonem facto, potiti erant Galli, quæque ad ſe Colignius miſerat, ad Cæſarem per Germovillium deferenda curavit. Qui demonſtravit, *Ludovicum auxilia mittendo ſolum egregiam in Cæſarem voluntatem*, *ac ſummum in religionem ſtudium videri cupiviſſe*: *proinde alium ex ea re ferre fructum turpe ſibi ducere*. Quibus rebus Cæſar permotus, *nihil ſe tam anxie quærere* reſpondet, *quam occaſionem Ludovico ſuam præſtandi operam*. *Signa ea lege ſe accipere*, *ut in templis dono fixa & egregiæ Gallorum virtutis*, *& Ludovici in ſe*, *atque in Chriſtianam Rempublicam beneficii teſtimonio eſſent*. His expeditis rebus, Cæſari cura omnis in ſanandas Pannoniorum mentes intenta eſt: nam illi, quos Viennam veniſſe demonſtratum eſt, de concilii ſententia ad Lubcovitium litteras miſerunt, quarum ea ſententia erat: *ſe*, *quod Cæſaris conſilii participes non fuiſſent*, *jure dolere poſſe*: *nam nulla*

ra-

ratione eo tempore, quo Goeſius Halium conveniſſet, ſe has potuiſſe probare conditiones, quum non eſſet tum Neoſelium totius Pannoniæ arx amiſſum. Se igitur lacrymas tenere non poſſe, quando rem ad extremum perductam caſum cogitarent, quum, ſi aliqua ex parte novis munitionibus comprimere Turcarum excurſiones poſſent, haudquaquam ſe ab Germanorum injuriis, qui propugnaculis præſidio eſſent, prohibere valerent. Obviam ſaltem huic rei ire cogitaret. Cognita Pannoniorum voluntate, Lubcovitio in hunc modum eis reſcribere neceſſarium viſum eſt; *ſibi occultum non eſſe, Cæſari intentiorem curam Pannonios ab injuria prohibendi eſſe, quam aliis, quum non alio conſilio tantam belli molem ſuſtinuiſset. Et non alia ratione ab exercitibus nunc diſceſſiſset, quam ut ipſos ex periculo eriperet. Hujus rei cauſa locis opportunis propugnacula de ipſorum conſilio inſtituere vehementer cupere.* Ad extremum etiam ipſorum animos confirmavit, *quia Germanos non eſse ipſis detrimentum illaturos* demonſtravit, *quum ſtipendium eis reddere ſtatuiſset.* Litteris permoti Pannoniorum principes, eidem Lubcovitio *ſe paratos eſse Cæſari ſatisfacere* demonſtrant, *dummodo copiarum imperium alicui ex Pannoniis permitteret, & oppidis trans Danubium poſitis itidem Pannonios præficeret: præterea factioſos Pannonios apud ſe dicere ſacramentum juberet, ne ad Turcas tranſeuntes omnia ſibi infeſta redderent. Si hi urbibus præſidio eſſent, Germanorum opera opus non fore.* Durum Lubcovitio, durum Cæſari, aliiſque videbatur, hæc eis concedere, quos non mitiores, ſed aſperiores in ſe fore ſuſpicabantur: tamen, quia iis de cauſis, quas ſupra memoravi, bellum gerere ex uſu non eſſe cognoſcebant, ſatisfaciendum eis cenſuere. Quod ubi eſt ad Pannonios allatum, nullam interpoſuerunt moram, quin fidem darent. Qua re Cæſar contentus, Lubcovitio mandat, ut Acmeti ſcriberet, *jam Pannonios ratas habuiſse inducias: & Cæſarem, confecta hyeme, legatum ad Mehemetem Regem cum donis eſse miſsurum.* Libentiſſime de his omnibus Acmetes accepit, quia ſummo cum ſuo dolore haud dubia belli conſilia ab Germanis iniri rumor exierat. Ubi igitur ad Lubcovitium litteras remiſit, *brevi legatum ab Rege Viennam venturum, qui rem perficiat,* maximam exercitus partem dimittit. Quod quum accepiſſet Cæſar, idem facit. Sic Chriſtiani, qui Pannoniæ verebantur, eo magis de Cretæ periculo timere cœperunt, quo minus Turcarum vires diſtineri intelligebant.

FINIS.

INDEX

A

ACatius Berciajus Turcis amicus 39. ab Chiuperlio Tranſylvaniæ Princeps creatur 41. Lugam, & Cheresbenium Turcis tradit 44. Tranſylvanis infenſus 61. pacem ab Ragotio petit 62. Devam profugit 63. Cibinium ſe recipit 71. Georgenium profugit 99. Principatu abit 102. interficitur 104.

Acmetes Mehemetis Chiuperlii filius ſummum magiſtratum adipiſcitur 122. pacem cum Cæſare facere velle ſimulat 123 207. 228. Belgradum veluti triumphaturus ingreditur 157 iniquas conditiones Cæſari proponit 160. captivos interfici jubet 162. Neoſelium oppugnat 169. conſilium oppugnandi caſtra Montecucculi mutat 171. ſuos ad virtutem hortatur 176 279. Neoſelium recipit 179. Pannonios conciliare ſibi ſtudet 180. Leventium recipit 186. Schinta irrito incepto diſcedit 187 bellum maxima diligentia parat 215. Caniſiæ Præfectum interfici jubet 228. ad ſuos obſidione eximendos contendit 238. conatur Moram flumen tranſire 252. 270. propugnaculo potitur 258. ad Arrabonem contendit 271 fruſtra conatur exercitum Arrabonem tranſducere 272 profugit 280. in ſuos animadvertit ibid. bellum componere exoptat 284. timet, ne bellum Cæſar trahere velit 293 gaudet, quod induciarum conditiones Cæſar probaviſſet 294. Iſmaelis bona publicata militibus diſtribuit 294. exercitum dimittit 297.

Adamus Forgatius temere contra Turcas proficiſcitur 166. Præfectos conſulit 167. ſuos ad virtutem accendit ib victus Neoſelium ſe recipit 162. Pannonios ad ſanitatem reducere conatur 178. legatos ad Acmetem deditum Urbem mittit 179. in vincula coniicitur 180.

Alexander P. M. Ragotio auxilia mittere noluit 25. Cæſari auxilia decernit 106 202 Chriſtianos Reges ad Cæſaris auxilium concitat 106. Ludovicum placare ſtudet 139. 141. exercitum dimittit 143. Cæſarem, Philippum, & Venetos ad ſuum auxilium concitare conatur 194. pacem cum Ludovico facit 198.

Alexander Schiffer moritur 114.

Amurates Reningherii conſilium non probat 53. Majembergium hortatur, Ragotium interficiendum curet 57. Acmeti ſuſpectus 160.

Amurates triginta nummorum aureorum millia Serino pollicetur 189.

Andreas Nejeteghius Pannonios ad furorem impellit 126.

Annibal Gonzaga caſtra in Cituorum Inſula locat 29.

Avagherius Propugnaculi Præfectus milites de periculo docet 254. eruptione pugnans interficitur 255.

Avenionenſes Ludovici fidei ſe permittunt 194

Auguſtinus Majembergius Mehemetem Regem Pruſam convenit 57 Ragotii filium adit 82 impetrat, quæ ab eo petiit ibid ad Szedium, & Suchium ſcribit ibid.

Aviditas, & mala diſciplina Pannoniorum 112.

Pp 2 Bal-

INDEX

B

BAldaſſar Galius omnia Acmetis conſilia Montecucculo enunciat 274.
Barcanium expugnatur 269.
Bernardus Caienus in caſtra pervenit 287. Montecucculum uti victoria impedit 283. 290.

C

CAniſia oppugnatur 231.
Cairi Præfectus contra Selimum proficiſcitur 56.
Capianus Novigradum recipit 186.
Caroli a Lotaringia audacia, & virtus 277.
Carolus Britanniæ Rex 136.
Carolus Guſtaus Sveciæ Rex Ragotium ſibi ſocium aſciſcit 6. Turcarum Regem contra Cæſarem accendere ſtudet 9. Sarmatia excedit, &, idem faciat, Ragotium hortatur ib.
Capraræ virtus 266.
Cauſa, quare Turcæ Jenum peterent 31 quare Cæſar auxilio Tranſylvanis eſſe noller 46. quare poſtea eiſdem adeſſe ſtatuiſſet 106. quare Germani Cæſari inviderent 150.
Cæſar Raſponus Lugduno excluditur 195. in Allobroges ſe recipit 196. infecta pace domum reperit ib. Piſas petit 197.
Chinan conſilium Haſſani dedit 44.
Chior in Aſia rebellar 56 vincitur ib.
Chiuperlius V. Mehemetes.
Chriſtina Alexandra Sveciæ Regina Crechium placare adnititur 139. ad Ludovicum ſcribit 140.
Cibinium hyemis tempore obſidetur 72.
Ciſforcaſius Centurio interficitur 255.
Claudiopolis obſidetur 125.
Clemens Radoldus Ragotio Cæſaris mandata exponit 58. Ragotii matrem convenit 59. litteras ad Berciajum mittit ib. Sigiſmundum Budajum alloquitur 60. reſponſa Berciaii expectat ib.
Colignius contra Turcas Gallos ſe eiicere jubet 279.
Colloquia de pace habita Temeſuariæ 153. habita in Allobrogibus 196. Piſis 197.
Conciliatio Ragotii, & Berciaii 54.
Concilium Ratisbonæ habitum 146. & ſeq. 282.
Conditiones, quibus Ragotius Principatum depoſuit 17. pacis inter P. M., & Galliæ Regem 197. induciarum 286.
Conſilium Mehemetis Chiuperlii 27. 36.
Conſtantinus Serbanus in Tranſylvaniam ſe recipit 18.
Coppius Zatmariæ Præfectus Germanos ad ſanitatem reducit 221.
Crechius Romam venit 137 de Chiſio queritur 137. Roma diſcedit 139. quas conditiones pacis dare volebat 140.
Cuſſein Nitriam recipit 186.
Cutſchiucius Varadini Præfectus contra Chiminianum proficiſcitur 123. eum vincit 124. Sangiorgium in vincula coniici jubet 134.
Cyrnei Gallos perſequuntur 138. Crechii domum aggrediuntur, aliaque audent ib. puniuntur 139.

D

DAvid Retanus Claudiopolis Præfectus oppidanos ex Urbe expellit 125. ſuos monet, obſidionem ferant 133. frumenti copiam nanciſcitur ib moritur 135.
Decebali Daciæ Regis hiſtoria 47.
Decurio Germanus de munitionum vitiis Turcas docet 255 ab Turcis necatur 257.
Defectio Germanorum 217 220.
Diepebal Zechelidis Præfectus op-

pi-

Digitized by Google

pidanos armis exuit 216.
Diſcordia inter Sevaſium, & Temeſuariæ Præfectum 31. inter Prætorianos, & equites 30. inter Suchium, & Veſelinum 98. inter Pannonios hæreticos, & Catholicos 130. inter Gallos, & Hiſpanos Londini 136. inter Legatos Germaniæ Civitatum, & Regulorum 147 inter Petrum Serinum, & Aveſperghium 190. inter Nicolaum Serinum, & Olachium 226. inter Strotium, Serinum, & Olachium 237.
Dominicus Ligoes e Societate Jeſu captus ab Scythis Valachiæ Principem ab Turcarum amicitia avertit 172
Dionyſius Bamphius Ragotii voluntatem aperit 21.

E

Eſter ad Suchii exercitum redit 263.
Elogium Berciaii 104. Chiminiani 124. Chiuperlii 120 Halii 70. Ragotii 80. Strotii 253.
Emericus Balaſſa Comes Pannonios adverſus Germanos concitat 127.
Eſteradeſii familiares ab Hiſpanis male habiti 136.

F

Ferdinandus III. auxilia Sarmatis mittere decernit 8. moritur ibid.
Ferdinandus Magnus Dux Etruriæ pacem inter P. M., & Ludovicum conciliare ſtudet 197.
Flavius Chiſius Cardinalis controverſias componit 116. Crechium convenit 139. Alexandrum ad pacem hortatur 196. in Galliam proficiſcitur 198.
Fœderati octo armatorum millia conferre promittunt 115.
Fœdus inter Catholicos Reges inire Alexander Romæ ſtudet 116.
Fogaratii oppugnationem Turcæ relinquunt 115.
Franciſcus Barberinus Cardinalis rei pecuniariæ ſubſidia Serinó mittebat 270. legatos ad fœdus ineundum hortatur 116.
Franciſcus Redajus Ragotii opera Tranſylvaniæ Princeps creatur 17. Principatu ſe abdicat 23.
Franciſcus Sangiorgius Vacciæ Epiſcopus magna impudentia Retano imperat, Claudiopolim Turcis tradat 132. in vincula coniicitur 134.
Franciſci Veſelini perfidia 241. is Suchio adeſſe pollicetur 260.
Franciſcus Vimeſius Jaurinum, & Papam oppida muniēda curat 193.
Fuilladius Colignio perſuadet, in Turcas Gallos eiicere juberet 279. in Turcas ſe incitat 280. fortiter ſe gerit 296.

G

Gabor quidam Halium monet, ne Goeſio aures præbeat 154.
Galli Romæ Cyrneos conviciis exagitant 137 Crechii domum ſe recipiunt 138. duo nobiliſſimi prælio ad Arrabonem interficiuntur 272.
Gentes, quæ Tranſylvaniam habuerunt 48.
Georgius Cevalius fortiter ſe gerit 79. Amuratem interficit ibid.
Georgius Lazarius Acatium Ragotio conciliat 54.
Georgius Ragotius Valachiæ, & Moldaviæ Principibus amicus 5. cum Carolo Guſtavo ſe conjungit 7. loca parum munita in Sarmatia expugnat 8 quinque Sarmatarum millia fundit ib. Gracopoli Bettelenium præficit ibid. opportuno tempore Sarmatia excedere noluit 10. ab Sarmatis conditiones accipit ib. profugit ib ſuos ab Scythis captos redimere velle ſimulat 11. bellum parat 14. 49. 55. Principatu ſe abdicat. 17. quieti ſtu-

ſtudere ſimulat 18. Tranſylvanos ſollicitat 18. in eorum favorem venit 19. 22 61 69 Principatum init 22. Turcarum legatum in vincula coniicit 25. Tranſylvanos increpat 26 eos ad bellum hortatur 32. 55. contra Sevaſium proficiſcitur 33. Aradium oppugnat ib. Solimanum Jeni Præfectum ſibi conciliat 51. cauſas interponit, ut Zatmariam Cæſari non daret, 58. 59. 61. 63. contra Berciajum proficiſcitur 62. contra Szedium 65. 75 Cæſarem ad bellum hortatur 64. Varadinum occupat 66. cum Szedio ſigna confert 66 79. ſuos ad virtutem accendit 75. vulneratus equo decidit 80 moritur ibid.

Germani auxilia Cæſari decernunt 152 200 Pannonios ab Turcis avertere nituntur 215. Zeche lidem Abbaffo tradunt 219. Clauſemburgum etiam 220.

Guido Ubaldus Tunnius Salisburgenſium Archiepiſcopus Ratisbonam venit 145. Germanos Cæſari conciliare ſtudet 147. 149.

H

HAidones Megium armati veniunt 20 re infecta diſcedũt 21. Imperii ſummam Julaio, & Barconio permittunt 73. ſe Szedio committunt 74.

Halius in Tranſylvaniam iter habet 81. in Szedium invehitur ib. Varadinum oppugnat 87. recipit 94 Szedii proditionis inſimulat 95. Claudiopolim ab Tranſylvanis petit 96. Suchium deterrere enititur 97. Temeſuariam ſe recipit ibid. & 115. Michaelem Abbaffum Principem creat 113 Ciculorum oppida expugnat 114. invidia permotus Acmetem de pace hortatur 156 Acmeti ſuſpectus ib. & 160

Haſſan Aleppi Præfectus ab Rege deficit 41. in Regia pecunia contínentiſſimus 42. interficitur 44.

Haſſanis Caniſię Pręfecti diligentia, & virtus 232 233 237. ſuos increpat ib. ad ferendam inopiam hortatur 235.

Haſſan quidam Acmeti perſuadet, bellum componat 284.

Hęretici Pannonii, invito Cęſare, Poſonio diſcedunt 130. Germani Imperii exercitus ſummam Brandeburgi Duci permittere ex. pār 201.

Hibraimus Turcarum Rex omnibus inviſus 2. interficitur 3.

I

INduciæ firmantur 286. 294.

Inopia Germanorum 114.

Inſolentia Pannoniorum 131.

Joannes Aloyſius Zannius obſeſſos ad virtutem excitat 133.

Joannellus Suchio perſuadet, Leventium oppugnet 244. Germanos frumento juvat 245.

Joannes Bettelenius Chiminianum prodit 123.

Joannes Chiminianus Ragotio perſuadet, ut bellum Sarmatis inferat 6. ab Scythis capitur 10 a Berciajo miſſus conditiones Ragotio proponit 62. Principatum occipere ſtatuit 99. Joannem, & Acatium Berciajum vincit ib. Tranſylvaniæ Princeps creatur 102. Acatii litteras intercipit 103 Berciajum interficiendum curat 104. Tranſylvanis perſuadet, ut Cæſari oppida tradant 105. Segetuſa potiri ſtatuit 114 Germanorum auxilia recipit 123. cum Cutſchiucio ſigna confert 124 moritur ib.

Joannes Goeſius Temeſuariam petit 135 de pace agit cum Halio 152. Acmetem convenit, & plura ei proponit 159. Viennam redit 190.

Joannes Gregorius Giga amicitiam cum Serino inſtituit 172. Scythis perſuadet, iterum Germaniam populentur, & quare ib. Turcarum con-

conſilia Germanis enunciat 173. 188.
Joannes Philippus Pereſius Conſtantinopoli Temeſuariam diſcedit 135. Cæſarem de Acmetis conſilio docet 161.
Joannes Philippus Scenbornius Maguntinorum Archiepiſcopus Ratisbonam venit 145 Germanos hortatur, Cæſari adſint 147 148.
Joannes Riccardus Starembergius moritur 114.
Joannes Rotalius Pannonios ad ſanitatem reducit 109 eoſdem ad virtutem hortatur 184 fruſtra Pannonios monet, Suchio adſint 241 infirma auxilia ab Pannoniis impetrat 259.
Joannes Sagredus Cæſarem ad bellum hortatur 24. Ragotium confirmat ib.
Joannes Veicardus Aveſperghius Nadaſtii conſilium probat 91. Cæſari conſilium dat 289.
Iſmael Budæ Præfectus Megii oppugnationem relinquit 109.

L.

Ladislai Vilachil perfidia 39. Lætitia Turcarum 158.
Lambachius Suchii mandata Halio exponit 87.
Laurentium Imperialem Cardinalem excuſat Alexander P. M. 141. Cardinales etiam 142. liberaliter Ludovicus in Gallia habet 198.
Legati Ragotii in vincula ab Scythis coniiciuntur 11. ab Turcis ib. & 27. 55. Sagredum conveniunt 24
Legatio Berciali ad Chiuperlium 51. Chiuperlii ad Tranſylvanos ib. & 22 Pannoniorum ad Cæſarem 58. Ragotii ad Scytharum Regem 10. ad Turcarum Regem 12 ad Tranſylvanos 22. ad Leopoldum 14 24. ad Alexandrum P. M. 25. Tranſylvanorum ad Ragotium 21. 22. ad Chiuperlium 36 40.
Leopoldus Badenius auxiliis præficitur 201. Montecucculum monet ne prælio rem committat 278.
Leopoldus Cæſar auxilia Sarmatis mittit 8. Buſeinum cum exercitu in Pannoniam mittit 15. poſtea Gonzagam 29. timet, ne Berciajus Varadinum Turcis tradat 46. Pannonios conſulit 46. 88. Zatmariam in poteſtate habere ſtudet 58. 63. Vienna diſcedit 88. Varadinenſibus adeſſe conſtituit 91. Metigerem ad Mehemetem, Fiſcherem ad Halium mittit 107. Poſonium venit 129. ad Mehemetem Regem Pereſium legatum mittit 131 Sangiorgium ad Abbaffum Claudiopolim mittit 132. bellum parare ſtudet 162. templa hæreticis Pannoniis reſtituit 163 Pannonios ad defendendum bellum hortatur ib. legatos mittit ad Chriſtianos Reges 191 Ratisbonam petit 193. Præfectos, militeſque donat 281. ſuos conſulit, an bellum componat 286. inducias firmare ſtatuit 289 Gallos liberaliter habet 296. exercitum dimittit 297.
Litteræ Berciail ad Chiuperlium 63. ad Cæſarem 60. Abbaffi ad Cæſarem 221. Serini ad eũdem 252. Cæſaris ad Reningherium 13. 53. ad Montecucculum 115. 164. Chiuperlii ad Præfectos 13. ad Portiam 14. 37 ad Ragotium 35. Tranſylvanorum ad Chiuperlium 17. Ragotii ad Serbanum, & Georgitiam 19. ad Tranſylvanos 21. ad Chiuperlium 27. 32 ad Leopoldum 28. 35. ad Turcarum Regem 65. Redaii ad Leopoldum 20. Buduani ad Ragotium 66. Montecuculi ad Cæſarem 114. 127 164 191
Ludovicus Burlemontius Regis Galliæ legatus 197
Ludovicus Galliæ Rex ſatisfactionem ab Philippo accipit 136. P. M. legatum Galliæ excedere cogit 139. bellum parat 140. ſuis præcipit,

pit,

p't,ne Germanis quid incommodi afferant 296. ſigna ad Cæſarem mittit ibid.
Ludovicus Suchius Pannonios hortatur 83. Tochæum pervenit ibid. in plura oppida præſidia introducit 83. 84. 97. trans Tibiſcum caſtra locat 85. oppida munit 86. Varadinēſes auxiliis confirmare vult 86. Varadinum exercitum ducere noluit 91 Caſſovia excluditur 97. Turcarum fines populatur 111. plura caſtella recipit ibid. hyberna in citeriore Pannonia conſtituit 113. Veſelinum, & Pannonios de ſupportando commeatu hortatur 240. Nitriam recipit 243. locum opportunum caſtris capit 245 247. Cutislirem, & B. ctaſium vincit 248. Leventium recipit 261. valetudine afficitur 262 Budæ, Agriæque Præfectos vincit 267. Barcanium expugnat, & pontem ibi incendit 269. Cæſarem orat, ut ſibi auxilia mittat 269.

M

Mansfeldii temeritas 268
Martinus Balduelis ab Tranſylvania, rogatum auxilium, ad Cæſarem venit 87.
Maſſius Haſſanem deſerit 43.
Matthæus Marchio Cæſaris legatus 115 Roma diſcedit 118.
Matthias Bolochius Varadini Præfectus quid Halio reſpondit 93.
Mehemetis hiſtoria 207.
Mehemetes Chiuperlius neque Prætorianos dimittendos, neque eorum animos molliendos cenſet 4. Ragotium a bello Sarmatis inferendo deterret 7. pacem cum Venetis facere vult 11. bellum parat 12. 103. Bettelenio Principatum adjudicare velle pronunciat 13. adjudicat Berciajo 41. Jenum petit 17. Solimanum Viennam exploratum mittit 27. Taſſium interfici jubet 56. Jenum proficiſcitur, & recipit 37. 38. 39. Conſtantinopolim redit 41. Regem orat, ut ſe diſſenſionum ſemen interficiat 42. cum Zaima agit, ne contra Haſſanem Rex proficiſceretur 42. quare id 43. moritur 119.
Mehemetes IV. Turcarum Rex creatur 3. contra Haſſanem contendere ſtatuit 42. Reningherium alloquitur 57. Pruſam petit ib.
Metiger J. C ad Sevaſium venit 31.
Michael Abbaſſus Princeps Tranſylvaniæ creatur 113. Georgenium recipit 124. Semoſovarii oppugnationem relinquit 125. Fogaratium recipit ibid. Claudiopolim obſidet ibid. amicitiam cum Cæſare inſtituere cupit 221. Acmeti ſuſpectus 222.
Michael Micheſius prælium ineundum cenſet 76 ſtrenue pugnat 79.
Michael Radulus ſubſidia ab Leopoldo, & P. M. non obtinet 99.
Montecucculus V Raimundus.
Mores Tranſylvanorum 48. Pannoniorum 183 Turcarum 208.
Mulieres a Varadini mœnibus Turcas prohibent 94.
Muſtafus Poſegæ Præfectus Sevaſium ad bellum hortatur 33. ſuos accendit 34. vulneratur ib.
Muſtafus quidam contra Haſſanem mittitur 45. Haſſani veniam dare ſimulans, eum interficiēdum curat 44.

N

Neoſelium obſidetur 162.
Nicolai Bavaroſii Schintę Pręfecti virtus 187. 192.
Nicolaus Serinus Turcas in fugam conjicit 192. Turcarum fines populatur 227. 229 plura caſtella expugnat 223. 224. Quinque Eccleſias expugnat 225. pontem ad Dardam incendit 225 Cæſari perſuadet, Caniſiam oppugnari jubeat 227. oppugnationem relinquere abnuit 238.

INDEX

238. Caniſia diſcedit 240 de Montecucculo queſtus domum diſcedit 256. Cæſarem orat, ut ſibi exercitum permittat 269.

Nicolaus Zoloimius Turcas contra Chiminlanum incedit 103. frumento Cutſchiucli exercitum juvat 126.

Nitria capitur 186. 243.

Nitrienſes Suchium fallere exoptant 242.

O

OLachius copiis, quas fœderati conſeruut, præeſt 201. ad Caniſiam pervenit 231 oppugnationem dimittendam cenſet 238. rem in periculum deducit 277.

Oppugnatio Caniſiæ 231. Clauſemburgi 133. Jeni 38. Leventii 261. Nitriæ 243. Neoſelil 169. 174 propugnaculi ad Muram 255. Varadini 92.

Oratio Chiuperlii ad Zalmam 4. Berciaii ad Ragotium 6. Julail ad Lubcovitium 14. Legati Ragotii ad Tranſylvanos 23. Michaelis Micheſii ad Cæſaris Conſiliarios 45. Ragotii ad milites 77. Nadaſtii ad Cæſarem 88. Portiæ ad eundem 90. ejuſdem ad Cæſaris Conſiliarios 288. Franciſci Barberini Cardinalis 116. nonnullorum Germanorum 147 148. Forgarii ad ſuos 167. Petri Serini ad Cæſarem 190. Muſthii 204. Iſmaelis 205. ſeditioſi 218. Haſſanis ad ſuos 235. Budæ Præfecti ad ſuos 264 Suchii ad ſuos 265. Caplani ad Acmetem 273. Lubcovitii ad Cæſaris Conſiliarios 287.

Ordo agminis Turcarum 274. agminis Germanorum 275.

P

PAnnoniæ ſitus 181.

Pannonius quidam præmiis illectus Serino inſidias tendens interficitur 227.

Pannonii Cæſari adeſſe promittunt 163. Neoſelium Turcis tradere voluerunt 177. queruntur, quod bellum Cæſar compoſuiſſet 295. 297. tandem inducias ratas habent 297.

Pannoniorum perfidia 217. 243.

Perfugæ Ragotium decipiunt 74.

Petrus Serinus Iſmaelis incepto occurit 188. Amuratem capit 189. Iſmaelem repellit ib. contra Turcas profectus, vado flumen tranſire non valens ſe domum recipit 260.

Petrus Strotius Poſoniatibus perſuadet, intra urbem præſidium accipiant 185. ad Ludovicum legatus mittitur 191. Gallia rediens, maxima auxilia Ludovicum Cæſari mittere velle renunciat 202. Turcas repellit 253. interficitur ib.

Philippus Hiſpaniæ Rex Ludovico ſatisfacit 137.

Pius Pannonios Neoſelii ad ſanitatem reducere conatur 178 in Turcas ſe eiicit 280.

Poſoniates præſidium oppido recipere nolunt 170.

Prætoriani Spahiorum motus comprimunt 36.

Pugna Tranſylvanorum, & Turcarum ad Lippam 33. ad Segetuſam 127. alia Turcarum Duce Szedio 67. alia 79. ad Granum 248. ad Sanbenedictum 266. ad Arrabonem 276.

R

RAgotius V Georgius.

Raimundus Montecucculus Cæſari perſuadet, ut in Pannoniam ulteriorem exercitum ducere liceat 108. dolore afficitur, quod conſilium non perficiat 108. Turcis terrorem incutit 109. prælio decertare noluit 110. in citeriore Pannonia exercitum collocat 129.

Po-

Digitized by Google

Poſonium tegit 174. bello præficitur 251. ad Arrabonem pervenit 271. fortiter ſe gerit 277. Turcas magna cæde repellit 280. caſtra tandem movet 293.
Rainutius Farneſius Gallos oppidis recipit 142. Principi Pamphilio ſcribit 195.
Redajus V. Franciſcus.
Reguli Germaniæ plures Ratisbonam non veniunt 200. Calenum, Durlachiumque in caſtra ſumma cum authoritate mittere decernunt 202.
Reningherius V. Simeon.
Rodulphus pontem ad Strigonium interſcindere conatur 290. iterum cum navibus Strigonium petens, in periculum venit 291.

S

Sarmatæ legatum ad Ragotium mittunt, ne Carolo adſit 7. ab Germanis auxilia accerſunt 8. Ragotium circumſiſtunt 10.
Saxones Abbaffum ſequuntur 114.
Schedinavius Retanum obſidione eximit 134.
Scythæ Ragotii exercitum confectantur 10. eum vincunt ib. Chiminianum, omneſque capiunt ib. Tranſylvaniam populantur 17. 40. contra Serbanum, & Georgitiam proficiſcuntur 18. Germaniam populantur 171. 173.
Seditio Pannoniorum 127.
Selimus Giſſæ Præfectus, ab Rege deficit 56 occiditur ib.
Sententia Aveſperghii 52 Montecuculi 107. 192. Cæſaris Conſiliariorum de bello adminiſtrando 162. Acmetis 206.
Siautiusde ſeditioſis, & Valida ſupplicium ſumit 3.
Simeon Reningherius pro Georgio deprecatur 26 per Amuratem adit 53. Cæſarem de ludificatione docet 143. de pace cum Acmete agit 285. Caſanovam conſulens, inducias firmat 286.
Situs propugnaculi ad Muram 253.
Solimanus Jeni Præfectus Chiuperlio acceptus 51. Ragotii patrocinium ſuſcipit ib.
Spaar ad Muram cum copiis pervenit 255.
Stephanus Georgitia in Tranſylvaniam ſe recipit 18 68.
Stephanus Lazarius Berciajum ad Tranſylvanos criminatur 98.
Suchius V. Ludovicus.
Sureus Commendator Ludovico acceptus 197.
Szedius Acmetes Budæ Præfectus Chiuperlii juſſu Pannoniam invadit 65. Ragotium vincit 67. 79. interficitur 107.

T

Taſſus propugnaculi Præfectus in caſtra pervenit 258.
Temeſuariæ Præfectus Sevaſium proditionis inſimulat 29. diſcedit 30. partem copiarum Lippam mittit ib.
Trajanus Cæſar Decebalum vincit 47. pontem miro artificio in Iſtro facit ibid. urbes in Dacia condit ibid.
Tranſylvaniæ ſitus 46. diviſio 48.
Tranſylvani Ragotio ſuccenſent 10. ad Berciaii amicitiam accedunt 68. Chiminianum ſequuntur 101. ab Cæſare petunt, ut Claudiopolim Abbaffo tradat 131.
Turcæ Neoſelii mœnibus repelluntur 176. pluribus levibus præliis vincuntur 187.

V

Valachi ab Romanis originem ducunt 48.
Valida in Regni procuratione eſt 3. contra Mehemetem nepotem conjurat ib. interficitur ib.

INDEX

Varadini ſitus 91.
Veneti propoſitas ab Chiuperlio conditiones reſpuunt 12. laudantur 118.
Verba Redaii ad Tranſylvanos 20. unius ex Haidonibus ib. Ragotii ad Tranſylvanos 23. 49. 69. Venetorum legati ad P. M. 25. Chiuperlii ad Reningheriū 26. 27 52 54. Reningherii ad Chiuperlium 27. 95. Szedii ad ſuos 79 Lazarii ad Ciculos 98. Philippi Hiſpaniæ Regis 136. Seditioſi Pannonii 128. nonnullorum in Serinum 255.
Vincislaus Lubcovitius Ragotii legatum alloquitur 7. Pannonios ad firmandas inducias hortatur 295.
Vociferationes in Ragotium 21. Tranſylvanorum in Turcas 21. in Berciajum 61. in Germanos 216. Armeni in Turcas 31. Turcarum in Chiuperlium 36. 41. militum in Acmetem 294.

Z

Zaima Mehemetis Regis Mater Siauſium ad ſummum magiſtratum evocandum curat 3. Chiuperlium conſulit, an Prætorianos dimitti expediret 4.

ER-

ERRATA

PAg. 19. verſ. 14. uno, *lege* uni. P. 20. v. 18. profuſiſſe *l.* profudiſſe. P. 21. v. 16. utranque *l.* utramque. P. 26. v. 10. conjectari *l.* conjectare. P. 27. v. 8. revocare *l.* devocare. P. 34. v. 23. quas *l.* quæ. P. 40. v. 18. conſuerat *l.* cenſuerat. P. 50. v. 4. præſentiam *l.* præſentia. P. 51. v. 15. ſimultatem intercedere *l.* ſimultatem non intercedere. P. 58. v. 30. præſtaviſſet *l.* præſtitiſſet. P. 74. v. 27. Conſtinopolim *l.* Conſtantinopolim P. 79. v. 2. aboliretur *l.* aboleretur. v. 22. præſtaveritis *l.* præſtiteritis. P. 123. v. 41. inſtituendum *l.* inſtruendum. P. 135. v. 40. ſufferret *l.* tolleret. P. 140. v. 41. Clomacum *l.* Comaclum. P. 150. v. 2. opulentem *l.* opulentum v. 30. potuerunt *l.* potuerint. P. 151. v. 36. Philippi Gulielmi *l.* Ferdinandi Mariæ. P. 155. v. 39. ſententia *l.* ſententiam. P. 159. v. 26. accerſerit *l.* accerſiverit. P. 162. v. 36. minuturum *l.* minuturam v. 37. aucturum *l.* aucturam. P. 167. v. 2. comperierit *l.* compererit. P. 188. v. 27. hi *l.* hæc. P. 202. Ferdinandi Mariæ *l.* Caroli Ludovici. P. 205. v. 1. timebant *l.* timerent. P. 211. v. 35. reperiit *l.* reperit. P. 215. v. 20. conſpicamus *l.* conſpicamur. P. 221. v. 38. falſandi *l.* fallendi. v. 39. Cæleris *l.* Cæſaris. P. 249. v. 5. conſtaviſſet *l.* conſtitiſſet. P. 252. v. 39. ſylveſtre *l.* ſylveſtrem. P. 259. v. 17. collocaturos *l.* collaturos. P. 262. v. 38. efferre *l.* afferre. P. 278. v. 24. offendens *l.* offendendo. P. 280. v. 26. tuliſſe *l.* tuliſſet. P. 282. v. 25. quæ *l.* quas. P. 292. v. 7. plures ibi dies *l.* plures dies.

401 1473457

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google